Studio Addictus

STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/institutionesdog0002bern

INSTITUTIONES DOGMATICAE

IN USUM SCHOLARUM

AUCTORE

BERNARDO J. OTTEN, S. J.

IN

COLLEGIO MAXIMO S. LUDOVICI

SACRAE THEOLOGIAE ET HISTORIAE DOGMATUM

PROFESSORE

WITHDRAWN

Tomus II

DE DEO CREANTE ET ELEVANTE

DE NOVISSIMIS

STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE

TYPOGRAPHIA LOYOLAEA

CHICAGO, ILLINOIS

1924

IMPRIMI POTEST

F. X. McMenamy, S. J.

Praepositus Provincialis

MILWAUKEE

NIHIL OBSTAT

Gulielmus H. Agnew, S. J.

Censor Deputatus

IMPRIMATUR

✠ George Cardinal Mundelein

Archbishop of Chicago

COPYRIGHT, 1924

BY

LOYOLA UNIVERSITY

CHICAGO, ILL.

BGT
507
DTT
2.

PROOEMIUM

De Scopo et Divisione Operis

Existit ens a se, actus purus, ens infinitum; quod quidem ens Deus est. In Deo sunt actiones immanentes, generatio et spiratio, quarum termini sunt Filius et Spiritus Sanctus, in ratione personae tam a generante seu Patre quam ab invicem realiter distincti. Deus igitur, licet unus sit natura, trinus tamen est personis—Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus; unus quidem Deus, sed tres personae divinae. Haec exposita et probata sunt in tractatu de Deo Uno et Trino.

At praeter Deum existit mundus, compago entium finitorum, quae ortum habeant a Deo, necnon ad Deum tendant, necesse est. Quapropter sua quasi sponte nunc oritur quaestio, quomodo haec entia a Deo egrediantur, et quomodo regrediantur ad ipsum. In hoc autem egressu et regressu, ut suo loco ostendemus, triplex entium finitorum relatio ad Deum admittenda est; quae quidem in eo fundatur, quod Deus est eorum causa efficiens, exemplaris et finalis. Quia vero Deus est causa efficiens mundi per creationem, simulque entia rationalia ad finem supernaturalem elevata sunt, inde ipse hic tractatus de Deo Creante et Elevante inscribi solet.

Egressus igitur entium finitorum a Deo dicitur eorum creatio; quare in hoc tractatu imprimis de ipsa creatione sermo institui debet. Hic autem sermo procedere oportet tum de creatione in genere tum de singulis ordinibus rerum creatarum—de opificio mundi, de homine, de angelis. Itaque quaerendum erit, num mundus creatus fuerit, quis sit ejus creator, quomodo creatio peracta fuerit—num libere et in tempore; quae sit mundi causa exemplaris atque finalis. Hisce stabilitis, insuper quaeri debet de conservatione rerum creatarum et de concursu divino cum causis finitis, necnon de ordinatione mundi materialis. De homine autem et angelis, ipsa eorum creatione probata, ulterius quaerendum erit de eorum natura, ut proprio loco exponetur.

Cum regressu rerum creatarum ad Deum, finem ipsis praestitutum, connexa est quaestio de elevatione hominis et angelorum ad statum supernaturalem, quippe qui respondet fini ultimo omni prorsus creaturae indebito. Haec elevatio in concreto facta est per infusionem gratiae sanctificantis, cujus beneficio creatura assumitur in filium Dei

adoptivum, cum titulo hereditatis ad regnum caeleste. Ad hominem quod spectat, cum hac gratia sanctificante ab initio alia quaedam gratuita Dei dona connexa erant, quae una cum illa gratia statum originalis justitiae constituebant. Haec quoque dona considerari debent. Deinde, quia homo in statu originalis justitiae non perseveravit, sed in peccatum lapsus est, altera oritur quaestio de ipso hoc peccato, quod peccatum originale vocari consuevit.

Denique omnium entium regressus ad Deum aliquando aut assecutione aut amissione finis ultimi complendus erit, et ideo supra jam indicatis quaedam de hac completione adjicienda erunt; sic autem alius enascitur tractatus, qui de Novissimis inscribitur. Haec autem novissima, quae ultimum operis creationis exitum signant, partim individuos homines spectant, partim vero ad totum genus humanum vel etiam ad universum mundum pertinent; quapropter illa novissima hominis, haec autem novissima mundi dicuntur. Quibus igitur expositis, totum hoc opus absolvetur.

INDEX PARTIUM

Pag.

PROOEMIUM: De Scopo et Divisione Operis II

TRACTATUS I

De Deo Creante et Elevante

SECTIO I

De Creatione in Genere

ARTICULUS I

De Conceptu Creationis 1

ARTICULUS II

De Creatione Mundi

THES. I. Mundum a solo Deo ex nihilo conditum esse, non modo rationis lumine innotescit, verum etiam claro Sacrae Scripturae et Traditionis testimonio comprobatur 5

SCHOL. Quomodo lumine rationis innotescat mundum a solo Deo ex nihilo conditum fuisse 14

Solvuntur difficultates 15

ARTICULUS III

De Ipso Creatore

THES. II. Creator mundi est Deus Trinus, non actione tripartita sed una communi creationis 18

SCHOL. Qua ratione opus creationis Deo Patri appropriari possit 24

Solvuntur difficultates 24

ARTICULUS IV

De Incommunicabilitate Virtutis Creatricis

THES. III. Virtus creativa adeo stricte Dei propria est, ut nulli creaturae, sive tamquam causae principali sive tamquam causae instrumentali creationis, communicari possit 26

SCHOL. 1. Num creatura secundum potentiam obedientialem adhiberi possit tamquam instrumentalis causa creationis . 31

SCHOL. 2. Quibus rationibus S. Thomas hanc thesim probet . . 32

Solvuntur difficultates 33

ARTICULUS V

De Libertate Creationis

Thes. IV. Deus libere creavit mundum, et quidem non modo libertate contradictionis verum etiam libertate specificationis 34
Schol. Quo sensu noster mundus sit optimus 40
Solvuntur difficultates 41

ARTICULUS VI

De Creatione Temporali

Thes. V. Deus non mundum aeternum sed temporalem creavit . . 43
Schol. Num ex ratione aliquo modo probari possit mundum esse temporalem 46
Solvuntur difficultates 47

ARTICULUS VII

De Causa Exemplari Mundi

Schol. Num res a solo Deo conserventur 69
Solvuntur difficultates 69

ARTICULUS II

De Concursu Divino

Thes. IX. Deus cum actionibus creaturarum physice et immediate concurrit 70
Coroll. Quo sensu res creatae sint instrumenta virtutis divinae . 75
Schol. Quod Deus omnes res creatas gubernat seu ad finem dirigit 76
Solvuntur difficultates 76

ARTICULUS III

De Ordinatione Mundi Materialis

Assertum. Deus materiam mundanam a se ex nihilo conditam ita ordinavit, ut per longum temporis tractum, et pro rerum exigentia divina virtute adjuta, sese in praesentem mundi materialis statum gradatim evolverit 78
Thes. VI. Deus condidit mundum juxta aeternas et incommutabiles ideas in ejus intelligentia contentas, et ideo ipse est prima causa exemplaris mundi 48
Solvuntur difficultates 53

ARTICULUS VIII

De Causa Finali Mundi

Thes. VII. Finis primarius creationis est bonitas Dei manifestanda et glorificanda; finis vero secundarius est bonum creaturarum . 54
Coroll. De repraesentatione Dei in creaturis 61
Schol. Num in creatione admittendus sit finis operantis . . . 62
Solvuntur difficultates 62

SECTIO II

De Mundo Creato

ARTICULUS I

De Conservatione Rerum

Thes. VIII. Deus res creatas positive et directe conservat 65

SECTIO III

De Homine

ARTICULUS I

De Creatione Hominis

Thes. X. Primi parentes immediata Dei operatione conditi sunt, et ita quidem ut eorum corporis formatio evolutioni teleologicae nullatenus adscribenda sit 85
Schol. 1. De mente S. Augustini relate ad originem specierum . 93
Schol. 2. Quid scientiae naturales de origine specierum et praesertim hominis doceant 95
Solvuntur difficultates 95

ARTICULUS II

De Constitutione Hominis

Thes. XI. Homo constituitur corpore et anima eaque una et rationali, quae ita uniuntur ut anima rationalis sit vere et per se humani corporis forma 98
Schol. De mente Concilii Viennensis 106
Solvuntur difficultates 108

ARTICULUS III

De Indole Animae Humanae

Thes. XII. Anima humana est individualis, spiritualis, immortalis . 109
Coroll. Quod homo prae creaturis irrationalibus sit imago Dei . 114
Solvuntur difficultates 116

ARTICULUS IV

De Origine Singularum Animarum

Thes. XIII. Singulae animae humanae a Deo creantur; et quidem eo instanti quo cum corpore conjungendae sunt 119
Coroll. Quod animarum transmigratio, seu metempsychosis, prorsus rejicienda sit 127
Solvuntur difficultates 127

ARTICULUS V

De Unitate Originis Familiae Humanae

Thes. XIV. Totum genus humanum ab uno stipite, Adamo, originem trahit 129
Schol. De antiquitate generis humani 134
Solvuntur difficultates 135

SECTIO IV

De Supernaturali Hominis Elevatione

ARTICULUS I

De Genuino Naturalis et Supernaturalis Conceptu

Assertum. Naturale in genere est illud quod, posita creatione, est enti debitum; supernaturale in genere est illud quod, etiam supposita creatione, est enti prorsus indebitum . 138
Coroll. De variis statibus humanae naturae relate ad gratiam . 143

ARTICULUS II

De Gratia Protoparentibus Collata

Thes. XV. Protoparentes per infusionem gratiae sanctificantis in sanctitate et justitia constituti fuerunt 145
Coroll. De supernaturalitate gratiae protoparentibus collatae . 151
Schol. 1. Num protoparentes in ipso instanti creationis gratiam sanctificantem acceperint 152
Schol. 2. De protoparentum virtutibus infusis 154
Solvuntur difficultates 156

ARTICULUS III

De Immunitate a Concupiscentia

Thes. XVI. Protoparentes ante lapsum integritate naturae, seu immunitate a concupiscentia, donati fuerunt 157
Schol. 1. Quod donum integritatis sit supernaturale 163
Schol. 2. In quonam donum integritatis objective consistat . . 163
Solvuntur difficultates 165

ARTICULUS IV

De Immunitate a Necessitate Moriendi

Thes. XVII. Protoparentes ante peccatum immunes erant a necessitate moriendi 166
Schol. 1. Quomodo immortalitas protoparentibus collata fuerit . 171
Schol. 2. Qualis fuerit virtus in ligno vitae 172
Solvuntur difficultates 173

ARTICULUS V

De Scientia Protoparentibus Infusa

Thes. XVIII, Protoparentes habuerunt scientiam infusam rerum naturalium 174
Schol. 1. Num protoparentes errare potuerint 178
Schol. 2. Num prima lingua, qua scilicet protoparentes usi sunt, a Deo revelata fuerit 179
Solvuntur difficultates 180

ARTICULUS VI

De Felici Protoparentum Statu

Assertum. Protoparentes ante peccatum vitam agebant summe felicem 182
Schol. 1. De justitiae originalis significatione 184
Schol. 2. Num status naturae purae fuerit possibilis 185

SECTIO V

De Peccato Originali

ARTICULUS I

De Lapsu Protoparentum

Thes. XIX. Protoparentes, transgrediendo Dei praeceptum, grave peccatum commiserunt; hoc autem peccato commisso, justitiam originalem perdiderunt 188

Schol. 1. Quaenam de serpente Evam tentante tenenda sint . . 194
Schol. 2. Ob quod motivum protoparentes peccaverint . . . 195
Schol. 3. Num protoparentum peccatum fuerit omnium gravissimum 196
Schol. 4. Num protoparentes sui peccati veniam consecuti sint . 197
Solvuntur difficultates 197

ARTICULUS II

De Peccati Transmissione

Thes. XX. Peccatum Adami in omnes ejus posteros transiit . . . 198
Schol. 1. De genesi erroris Pelagianorum 207
Schol. 2. Quaedam de SS. Patrum modo loquendi observanda . 209
Solvuntur difficultates 210

ARTICULUS III

Excursus Historicus 212

ARTICULUS IV

De Natura Peccati Originalis

Thes. XXI. Peccatum originale formaliter consistit in privatione gratiae sanctificantis, per praevaricationem Adami voluntarie abjectae; qua privatione Adae posteri habitualiter a Deo, fine ultimo supernaturali, aversi nascuntur 219
Schol. De sententiis quibusdam rejiciendis 224
Solvuntur difficultates 225

ARTICULUS V

De Ratione Voluntarii in Peccato Originali

Thes. XXII. Peccatum originale est voluntarium voluntate Adami, capitis generis humani 227
Schol. 1. Quaedam de peccato originali notatu digna 231
Schol. 2. De pacto quod aliqui Deum inter et Adamum initum fuisse affirmant 232
Solvuntur difficultates 233

ARTICULUS VI

De Traductione Peccati Originalis

Thes. XXIII. Peccatum originale generatione paterna traducitur in filios, quatenus ea nascuntur filii ex semine Adami . . . 234
Schol. Num S. Augustinus docuerit concupiscentiam esse causam traductionis peccati originalis 238
Solvuntur difficultates 239

ARTICULUS VII

De Effectibus Peccati Originalis in Hac Vita

Thes. XXIV. Per peccatum originale homo secundum animam et corpus in deterius mutatus est; ita tamen ut naturalia ejus integra permanserint 241
Schol. Quo sensu S. Augustinus docuerit liberum hominis arbitrium perditum esse per peccatum originale 245
Solvuntur difficultates 246

ARTICULUS VIII

De Effectibus Peccati Originalis in Altera Vita

Thes. XXV. Qui in solo peccato originali e vita decedunt, eo sensu damnantur, quod visione beatifica in aeternum privati existunt; non tamen puniuntur poenis positivis, neque carent bonis sibi naturaliter debitis 248
Schol. Quod doctrina de peccato originali cum recta ratione non pugnat 254
Solvuntur difficultates 255

SECTIO VI

De Angelis

ARTICULUS I

De Angelorum Existentia

Thes. XXVI. Praeter hominem existunt aliae substantiae rationales creatae, homine praestantiores, quae angeli vocantur . . . 257
Schol. Quo tempore angeli creati sint 262
Solvuntur difficultates 263

ARTICULUS II

De Spiritualitate Angelorum

Thes. XXVII. Angeli non modo vera aliqua ratione spiritus sunt, verum etiam puri spiritus dici debent 265
Schol. 1. Quid de sententia negativa quorumdam Patrum censendum sit 271
Schol. 2. Num angeli nonnunquam assumant corpora . . . 273
Solvuntur difficultates 274

ARTICULUS III

De Angelorum Praesentia in Loco

Assertum. Angeli in loco quidem sunt, non tamen circumscriptive sed definitive; possunt quoque se ipsos necnon corpora e loco in locum movere 275

ARTICULUS IV

De Cognitione Angelorum

Thes. XXVIII. Angeli cognitione quidem praestant, naturaliter tamen neque secreta cordis, neque libera futura, neque mysteria cognoscere possunt 280
Schol. 1. Quomodo angeli cognoscant 286
Schol. 2. De locutione et illuminatione angelorum 288
Solvuntur difficultates 288

ARTICULUS V

De Numero et Ordine Angelorum

Assertum. Magna est angelorum multitudo, in qua angeli determinato aliquo ordine inter se disponuntur 290

ARTICULUS VI

De Elevatione et Peccato Angelorum

Thes. XXIX. Deus angelos ad ordinem supernaturalem evexit, et multi quidem in gratia perseverantes aeternam beatitudinem adepti sunt, alii vero multi peccato commisso in aeternam damnationem ruerunt 293
Schol. 1. Cujusnam speciei peccatum angeli commiserint . . 302
Schol. 2. Quam excellentiam diabolus inordinate appetiverit . 303
Schol. 3. Num angelis datum fuerit tempus poenitendi . . . 303
Solvuntur difficultates 304

ARTICULUS VII

De Angelis Custodibus

Thes. XXX. Sancti angeli deputantur in custodiam hominum in terra viventium 306
Schol. 1. Num angeli etiam creaturis irrationalibus praesideant . 313
Schol. 2. De officiis nostris erga angelum custodem 313
Solvuntur difficultates 314

ARTICULUS VIII

De Infestationibus Diaboli

Thes. XXXI. Angeli mali ex permissione Dei variis modis homines infestant 315
Schol. 1. Num diabolus omni omnino tentationi se immisceat . 323
Schol. 2. Num singuli homines praeter angelum custodem habeant etiam angelum malum ad eos tentandos 323
Schol. 3. Num angeli mali sub aliquo principe constituti sint . 324
Solvuntur difficultates 324

TRACTATUS II

De Novissimis

De Novissimis 329

SECTIO I

De Novissimis Hominis

ARTICULUS I

De Ipso Fine Ultimo 330

ARTICULUS II

De Morte Hominis

Thes. XXXII. Vi legis universalis, propter Adami peccatum latae, statutum est hominibus semel mori; in ipsa autem morte status viae, seu tempus merendi et demerendi, finitur 331
Schol. Num omnes homines morituri sint 338
Solvuntur difficultates 340

ARTICULUS III

De Judicio Particulari

Thes. XXXIII. Statim post mortem fertur de anima sententia judicialis, qua ejus sors aeterna determinatur 342
Schol. Num Joannes XXII dilationem beatitudinis docuerit . . 347
Solvuntur difficultates 348

ARTICULUS IV

De Purgatorio

Thes. XXXIV. Existit purgatorium, in quo justorum animae nondum plene purgatae piacularibus poenis mundantur, et fidelium suffragiis juvari possunt 351
Schol. 1. Num animae in purgatorio detentae igne crucientur . 360
Schol. 2. De subjectivo animarum statu in purgatorio . . . 360
Schol. 3. De poenarum in purgatorio acerbitate et duratione . 362
Schol. 4. Num animae in purgatorio detentae aliquid pro vivis impetrare possint 362
Schol. 5. Cur certis quibusdam diebus memoria defunctorum fiat 363
Solvuntur difficultates 363

ARTICULUS V

De Beatitudine Objectiva

Thes. XXXV. Beatitudo objectiva essentialis est solus Deus; accidentalis vero bonis creatis constituitur 365
Solvuntur difficultates 371

ARTICULUS VI

De Beatitudine Formali

Thes. XXXVI. Beatitudo subjectiva seu formalis complecitur actum cognitionis, amoris, et gaudii; essentialiter tamen in sola cognitione seu intuitiva Dei visione consistit 372
Schol. 1. Utrum beatitudo ad intellectum speculativum an practicum pertineat 379
Schol. 2. Quod beati Deum cognoscant totum sed non totaliter . 380
Schol. 3. Utrum sint aliquae dotes in anima beata 380
Solvuntur difficultates 381

ARTICULUS VII

De Inaequalitate et Permanentia Beatitudinis

Thes. XXXVII. Beatitudo inaequalis est pro inaequalitate meritorum. Porro beati sunt impeccabiles eorumque beatitudo est aeterna 384
Schol. 1. De omnimoda beatorum perfectione morali 390
Schol. 2. Cur beati ex cognitione malorum nulla prorsus tristitia afficiantur 391
Schol. 3. De inaequalitate beatitudinis accidentalis 391
Schol. 4. De beatitudine accidentali quae aureola vocatur . . 392
Schol. 5. Num caelum sit determinatus aliquis locus 393
Solvuntur difficultates 393

ARTICULUS VIII

De Inferno

Thes. XXXVIII. Animae in statu peccati mortalis decedentes in infernum detruduntur, poena interminabili pro ratione demeritorum cruciandae 395
Schol. 1. Quod Deus puniendo reprobos non more hominum spiritu vindictae ducatur 405
Schol. 2. Num omnes reprobi etiamnum in inferno detineantur . 405
Solvuntur difficultates 406

ARTICULUS IX

De Duplici Reproborum Poena

Thes. XXXIX. Damnati in inferno dupliei poena torquentur: poena damni et poena sensus 409
Schol. 1. De modo quo ignis inferorum agat in spiritus . . . 419
Schol. 2. Num damnati, praeter poenam ignis, etiam aliis poenis positivis crucientur 422
Schol. 3. Quod damnati perfecte obstinati sint in malo . . . 422
Solvuntur Difficultates 423

SECTIO II

De Novissimis Mundi

ARTICULUS I

De Resurrectione Mortuorum

Thes. XL. Ad secundum Christi adventum omnes mortui resurgent; et quidem eum propriis corporibus quae nunc gestant . . . 426
Schol. 1. Quod Chiliasmus omnino rejiciendus sit 431
Schol. 2. De dotibus supernaturalibus corporis glorificati . . 433
Solvuntur Difficultates 434

ARTICULUS II

De Ultimo Judicio

Thes. XLI. Post resurrectionem mortuorum instituetur judicium universale, in quo omnes homines de factis propriis rationem reddent 436
Schol. De innovatione mundi 440
Solvuntur Difficultates 442

APPENDIX

De Phaenomenis Quibusdam Miris, Praesertim Spiritismi . 444

TRACTATUS PRIMUS

DE CREATIONE IN GENERE

SECTIO I

De Creatione in Genere

ARTICULUS I

De Conceptu Creationis

1. Verbum "creare," ideoque ipsum nomen "creatio," per se adhiberi potest ad quamlibet alicujus rei productionem significandam, tum in ordine physico tum in ordine morali. Sic terra dicitur creare segetes, artifex creare statuam, parentes creare filios, Papa creare cardinales, cives creare praesidem. In qualibet enim rei productione aliquid novi habetur, et haec rei novitas sufficit ut ipsius productio ad creationis genus revocetur. In subjecta tamen materia verbum "creare" et nomen "creatio" strictius atque pressius sumuntur, ita ut eorum significatio quodammodo technica dici possit. Restringuntur enim ista vocabula ad productionem *rei simpliciter et undequaque novae* significandam. Omnis quidem res producta aliqua ratione nova est, sed sola res hoc stricto sensu creata simpliciter et omnimode nova dici potest.

2. Juxta hanc autem omnimodam rei novitatem creatio definiri solet: *Productio rei ex nihilo sui et subjecti.* In hac definitione terminus "productio rei" designat genus proximum actionis; terminus vero "ex nihilo sui et subjecti" addit specificam actionis differentiam, ita tamen ut haec specifica differentia ultimatim unice ex "nihilo subjecti" desumatur. Omnis enim actio productiva efficit rem ex "nihilo sui," cum secus nulla veri nominis productio haberetur; non tamen eam efficit quoque ex "nihilo subjecti," nisi quatenus stricto sensu creativa est. Ita v. g. artifex efficit statuam ex nihilo statuae, ideoque ex nihilo "sui," in quantum videlicet ex marmore seu ex praejacente materia formam vel figuram statuae educit; non tamen efficit eam ex nihilo "subjecti," quia eam non effingere valet nisi ex praejacente materia. E contrario actio creativa non modo rei novae formam vel figuram producit, verum etiam ipsam ejus materiam seu omnia ipsius rei principia constitutiva, ideoque efficit rem tum ex nihilo "sui" tum ex nihilo "subjecti."

3. Unde particula "ex" in data definitione significat tum *ordinem successionis* tum *ordinem ad causam materialem,* non vero ad causam efficientem. Significat ordinem successionis, quatenus nihilum saltem natura prius est re creata, quae proinde ad illud succedere dicenda est; et significat ordinem ad causam materialem, quatenus negat in creatione hujusmodi causam adesse, cum illud "nihilum," ad quod refertur, non sit aliquid positivum sed negativum dumtaxat, absentia videlicet omnis materiae praejacentis. Non tamen dicit ordinem ad causam efficientem, ac si haec etiam deesset; nam in terminis causae efficientis reapse "ex nihilo nihil fit." Insuper eo quod creatio dicitur "productio rei," causa efficiens in ipsa creationis definitione clare affirmatur; productio enim causam producentem seu efficientem necessario supponit.

4. Praefata definitio, ut patet, desumpta est ex *termino a quo* creationis, qui in ordine reali non positivus sed negativus esse affirmatur. Praeter hanc etiam alia est definitio, ex *termino ad quem* derivata, quae ita enuntiatur: *Creatio est productio alicujus rei secundum totam suam substantiam,* quibus verbis addi solet, *nullo praesupposito* (cf. *S. Thomas,* Sum. Theol. I, q. 65, a 3). Hoc ultimum incisum mere expositorium est, ita ut ipsa definitio in praecedente clausula jam tota contineatur. Proprius igitur terminus creationis est alicujus rei substantia et quidem essentialiter completa, prout in ordine rerum existere nata est. Substantia autem, prout in ordine rerum existit, est id quod proprie dicitur subsistens; inde *sola subsistentia proprium creationis terminum constituunt.* Unde neque accidentia, neque materia prima, neque formae substantiales, proprie creantur; sed vel ex substantia creata educuntur, vel concreari dicenda sunt, quatenus in ipso actu creationis vel ex substantia completa promanant, vel eam ut ejus partes essentiales constituunt. Excipitur tamen forma substantialis per se subsistens, nimirum anima humana, quae proprie creatur.

5. Hanc rem exemplo illustrare juvat. Pone igitur creari arborem. In illa arbore, prout per actionem creativam completa in ordine rerum ponitur, habentur imprimis materia prima et forma substantialis, quae ipsam substantiam arboris constituunt; deinde habetur quantitas dimensiva, accidens absolutum, vi cujus ipsa substantia arboris partibus loci commensuratur; denique huic substantiae quantificatae insunt alia accidentia atque vires, puta color, sapor, vis resistiva et attractiva, necnon vires vegetationi inservientes. Id quod per creationem in ordine rerum ponitur, est ipsa arbor tam substantialiter quam accidentaliter completa. In toto tamen hoc complexu *sola substantia completa,* ex materia prima et forma substantiali coalescens, est *proprius terminus creationis.*

Non enim creatur materia prima qua talis, neque forma substantialis qua talis; sed *compositum ex utraque.* Quatenus materia prima et forma substantialis huic composito de facto insunt, simul quidem cum ipso quodammodo ex nihilo producuntur; quia tamen non producuntur ratione sui sed unice ratione compositi, et insuper cum dependentia ab invicem, hoc proprie creari dicitur, illae vero dicuntur concreari. Similiter etiam accidentia et vires, quae illi arbori jam in ipso actu creationis insunt, non ratione sui producuntur sed solum ratione compositi substantialis, ex quo quidem naturaliter promanant; et idcirco non creari sed quodammodo concreari dicenda sunt. Utique quatenus haec accidentia absoluta per Dei omnipotentiam absque subjecto inhaesionis subsistere valent, etiam per Dei omnipotentiam absque subjecto inhaesionis produci possunt; quod si fieret, essent vero quidem sed non proprio sensu terminus creationis.

6. Denique est tertia creationis definitio, quae desumi potest ex *tendentia actus creatricis in terminum ad quem.* In hoc enim termino distinguere licet actualitatem entis in se et ejus taleitatem, seu illud secundum quod hic terminus est ens et illud secundum quod est tale ens. Jamvero creatio attingit terminum ad quem non in quantum est tale ens, sed praecise in quantum est ens. Unde hac ratione definiri potest: *Productio entis in quantum est ens* (cf. *S. Thomas,* I, q. 44, a. 1; q. 45, a. 4 ad 1). Est quidem terminus creationis semper ens tale; sed formalis ratio sub qua actio creativa hoc ens tale attingit, est ipsa ratio entis.

7. Ad has autem definitiones aliae quaecumque, quae vel in scriptis SS. Patrum vel in operibus theologorum inveniuntur, reduci possunt. Inter eas vero praecipuae sunt: *Rei ex non esse ad esse adductio*—ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγωγή; *productio rei ex non extantibus*—ἐξ οὐκ ὄντων; *emanatio totius entis a causa universali,* quae est Deus. In hac ultima definitione terminus "emanatio" utique non significat ipsum ens vel partem ejus realiter profluere ex Deo, quod esset pantheisticum; sed indicat egressum creaturae a Deo per causalitatem efficientem, ideoque idem sonat ac productio.

8. Creatio modo definita dividitur in *activam* et *passivam,* prout aut ipsa actio divina respicitur aut terminus ad extra huic actioni correspondens. De utroque hujus divisionis membro sat acriter inter theologos disputatur, quam disputationem hic breviter indicasse juvabit. Et imprimis quidem ea tangemus quae de creatione activa proferuntur, dein vero quae ad creationem passivam spectant. Statim tamen eas omnes sententias ut aperte falsas seponimus, quae ulla ratione ad ipsius Dei evolutionem a Pantheistis propugnatam accedunt;

est enim creatio actio simpliciter effectiva, cujus terminus extra Deum productus existit.

9. Imprimis omnes concedunt in quolibet effectu, ideoque etiam in effectu creationis, posse haec *tria* considerari: a) ejus habitudinem ad *causam* a qua procedit; b) ejus habitudinem ad *subjectum* in quo recipitur vel recipi fingitur; c) ejus τὸ *fieri*, quod aut est aut non est influxus medius inter effectum et causam ipsius. Hoc τὸ fieri effectus dicitur *actio* relate ad causam, *passio* relate ad subjectum, et *motus* quatenus concipitur in via ad terminum. Diversitas opinionum relate ad actionem qua Deus creat ultimatim ex conceptu hujus τοῦ fieri ortum ducit.

10. Igitur qui putant illud τὸ fieri effectus esse influxum quemdam intermedium, eo ipso docent a) volitionem divinam esse *principium creationis*, sed non ipsam actionem qua Deus creat; b) hanc actionem, utique formaliter sumptam, esse *ipsum* τὸ *fieri creaturae*, seu ejus effluxum a Deo; quia vero hic effluxus est extra Deum, a quo veluti egreditur, inde dicunt creationem esse actionem *formaliter transeuntem;* c) ad intimam hujus actionis rationem quod spectat, dicunt eam esse aliquid reale in ipsa creatura, nempe *modum realem objective & re creata distinctum.* Hanc explicationem proponunt *Suarez* (Metaph. d. 20, sect. 5), *Molina* (In I, q. 45, a 3) *Arriaga* (Physic. d. 9, sect. 4, n. 4), et alii plures.

11. Qui vero influxum illum intermedium negant, consequenter docent a) voluntatem divinam esse *principium creaturae*, non vero actionis qua Deus creat; b) hanc actionem, vel potius actum, esse ipsam *divinam substantiam cum relatione rationis ad creaturam*, et secundum hoc eam esse actionem *formaliter immanentem;* quia vero ejus terminus ponitur extra Deum, inde dicunt eam non esse simpliciter immanentem sed simul *virtualiter transeuntem*, quatenus ex infinita sua perfectione virtutem habeat terminum extra Deum ponendi; c) denique docent creationem in creatura non esse aliquid reale objective ab ipsa creatura distinctum, sed esse *ipsum* τὸ *esse rei creatae cum reali relatione ad Creatorem.* Hoc modo arguunt *S. Thomas* (Cont. Gent. II, cc. 9, 10, 23; De Potent. q. 1, a. 5), *Toletus* (In I, q. 25, a. 1), *Gregorius de Valentia* (In I, d. 3, q. 2, punct. 1), et alii permulti.

12. Notandum est, neque fautores prioris sententiae admittere illud τὸ fieri effectus, quatenus concipitur in via ad terminum, esse motum; actio enim qua Deus creat juxta omnes est instantanea, ita ut τὸ fieri et τὸ factum esse sint tempore simul. Neque admittunt subjectum praevium in quo illud τὸ fieri recipiatur, sed postulant "effectum intrinsecum in quem terminatur" (*Beraza*, De Deo Creante, n. 27).

13. Simili quoque modo diversi auctores supra laudati arguunt de creatione *passiva*. Per creationem activam ponitur terminus, qui est proprius ejus effectus; at in hoc effectu distinguere licet *ipsam rei substantiam* et ejus *dependentiam a Deo*. Juxta *Suarezium* ejusque sequaces idem influxus Dei, quo formaliter communicatur esse creaturae, "seu prout ab eo creatura accipit esse, dicitur creatio passive sumpta" (*Beraza*, op. cit. n. 26). Unde juxta eos creatio passiva non est ipsa creatura qua dependens a Deo, sed potius *illa dependentia ut modus realis ex natura rei a creatura distinctus*. E contrario juxta *S. Thomam*, ejusque discipulos fere omnes, creatio passive sumpta "nihil est aliud realiter quam relatio quaedam cum novitate essendi" (De Potent. q. 3; a. 3). Haec relatio est *realis in creatura*, ejusque fundamentum reale est ipsum esse receptum, ideoque non realiter ab ipsa creatura distinctum; sed est tantum *rationis in Deo*, cum ipsi per creationem nihil reale adveniat. Qui hanc alteram sententiam defendunt, istam relationem communiter transcendentalem dicunt; alii vero eam praedicamentalem esse contendunt. Cf. *Mazzella*, De Deo Creante, n. 32.

Haec de conceptu creationis praelibasse jam sufficiat; aliae enim creationis divisiones, puta in primam et secundam, in mediatam et immediatam, convenientius sub thesibus mox ponendis exponentur.

ARTICULUS II

De Creatione Mundi

THESIS I.—Mundum a solo Deo ex nihilo conditum esse, non modo rationis lumine innotescit, verum etiam claro Sacrae Scripturae et traditionis testimonio comprobatur.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 44, aa. 2, 3; q. 45, aa. 1–4; *In I Sent.* d. 1, q. 1, aa. 2, 3; *Cont. Gent.* II, cc. 6, 15, 16; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 1, p. 1, a. 1, q. 1; Scotus, *In I Sent.* d. 1, q. 2; Suarez, *De Opere Sex Dierum*, I, cc. 1 sqq.; Hummelauer, *Comment. in Gen.* pp. 85 sqq.; Corluy, *Spicilegium Dogmatico-Biblicum*, I, pp. 165 sqq.; Hetzenauer, *Comment. in Librum Genesis*, pp. 1 sqq.; Beraza, *De Deo Creante*, nn. 43 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 13 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante*, thes. 2; Janssens, *De Deo Creante*, p. 1, s. 1, q. 44, a. 12; Mazzella, *De Deo Creante*, nn. 49 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante*, nn. 2 sqq.; Muncunill, *De Deo Creatore*, nn. 5 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature*, p. 1, c. 1.

14. STATUS QUAESTIONIS.—In tractatu de Deo Uno probatum est Deum existere, eumque esse ens personale, infinite perfectum—ens a se, sibi sufficientissimum, ab omni alio ente prorsus independens. Insuper ex philosophia probatum supponitur existere entia finita, quae mundum objective realem constituunt. Immo ibi quoque demonstratum

est hunc mundum a Deo conditum fuisse, et quidem per creationem proprie dictam. Haec igitur tria—existentia Dei, existentia rerum finitarum, creatio mundi naturaliter cognita—in praesenti thesi ut veritates omnimode certae assumi possunt ac debent; manet tamen ut ea quae ad originem mundi spectant etiam ex fontibus revelationis investigentur atque demonstrentur, quod quidem modo praestare conamur.

15. **TERMINORUM EXPOSITIO.** — a) Licet in philosophia nomine mundi communiter intelligatur *complexus rerum sensibilium*, ideoque mundus adspectabilis, nihilominus in theologia ille terminus latius extenditur, *complectens omnia entia finita*, sive sensibilia sint sive non—universa igitur quae in caelis sunt et in terris, visibilia simul et invisibilia (cf. Col. 1, 16); seu utramque naturam, spiritualem et corporalem, necnon humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam (cf. Lateran. IV, cap. "Firmiter;" DB. 428). Quare apud theologos nomine mundi significari solet *quidquid praeter Deum existit*. Attamen in hac thesi nostra quaestio ex professo non versatur nisi de *mundo adspectabili*, et quidem prout *entibus homine inferioribus constituitur;* alia enim quae ad angelos et homines spectant, cum sint satis implicata, perspicuitatis causa in thesibus infra ponendis disputabimus.

b) Hunc igitur mundum adspectabilem dicimus fuisse a solo Deo ex nihilo conditum, seu ex nihilo sui et subjecti productum. Productio tamen mundi ex nihilo sui et subjecti, prout ad diversas res mundanas extenditur, *triplici sensu* intelligi potest. Primo quidem quod singula hujus mundi entia secundum *se tota* fuerint immediate a Deo ex nihilo producta; altero vero quod singula haec entia non quidem secundum se tota, sed secundum *aliquam eorum partem* fuerint immediate a Deo ex nihilo producta; tertio demum quod singula entia quoad *suum esse substantiale* sive *immediate* sive *mediate* fuerint a Deo ex nihilo producta. Primus sensus evidenter falsus est; cum quotidiana experientia constet nova semper entia in mundo produci, quae ex aliis praeexistentibus ortum ducant. Alter sensus possibilis quidem est sed parum probabilis, quia juxta sanam philosophiam admittendae sunt mutationes vere substantiales, ex quibus citra specialem Dei interventum novae substantiae oriuntur. Tertius igitur sensus verus est, et secundum hunc sensum nostra thesis defenditur.

c) Itaque distinguimus inter creationem *immediatam* et *mediatam*. Immediata creatio habetur quando ipsum aliquod ens ex nihilo sui et subjecti a Deo producitur, ut superius (nn. 2 sqq.) explicatum est; mediata vero creatio in iis entibus invenitur, quae *ipsa* quidem producuntur per transformationem materiae praejacentis, ita tamen ut *primus hujus materiae ortus* ad immediatam creationem a Deo

factam reducendus sit. Immediate a Deo creantur omnes spiritus, sive angeli sint sive animae humanae; item immediate a Deo creata dicenda est prima substantia materialis essentialiter completa, ante quam nulla alia substantia materialis existebat. Omnes vero aliae substantiae materiales, quae per transformationem aliquam sive naturalem sive artificialem ortum habent, dici possunt et debent mediate a Deo creatae; in quantum videlicet ipsa materia praejacens ultimatim ex nihilo sui et subjecti a Deo producta fuit.

d) Etiam distingui solet inter creationem *primam* et *secundam,* prout aut ipsa productio mundi aut ejus subsequens ordinatio consideratur. Ita in prima creatione Deus ipsam substantiam mundanam, eamque completam, ex nihilo sui et subjecti produxit; in creatione vero secunda hanc substantiam mundanam ita disposuit, ut exinde praesens rerum ordo paulatim resultaret. Subest tamen huic distinctioni et alius sensus, secundum quem aliqui dicunt mundum a Deo creatum et debito modo ordinatum per aliquod cataclysma ad statum chaoticum reductum fuisse, eumque postea fuisse a Deo restitutum. Illam mundi productionem et ordinationem nominant creationem *primam;* hanc autem mundi restitutionem appellant creationem *secundam.* Hujusmodi vero distinctionem non esse admittendam, utpote factis inconcussis adversantem, infra ostendetur.

e) Dicitur in thesi creationem mundi rationis lumine innotescere; hoc tamen assertum quasi parenthetice ponitur, neque illud impraesentiarum probandum esse ducimus, cum rationis argumenta in philosophia jam exposita sint. Attamen quo haec argumenta facilius in mentem revocentur, ipsam hanc rem infra in scholio breviter attingemus.

f) In hac igitur thesi contendimus, ex claro Sacrae Scripturae et traditionis testimonio constare omnes res mundanas a solo Deo vel immediate vel mediate ex nihilo conditas fuisse. Dicimus "a solo Deo," non ad excludendam quamlibet causam *instrumentalem* (de hac enim in thesi infra ponenda agendum erit), sed quamlibet aliam causam *principalem,* sive una cum Deo operantem sive aliquam partem mundi per se producentem. Hoc igitur termino eorum sententia excluditur, juxta quos duplex mundi principium admittendum est; bonum videlicet et malum.

16. ADVERSARII.—Hanc thesim indirecte rejiciunt omnes *Pantheistae, Materialistae, Rationalistae,* qui ipsum factum vel etiam possibilitatem creationis negant. Thesim directe impugnant *Sociniani, Arminiani,* multi *Protestantes Liberales, Critici Sublimiores, Modernistae,* quorum plurimi ipsum factum creationis quidem admittunt, negant tamen illud posse sive ex Scriptura sive ex traditione probari. In quantum thesis statuit Deum solum esse mundi creatorem, ei olim

adversabantur *Marcionitae, Manichaei, Priscillianistae, Pauliciani, et Albigenses,* qui visibilia a malo principio seu diabolo creata fuisse dicebant.

17. **NOTA.**—Ad ipsum factum creationis quod attinet, thesis proponit doctrinam *de fide tenendam;* explicite enim contra *Albigenses* aliosque in *Concilio Lateranensi IV* definita est, quae definitio ita ponitur: "Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, . . . unum universorum principium: creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium: qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam" (cf. DB. 428). Hanc autem definitionem contra haereticos modernos confirmavit *Concilium Vaticanum,* statuendo: "Si quis non confiteatur, mundum resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas . . . A. S" (can. 5; DB. 1805). Attamen thesis uti jacet, affirmans scilicet creationem mundi claro Sacrae Scripturae et traditionis testimonio probari, non est de fide, sed *certa* et *communis.*

I. Mundum a solo Deo ex nihilo conditum esse, claro Sacrae Scripturae testimonio probatur.

18. **ARGUMENTUM.**—Jam in primo et secundo versiculo Geneseos productio caeli et terrae eo modo narratur, *ex quo legitime infertur mundum fuisse a solo Deo ex nihilo conditum;* quae deinceps illatio aliis Sacrae Scripturae dictis iterum atque iterum confirmatur: **Atqui** hujusmodi legitima illatio, iterum atque iterum in Sacris Litteris confirmata, clarum Sacrae Scripturae testimonium constituit: **Ergo.**

Minor ex ipsis terminis satis patet, ideoque ulteriore probatione non indiget.—*Major* probatur per partes, et quidem,

A. *Jam in primo et secundo versiculo Geneseos productio caeli et terrae eo modo narratur, ex quo legitime infertur mundum fuisse a solo Deo ex nihilo conditum.*

19. *TEXTUS.* "1. In principio Deus creavit caelum et terram. 2. Terra autem erat inanis et vacua;" ad quem textum haec notanda sunt.

a) Ipsa mundi productio dicitur facta "in principio" (*bereshith*), id est, aut *absolute ante quaevis alia Dei opera ad extra,* aut saltem *ante initium eorum operum quae in versiculis subsequentibus narrantur.* Ad nostrum argumentum quod attinet, nihil interest quaenam ex his significationibus verior habeatur. Cum enim in sequentibus

versiculis describatur opus distributionis atque ornationis, eumque ipsa productio mundi hoc opere prior dicatur, divina operatio in primo versiculo designata satis obvie ipsum mundanae substantiae ortum exhibet.

b) Productio mundi exprimitur per verbum *bara,* quod LXX verterunt per ἐποίησεν, genericum productionis sensum exprimens. Ad verbum *bara* quod spectat, notandum est illud per se non necessario significare productionem rei ex nihilo sui et subjecti, simul tamen illud esse ad hujusmodi productionem significandam valde aptum. In formis enim *Kal* et *Niphal,* quarum prior hic habetur, "occurrit in Scriptura quadragies septies, nec unquam adhibetur nisi de operatione aliqua Dei, et quae soli Deo competat. Nusquam cum eo fit mentio materiae ex qua vel instrumenti per quod operatio illa Dei perficiatur" (*Corluy,* op. cit. I, 166). Ergo certo indicat *omnimodam Dei in suis operationibus independentiam,* quae utique perfecta non esset si Deus ad mundum efficiendum praejacente materia indiguisset. Unde si sacer scriptor productionem mundi ex nihilo sui et subjecti affirmare voluit, aptius verbum ad id affirmandum adhibere non poterat. Hoc etiam notat *Rabbi Nachmanides,* cum dicit: "Non extat apud nos in lingua sancta vocabulum quo productionem alicujus rei ex nihilo significemus nisi bara" (cf. Lamy, Comment. in lib. Gen. I, 78).

c) Deus autem, qui mundum creavit, dicitur *Elohim;* quod nomen quoad formam grammaticam est pluralis numeri, quoad significationem vero pro singulari supponitur. Hoc alterum ex eo satis constat, quod illud nomen in Sacris Litteris cum adjectivis necnon verbis in singulari construi solet (cf. Gen. 20, 13; 35, 7; II Sam. 7, 23). Judaei sat communiter, et plerique etiam interpretes, "dicunt plurale hoc esse majestaticum, indicans in divinae essentiae unitate virtutem esse multiplicem" (Corluy, op. cit. 167). Hoc igitur nomine significatur *unus verus Deus,* qui solus mundi creator refertur. Cf. *Hetzenauer,* Commentarius in Genesim, 1, 2.

d) Creavit Deus "caelum et terram." De significatione hujus termini, "caelum et terram," periti non omnino inter se conveniunt. Alii enim contendunt hoc primo versiculo *compendiose referri creationem universi tum primam tum secundam,* ideoque illo termino significari caelum et terram jam formata, licet ipsa mundi formatio in sequentibus versiculis describatur. Volunt igitur hunc primum versiculum esse prologum divini operis, qui correspondeat epilogo Gen. 2, 1 posito (cf. *Corluy,* op. cit. 168). Alii vero ponunt per caelum et terram "hoc loco designari *materiam cosmicam elementarem seu chaoticam,* ex qua sex diebus res universae formandae sint; versiculo scilicet primo exhiberi creationem primam dumtaxat, opificium sex dierum praecedentem" (*Corluy,* op. cit. 169; cf. *Hetzenauer,* op. cit.

3). Ad argumentum nostrum quod spectat, ista opinionum diversitas nullius momenti est; ex ipso tamen contextu constare videtur hanc alteram interpretationem esse veriorem, ideoque praeferendam.

e) Insuper notari debet, esse etiam disputationem quamdam de significatione "caeli," prout iste terminus in primo versiculo occurrit. Nam "plerique cum Pererio et Lapide tenent caelum designare *empyreum,* seu locum angelis et beatis destinatum. Alii dicunt per caelum designari *angelos.* Hoc certe nimis a littera textus abhorret. Tenemus verbis caelo et terra exprimi rerum omnium elementa, et per quamdam extensionem etiam comprehendi mundum angelicum, utpote in caelo existentem. Ad quam extensionem admittendam inducit nos decretum supra citatum concilii *Lateranensis,* quod ad Genesis 1, 1 nimis clare alludit" (*Corluy,* op. cit. 170).

f) "Terra autem erat inanis et vacua." His verbis indicatur status in quo erat illa terra cujus productio in primo versiculo refertur. In textu originali hic status designatur per *thohu va bohu; thohu* autem significat vastitatem quamdam confusam, dum *bohu* istius vastitatis vacuitatem, id est absentiam rerum postea ponendarum, designat. Unde Vulgata satis accurate ponit: "Terra autem erat inanis et vacua." Eundem conceptum LXX hisce terminis expresserunt: ἀόρατος καὶ ἀκατοσκεύαστος, "invisibilis et incomposita." Ex his igitur terminis, sive prout in originali sive prout in versionibus leguntur, merito infertur effectum divini operis, in primo versiculo relati, fuisse *massam quamdam chaoticam substantiae materialis,* per aliam et subsequentem Dei operationem, sive mediatam sive immediatam, ad determinatum rerum ordinem redigendam (cf. *Hetzenauer,* op. cit. 4). Quare illa caeli et terrae effectio, in primo versiculo narrata et in secundo quodammodo explicata, satis evidenter alia concipi nequit, nisi *ea quae in productione mundi ex nihilo sui et subjecti* invenitur. Et ideo, licet non ex solo verbo *bara,* tamen ex eo simul cum contextu legitime infertur mundum fuisse a solo Deo ex nihilo conditum.

g) Ad has rationes ex ipsa narratione desumptas aliae quaedam accedunt, quae ex *scopo Moysis* et ex *auctoritate interpretum Judaicorum* colliguntur. Et prima quidem ex *scopo Moysis.* Nam inter doctos convenit, et ex ipsa Sacra Scriptura satis patet, Moysen eo fine mundi originem descripsisse, ut ostenderet *unum esse verum Deum a quo omnes res mundanae pendeant,* quique proinde ab omnibus ratione fruentibus sit colendus. Huic autem scopo minime satisfecisset, si ipsam materiae mundanae originem, utrum scilicet esset a se an ab alio, non indicasset. Facile enim Hebraei, cum ethnicis commercium habentes, putassent mundanam substantiam esse vel aliquam divinitatem vel ab alio deo productam. Tamen materiae mundanae originem non indicavit nisi dicendo Deum creasse caelum et terram, ideoque

satis evidenter significare voluit ipsam hanc materiam esse a Deo ex nihilo conditam. Huc accedit quod Moyses, ubi de opere aliquo ex praejacente materia facto loquitur, istam materiam distincte commemorat. Ita dicit: "Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae" (Gen. 2, 7); "produxit Dominus Deus de humo omne lignum" (Ibid. 2, 9); "formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terrae" (Ibid. 2, 19). Cur ergo non etiam commemorat materiam ex qua mundus factus est? Satis evidenter, quia nulla erat.

h) Altera ratio colligitur ex *auctoritate interpretum Judaicorum.* Veteres enim Judaeos Gen. 1 de creatione ex nihilo interpretatos esse, et magna quidem unanimitate, indubium est. Ita refert *Flavius Josephus* (Antiquit. Judaic. l. 1); *Onkelos* (Paraphr. Chald. Gen.); *Maimonides* (More Nevochim, pa. 2, c. 14); *Nachmaniaes* (Comment. in Gen. 1). Cf. *The Jewish Encyclopedia,* II, 151; IV, 336; *Gesenius,* Thesaur. Ling. Hebr. et Chald. v. bara; *Rosenmueller,* Scholia in V. T. ad hunc locum.

B. *Illatio ex primo et secundo Geneseos versiculo deducta, quae supra ostensa est legitima, aliis Sacrae Scripturae dictis iterum atque iterum confirmatur.*

20. Haec confirmatio in textibus tam Veteris quam Novi Testamenti continetur, quorum sequentes allegasse atque exposuisse sufficiat.

a) Imprimis ipse Deus vindicat sibi ut nomen proprium *Ipsum Esse* (Exod. 3, 14), quod utique est a se et praeter quod aliud esse a se dari nequit. Quare quidquid praeter Deum existit, ab ipso Deo sit oportet, et ultimatim quidem per veri nominis creationem. Hanc ob causam, quia suam entitatem a Deo habent, res creatae quasi nihilum reputantur. Quo sensu sacer scriptor ait: "Quoniam tamquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram" (Sap. 11, 23). "Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei" (Is. 40, 17).

b) Unde Deus est *omnium rerum principium et finis;* "ego ipse, ego primus, et ego novissimus" (Is. 48, 12); "ego sum Alpha et Omega, principium et finis, dicit Dominus Deus" (Apoc. 1, 8); omnia vero alia sunt ex ipso et per ipsum et in ipsum (cf. Rom. 11, 36; I Cor. 8, 6; Col. 1, 16, 17). Jamvero si mundum non ex nihilo condidisset, profecto Deus non esset omnium rerum principium et finis, neque omnia ex Deo et per Deum et in Deum essent.

c) Quia omnia fecit, inde ipsius "est orbis terrarum et plenitudo ejus" (Ps. 49, 12; cf. 148, 5); *ipse est omnium dominus absolutus et*

independens (cf. I Par. 29, 11-14; Is. 44, 24; Judith, 16, 17), *dominus dominorum*—ὁ κύριος τῶν κυρίων (Dt. 10, 17; Ps. 135, 3; Esth. 13, 9, 10), *absolutum totius mundi dominium habens* (Mt. 11, 25; Act. 17, 24); quapropter *omnia serviunt ei:* "Adonai Domine, magnus es tu et praeclarus in virtute tua, et quem superare nemo potest. Tibi serviat omnis creatura, quia dixisti, et facta sunt; misisti spiritum tuum, et creata sunt, et non est qui resistat voci tuae" (Judith, 16, 16, 17). Hoc autem absolutum et prorsus illimitatum Dei dominium, quod inde ortum habere dicitur "quia omnia fecit," necessario supponit ipsam quoque mundanam substantiam fuisse a Deo ex nihilo conditam.

d) Unde ipsi etiam *Judaei,* non modo docti verum etiam rudiores, *firma semper fide tenebant mundum fuisse a Deo ex nihilo creatum;* quam communem fidem *Mater Machabaeorum* ita professa est: "Peto, nate, ut aspicias ad caelum et terram, et ad omnia quae in iis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus" (II Mach. 7, 29; cf. Esth. 13, 9 sqq.).

II. Mundum a solo Deo ex nihilo conditum esse, claro traditionis testimonio probatur.

21. Testimonium traditionis tum in *symbolis* tum in *scriptis SS. Patrum* continetur; in symbolis quidem quatenus in omnibus fit professio fidei "in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae," cum additione in nonnullis, "visibilium omnium et invisibilium" (cf. DB. 6, 13, 15, 19); in scriptis vero SS. Patrum, quatenus fidem in productionem mundi ex nihilo tum *doctrinaliter* tum *polemice* proponunt. Hoc SS. Patrum testimonium quibusdam textibus illustrasse sufficiet, cum eorum mens sit omnibus sat bene nota.

Doctrinaliter hanc fidem proponit a) *Pastor Hermae:* "Primum omnium crede unum esse Deum, qui omnia creavit et consummavit, ex non-ente ad esse omnia adducens" (Mand. 1, 1; *Funk,* I, 468).

b) *Aristides:* "Ad ipsa igitur elementa, o rex, accedamus, ut ea deos non esse demonstremus, sed corruptioni et mutationi subjecta, atque ex nihilo in ortum producta esse jussu veri Dei" (Apol. 4; MG. 96, 1100).

c) *S. Theophilus Antiochenus:* "Ac primo quidem (Prophetae) summo consensu docuere Deum ex nihilo omnia creasse" (Ad Autol. 2, 10; MG. 6, 1064).

d) *S. Irenaeus:* "Cum teneamus autem nos regulam veritatis, id est, quia sit unus Deus omnipotens qui omnia condidit per Verbum suum, et aptavit, et fecit ex eo quod non erat, ad hoc ut sint omnia" (Adv. Haer. 1, 22, 1; MG. 7, 669). Item: "Homines quidem de nihilo

non possunt aliquid facere, sed de materia subjacenti; Deus autem, quam homines hoc primo melior, eo quod materiam fabricationis suae, cum ante non esset, ipse adinvenit'' (Ibid. 2, 10, 4; MG. 7, 736).

e) *Tertullianus:* ''Quod colimus nos, Deus unus est; qui totam molem istam cum instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum majestatis suae'' (Apologet. 17; ML. 1, 375).

f) *S. Fulgentius:* ''Principaliter itaque tene omnem naturam, quae non est Trinitas Deus, ab ipsa sancta Trinitate, quae solus verus et aeternus Deus est, creatam ex nihilo'' (De Fide ad Petr. c. 3, n. 25; ML. 65, 683).

Polemice vero SS. Patres hanc doctrinam defendunt contra philosophos ethnicos, Gnosticos, et diversas haereticorum sectas. Ita,

a) *Auctor Cohortationis ad Graecos* (c. 250): ''Necessarium puto et hoc animadvertere, quod non creatorem illum (Deum) Plato, sed opificem appellat deorum; cum inter utrumque plurimum sit, ipsius Platonis judicio, discriminis. Creator enim, nulla re alia indigens, sua virtute et potestate id quod fit efficit; opifex vero, accepta a materia condendi facultate, opus suum construit'' (n. 22; MG. 6, 281).

b) *S. Theophilus Antiochenus:* ''Plato et qui eum sequuntur, Deum quidem fatentur ingenitum, et patrem et creatorem omnium esse; sed deinde statuunt duo esse ingenita, Deum et materiam, eamque Deo coaevam esse dicunt. Quod si Deus ingenitus et materia ingenita, non jam Deus creator est omnium secundum Platonicos, nec Dei constabit monarchia, quantum in ipsis est. Deinde quemadmodum Deus, quatenus ingenitus, etiam immutabilis est, ita et materia, si esset ingenita, immutabilis quoque et Deo aequalis foret; quod enim genitum est, verti et mutari potest, ingenitum autem nec verti potest nec mutari. Quid autem magni esset, si Deus ex materia subjecta mundum faceret? Opifex enim apud nos, cum materiam ab aliquo acceperit, ex ea quidquid placuerit effingit. Dei autem potentia in eo spectatur, ut ex nihilo faciat quaecumque voluerit'' (Ad Autol. 2, 4; MG. 6, 1052).

c) *Tertullianus:* ''Magna, bona fide, caecitas haereticorum pro hujusmodi argumentatione, cum ideo aut alium Deum bonum et optimum volunt credi, quia mali auctorem existimant creatorem; aut materiam cum creatore proponunt, ut malum a materia non a creatore deducant'' (Adv. Hermog. c. 10; ML. 2, 205).

d) *S. Hippolytus:* ''Deus solus cum esset, nihilque sibi coaevum haberet, voluit mundum efficere. Et mundum cogitans ac volens et dicens effecit; continuoque exstitit ei factus sicut voluit; et sicut voluit, perfecit. Satis igitur nobis est scire solum, nihil esse Deo coaevum. Nihil erat praeter ipsum'' (Adv. Noetum, n. 10; MG. 10, 817).

e) *S. Athanasius:* "Itaque hae dictiones: aliquando non erat, antequam nasceretur, quando, et similes aliae voculae, de rebus factis ac creatis quae ex nihilo sunt factae, aptissime dicuntur; sed de Verbo omnino sunt alienae" (Adv. Arianos, Orat. 1, n. 13; MG. 26, 40). Item: "Itaque si Deus quoque ipse ex materia res facere et componere dicatur; haec sane sententia gentilium est, artifexque non autem effector erit Deus" (Ibid. Orat. 2, n. 22; MG. 26, 147).

f) *S. Chrysostomus:* "Ille (Moyses) omnes haereses, quae sicut zizania pullulaturae erant in Ecclesia, eradicat per hoc quod dicit: 'In principio fecit Deus caelum et terram.' Unde si Manichaeus ad te accesserit dicens materiam praeexistere, si Marcion, si Valentinus, si gentiles, dic illis: 'In principio fecit Deus caelum et terram'" (In Gen. hom. 2, n. 3; MG. 53, 29).

g) *S. Augustinus:* "Conati sunt enim quidam persuadere Deum Patrem non esse omnipotentem; non quia hoc dicere ausi sunt, sed in suis traditionibus hoc sentire et credere convincuntur. Cum enim dicunt esse naturam quam Deus omnipotens non creaverit, de qua tamen istum mundum fabricaverit, quem pulchre ordinatum esse concedunt; ita omnipotentem Deum negant ut non eum credant mundum potuisse facere, nisi ad eum fabricandum alia natura, quae jam fuerat et quam ipse non fecerat, uteretur; carnali scilicet consuetudine videndi fabros et domorum structores et quoslibet opifices, qui nisi adjuventur parata materia, ad effectum suae artis pervenire non possunt" (De Fide et Symb. c. 2, n. 2; ML. 40, 181).

22. Scholion: Quomodo lumine rationis innotescat mundum a solo Deo ex nihilo conditum fuisse.

Ex supra dictis patet creationem mundi per solum Deum esse *dogma fidei,* ex revelatione cognitum et ab Ecclesia definitum; idipsum tamen simul etiam est *veritas naturalis,* ad quam ipsa ratio humana propriis viribus pertingere potest. Concedendum quidem videtur nullum inter veteres philosophos, ne *Aristotele* quidem excepto, hanc veritatem clare docuisse; at hoc non arguit eam esse humanae rationi imperviam, sed tantum hominis intellectum sibi relictum ad ejus conceptum non facile pervenire, quippe qui a conceptu cujusvis aliae productionis experientia cognitae est valde diversus. Nisi igitur ratio humana aliquo modo fide adjuvetur, veritatem creationis a nihilo non facile inveniet. Munus tamen fidei in subjecta materia non est "suppeditare principia demonstrationis, sed solum dirigere mentem ut ad sua nativa principia accuratius reflectens, eorumque analysim pleniorem instituens, notitiam hanc in iis contentam assequatur" (*Palmieri,* De Deo Creante, thes. 4).

Principia autem demonstrationis in casu reduci fere possunt ad *rationem sui sufficientem,* sine qua nullum ens existere potest. Hanc

enim rationem aliquod ens habet vel a se vel ab alio; si eam habet a se, ipsum est plane ens a se seu ipsum esse, cum ens seipsum producere nequeat. Jamvero ens a se necessario unicum est, cum eo ipso quod sit a se plenitudinem essendi in se contineat, sitque infinitum et summe independens. Igitur cum ipse Deus sit ens a se, eumque mundus sit a Deo distinctus, nihil relinquitur nisi quod fuerit a Deo productus. Non potuit tamen produci ex materia praejacente; nam de hac materia rediret eadem prorsus argumentatio, et sic in infinitum; qui processus in infinitum in causis physicis per se subordinatis plane repugnat. Quare nullum datur effugium ex hac ineluctabili conclusione, mundum videlicet fuisse a Deo ex nihilo creatum. Cf. *S. Thomas,* Sum. Theol. I, q. 44, a. 1; q. 45, a 2; *Palmieri,* op. cit. thes. 4; *Beraza,* op. cit. nn. 63 sqq.

Notasse forte juvat, non esse de fide ex ratione demonstrari posse mundum esse a Deo ex nihilo creatum; hoc enim neque in Sacra Scriptura neque in traditione clare continetur, neque ab Ecclesia definitum est. Unde in Actis *Concilii Vaticani* notatur: "Etsi in canone (cf. DB. 1785, 1806) legatur vocabulum 'Creator,' non ideo definitur creationem proprie dictam ratione demonstrari posse; sed retinetur vocabulum, quo Sacra Scriptura (Sap. 13, 5) hanc veritatem revelans utitur, nihil ad ejus sensum determinandum adjecto" (cf. *Granderath,* Const. Dogm. pp. 42 sqq.). Propositio tamen hanc demonstrabilitatem statuens est certa et communis sententia.

23. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Verbum *bara* non necessario significat productionem rei ex nihilo sui et subjecti: *Ergo* argumentum inde derivatum nihil probat.

Resp. Distinguo antecedens: Verbum *bara* vi vocis et ex se non necessario significat productionem rei ex nihilo, *C.* Neque prout in contextu superius explicato occurrit, *N.*

2° *Atqui* neque prout in illo contextu occurrit; nam priores duo versiculi hoc modo legi possunt: "In principio, quando creavit Deus caelum et terram, (terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi, et spiritus Dei ferebatur super aquas), dixit Deus: Fiat lux": *Atqui* hac lectione admissa, satis evidenter sermo est non de prima creatione sed de secunda: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Ista lectio est absolute possibilis, *C.* Est vere probabilis, *N.* Textus enim ut communiter construitur est valde simplex, et constructioni totius capitis omnino conformis; ab initio scilicet usque ad finem diversae sententiae et clausulae paratactice per "et . . . et . . . et" conjunguntur. E contrario ista parenthetica constructio non modo a concinnitate narrationis verum etiam ab ingenio linguae He-

braicae nimis abhorret. Praeterea istud "quando" absque omni solida ratione interponitur; quod enim *bereshith* sit in statu constructo, ita ut post illud vocabulum subaudiri debeat *asher,* gratis asseritur. Neque officit nostrae lectioni quod *bereshith* absque articulo scribatur; nam omissio articuli, etiam ubi designatur tempus absolutum, in Sacris Litteris sat usitata est (cf. *Pesch,* op. cit. n. 15).

3° Deus creavit mundum eo modo quo creavit animalia, necnon ventum, tenebras, et malum: Atqui haec omnia creavit ex praejacente materia (cf. Gen. 1, 21; Is. 45, 7; Amos, 4, 13): *Ergo.*

Resp. Distinguo majorem: Deus creavit mundum eodem modo, id est, cum eadem omnimoda independentia in operatione, cum qua creavit animalia, necnon ventum, tenebras, et malum, *C.* Etiam cum eodem respectu ad praejacentem materiam, *N.* Nam licet in textibus allegatis adhibeatur verbum *bara,* sicut etiam in Gen. 1, 1; tamen plena istius verbi significatio desumenda est non ex sola voce sed simul etiam ex contextu, ut in nostro argumento ostensum est. Insuper productio animalium, etc., recte dicitur creatio, quia Deus ipsam materiam, ex qua facta sunt, ex nihilo creavit.

4° *Atqui* Deus creavit mundum cum eodem respectu ad materiam praejacentem, quo creavit istas alias res; nam ipsa Sacra Scriptura testatur mundum esse factum ex materia informi (Sap. 11, 18), et visibilia esse ex invisibilibus (Hebr. 11, 3): *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem allatam dico: Sacra Scriptura loquens de creatione secunda testatur mundum factum esse ex materia informi, et visibilia esse ex invisibilibus, *C.* Etiam loquens de creatione absolute sumpta, ita ut intendat creationem primam, hoc testatur, *N.* Textus ex libro Sapientiae allegatus hic est: "Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quod quidam errantes colebant mutos serpentes et bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam; ut scirent quia per quae peccat quis, per haec et torquetur. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones, etc." Haec autem animalia facta fuere per creationem secundam, et ideo cum sacer scriptor referat ad creationem mundi, merito intelligitur prae mente habere Gen. 1, 2, secundum quem textum ipse mundus jam ex nihilo creatus in secunda creatione effectus est ex *thohu va bohu,* seu ex materia inani et vacua. Igitur non de prima sed de secunda mundi creatione loquitur.

Alter autem textus (Hebr. 11, 3) sic legitur: "Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent." Per invisibilia in hoc textu *S. Thomas* (I, q. 65, a. 4 ad 1) intelligit

mundum exemplarem in mente divina, et ideo mundus realis reapse dicitur factus ex nihilo. Alii tamen per invisibilia intelligunt ipsum nihilum, cui quidem interpretationi favet textus originalis, nimirum: Πίστει νοοῦμεν . . . τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, id est, fide cognoscimus . . . non ex aspectabilibus facta esse visibilia; materia autem non aspectabilis reapse nulla est.

5° Nomen Jahve (ὁ ὤν), quod Deus sibi proprium vindicavit (Exod. 3, 13 sqq.) non significat Ipsum Esse, sed potius "fieri," "se manifestare," "fidelem esse": *Ergo* isto nomine illatio ex Gen. 1, 1, 2, non confirmatur.

Resp. Nego antecedens; nam Deus non "fit," et licet se manifestet et sit fidelis, tamen ex contextu constat illud nomen in textu allegato non hoc sensu adhiberi. Plena tamen solutio hujus difficultatis ex iis petenda est, quae de illo nomine in tractatu de Deo Uno disputari solent (cf. *Pesch,* Praelect. II, nn. 109 sqq).

6° Neque illatio ex Gen. 1, 1, 2 inde confirmatur, quod Deus dicitur absolutus omnium rerum dominus, et quod omnia entia serviunt ei; nam sufficiens utriusque fundamentum esset mundi formatio per ipsum: *Ergo.*

Resp. Nego antecedens, et ad rationem additam dico: Quatenus Dei dominium non etiam ad ipsam rerum substantiam sese extendere diceretur, neque entia ratione eorum substantiae ab ipso receptae ei servire deberent, sufficiens utriusque fundamentum esset mundi formatio per ipsum, *Tr.* Cum tamen ex textibus in argumento allatis plane constet Dei dominium ad ipsam rerum substantiam sese extendere, ita ut propterea omnia entia ei servire debeant, sufficiens utriusque fundamentum esset mundi formatio per ipsum, *N.* Dominium Dei ejusque jus in omnes res dicitur simpliciter absolutum et illimitatum, quale ex mera mundi formatione oriri non poterat.

7° Ex verbis matris Machabaeorum argumentum colligi nequit; nam imprimis illa mulier non erat inspirata; dein vero "ex nihilo," prout in textu occurrit, significare potest "ex nihilo sui," quin etiam significet "ex nihilo subjecti": *Ergo.*

Resp. Nego antecedens, et ad rationes additas dico: a) Non arguimus ex supposita inspiratione istius matris, sed ex eo quod "repleta sapientia" (v. 21) testata sit communem Judaeorum fidem quae ultimatim ex Sacris Litteris derivata est. b) Iste terminus "ex nihilo" in textu originali legitur, ἐξ οὐκ ὄντων, quo dicto significatur productio rei ex nihilo sui et subjecti. Unde notat Origenes: "Tertio, illud ex quo, tamquam ex praeexistente materia, oriantur alia, principium existimant illi qui materiam ingenitam, adstruunt. Secus vero

apud nos, qui credimus ex non entibus Deum entia fecisse (ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων τὰ ὄντα ἐποίησεν ὁ θεός), ut mater illa septem martyrum in Machabaeorum gestis docuit.'' (In Joan. 1, 18.)

Notandum.—Aliae difficultates, quae ex principiis rationis depromi solent, jam in philosophia solutae sunt. Cf. *Urraburu,* Cosm. pp. 183 sqq.

ARTICULUS III

De Ipso Creatore

THESIS II.—Creator mundi est Deus Trinus, non actione tripartita sed una communi creationis.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 45, a. 6; Petavius, *De Trinitate,* l. 4, c. 15, nn. 3, 4; Ruiz, *De Trinitate,* disp. 3, sect. 2; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 75 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 7; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 85 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 34 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 38 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* c. 1, s. 2, a. 2.

24. STATUS QUAESTIONIS.—Ex praecedente thesi habetur Deum esse creatorem mundi; cum tamen Deus sit *unus* simul et *trinus,* statim oritur quaestio sub quonam praecise respectu ipse debeat dici creator. Est autem Deus unus ratione naturae, et trinus ratione personarum; unde quaeratur oportet, quomodo ad actionem creandi sese habeant *ipsa Dei natura* et *divinae personae in ea subsistentes.* Insuper, cum nostro modo loquendi divina natura agat per *intellectum* et *voluntatem,* de hisce quoque in subjecta materia quaerendum erit. Tota igitur nostra quaestio versatur circa *principia creationis*—principium *quod,* principium *quo remotum,* principium *quo proximum;* eo tamen fine, ut principium quod creationis accurate determinetur.

25. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) Imprimis sedulo distinguendum est inter *creatorem* et *creantes.* Creator enim est nomen substantivum concretum, quod semper significat *personam simul et naturam;* personam nimirum in recto et naturam in obliquo. Hinc non possunt esse plures *creatores* in Deo, nisi etiam sint plures *naturae;* nam concreta substantiva non multiplicantur, nisi quatenus simul cum persona etiam multiplicatur ipsa natura in qua subsistit. Creans e contra vel *substantive* sumi potest vel *adjective.* Si substantive sumitur, idem significat ac *creator,* et hoc sensu propter rationem jam datam plures creantes in Deo admitti non possunt; si vero adjective sumitur, *solam personam agentem* signat, quin de ejus natura aliquid determinatum edicat, quocirca nihil obstat quominus hoc sensu plures *creantes* in Deo admittantur. Immo admitti debent; nam Pater creat, Filius

creat, Spiritus Sanctus creat—tres igitur creantes, sed unus dumtaxat creator.

b) Ultima igitur ratio ob quam Deus trinus sit unus creator, et quidem non obstante multiplicatione personarum creantium, ex *numerica divinae naturae identitate* desumenda est. Numerice eadem natura est in Patre, in Filio, et in Spiritu Sancto; quapropter unum dumtaxat habetur *concretum substantivum,* ideoque unum principium *quod* creationis. Cum hac autem natura inseparabiliter et necessario connexa est trinitas personarum; Deus enim essentialiter trinus est, et ideo si una eademque divina natura non esset per identitatem in tribus personis, simpliciter non esset Deus. Insuper trinitas personarum necessario connexa est cum actu creationis, qui proxime exercetur per Dei intellectum et voluntatem. Nam per actum intellectus, quo Deus dirigit opus externum creationis, natura prius generatur terminus internus substantialis, qui est ipse Filius; et per actum voluntatis, quo illud opus creationis exsequitur, natura prius procedit alius terminus internus substantialis, qui est Spiritus Sanctus. Unde saltem hoc sensu *divinae processiones,* ideoque ipsae *divinae personae,* actum creativum ingrediuntur.

c) Praeterea tamen tres divinae personae simul creant, et quidem *numerice una eademque actione,* ita ut numerice eandem causalitatem exerceant. Ad hoc intelligendum, prae mente habendum est quidnam sit in Deo principium *quo* creationis, tum *remotum* tum *proximum.* Si hoc duplex principium sit numerice idem relate ad tres personas divinas, omnes tres personae dicendae sunt creantes, et quidem actione una communi creationis. Si vero diversum sit pro diversis personis, vel non omnes tres creant vel actio creationis tripartita dicenda est, juxta partes singulis proprias.

d) Jamvero principium remotum creationis, sicut omnis divinae operationis ad extra, est *ipsa natura divina.* Haec quidem natura diverso modo est in diversis personis, est tamen ibi ut numerice una eademque natura. In Patre enim est ut *non communicata;* in Filio vero et Spiritu Sancto est ut respective per *generationem* et *spirationem communicata.* Hic tamen diversus modus eandem naturam habendi non constituit in diversis personis diversum principium quo remotum. Non enim *hoc modo* habendi illam naturam, sed *ipsa natura* ut re absoluta, utuntur tres creantes; eaque utuntur omnes tres simul, quia natura divina est ipsa Dei essentia, quae est communis tribus personis (cf. *S. Thomas,* I, q. 45, a. 6).

e) Porro principium quo proximum creationis constituitur divino *intellectu* et *voluntate,* ita ut intellectus sit principium *dirigens* opus creativum et voluntas principium *exsequens.* De hoc principio idem dicendum est, quod jam supra dictum est de principio remoto. Nu-

merice idem intellectus, et numerice eadem voluntas, est in Patre et in Filio et in Spiritu Sancto; utraque facultas est in Patre qua non communicata, in Filio vero et in Spiritu Sancto qua communicata. Quatenus istae facultates diverso modo habentur a singulis personis, dicuntur intellectus et voluntas *notionalis;* quatenus vero in se spectantur et sunt numerice eaedem in tribus personis, vocantur intellectus et voluntas *essentialis.* Simili quoque ratione scientia et volitio in *notionalem* et *essentialem* distinguuntur.

f) Attamen creatio ab intellectu et voluntate notionali procedere non potest; quia creantes utuntur, non *modo habendi facultates,* sed *ipsis facultatibus absolute sumptis.* Proinde eadem scientia, quae in Patre est directiva operis creativi, etiam in Filio et Spiritu Sancto ejusdem operis directiva est; et eadem voluntas, quae in Patre opus creativum exsequitur, idem quoque opus exsequitur in Filio et Spiritu Sancto. Unde *tres sunt quidem creantes,* quia ex natura rei tres distinctae personae in Deo ad hoc creationis opus requiruntur et ad illud de facto concurrunt; *sed unus tantum est creator,* quia principium quo creationis adaequate sumptum est iisdem tribus personis commune.

26. ADVERSARII.—Contra hanc thesim duo errores notari solent, qui sibi invicem extreme opponuntur. Juxta quosdam enim cognitio et amor essentialis non est practicus, et ideo principium quo proximum creationis a cognitione et amore notionali vel producto repetunt, non tamen omnes eodem modo. Ita *Henricus Gandavensis* (Quod l. 6, q. 2) cum aliis quibusdam docuit cognitionem et amorem productum, seu Filium et Spiritum Sanctum esse principium formale quo Pater producat creaturas; ipse tamen *Henricus* suam sententiam postea retractavit (cf. Sum. a. 54, q. 6; a. 60, q. 6). Deinde quidam *Raymundi Lullii* sectatores docuerunt cognitionem et amorem notionalem eo sensu esse principium quo proximum creationis, quo vere dici possit esse in creaturis aliquid creatum a solo Patre, aliquid a solo Filio, et aliquid a solo Spiritu Sancto, ita ut actio creativa sit reapse tripartita.

Huic sententiae, sive uno sive altero modo expositae, eorum placita extreme opponuntur, qui docent "pluralitatem personarum non esse per se requisitam ad productionem creaturarum, sed potius eodem modo potuisse Patrem solum absque Filio et Spiritu Sancto creaturas producere, sicut potuisset si Deus esset unica persona tantum, quemadmodum arbitrantur ethnici. Necessitas itaque ut concurrant tres personae, oritur tantum ex inseparabili concomitantia personarum, non ex quidditate causalitatis quae postulat distinctas personas" (*Ruiz,* De Trinitate, d. 3, a. 1).

Thesi etiam adversatur *Rosmini,* juxta quem Deus Pater abstrahit a Verbo aliquod esse initiale creaturarum, quod esse deinde per synthe-

sim cum formis finitis a se conceptis ita componit, ut entia realia finita inde resultent (cf. Decret. S. Off. 14 Dec. 1887; DB. 1891 sqq). Diversam pro personarum diversitate efficientiam in opere creationis etiam adstruunt *Guenther, Staudenmaier, Mastrofini,* alii (cf. *Kleutgen,* Theol. der Vorzeit, II, nn. 241, 249 sqq).

27. **NOTA.**—Tres divinas personas esse unum principium creationis, praescindendo a modo quo id constituant, est *de fide definita.* Imprimis enim *Conc. Lateran.,* sub *Martino I* (a. 649) habitum, statuit: "Si quis secundum SS. Patres non confitetur . . . unam eandemque (personarum) deitatem . . . voluntatem, operationem . . . creatricem omnium et protectricem, condemnatus sit" (DB. 254). Deinde juxta definitionem *Conc. Lateran. IV,* Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt "consubstantiales et coaequales et coomnipotentes et coaeterni, unum universorum principium" (DB. 428). Denique in *Conc. Florentino* dicitur: "Pater et Filius non sunt duo principia Spiritus Sancti, sed unum principium, sicut Pater et Filius et Spiritus Sanctus non tria principia creaturae, sed unum principium" (Decret. pro Jacobitis; DB. 704). In hisce tamen definitionbus non clare statuitur principium quo creationis esse aliquid tribus personis commune, ita ut nihil relativum in illud principium formaliter ingrediatur; et ideo nostra thesis, ut jacet, proponit *sententiam communem* et *certam,* non vero de fide tenendam.

28. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex **Sacra Scriptura.**—Sacra Scriptura totum opus creationis *modo Patri tribuit, modo Filio, modo Spiritui Sancto:* **Atqui** hoc supponit Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum esse creatorem, actione videlicet una communi creationis: **Ergo.**

Minor ex eo constat, quod effectus aliquis totus distinctis et diversis causis attribui nequit, nisi quatenus inter illas causas habetur subordinatio, ita ut una agat ut causa principalis et reliquae ut causae instrumentales, vel quatenus illae diversae causae eundem effectum sub diversis rationibus attingant; jamvero utrumque in divinis repugnat. Primum quidem, quia divinae personae sunt consubstantiales et coaequales, ideoque subordinationis incapaces; alterum vero, quia divinae personae agunt per numerice eandem naturam, cui totus effectus assimilatur.

Major probatur per textus huc spectantes, qui quoad Patrem et Filium assertum nostrum directe probant, quoad Spiritum Sanctum vero indirecte. Ita opus creationis tribuitur,

a) *Deo Patri:* "Qui (discipuli) cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt: Domine, tu es qui fecisti caelum, et terram, mare, et omnia quae in eis sunt: qui Spiritu Sancto

per os patris nostri David, pueri tui dixisti: . . .'' (Act. 4, 24, 25). Item: ''Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae'' (Lc. 10, 21).

b) *Deo Filio:* ''Tu in principio, Domine (significans Filium), terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli'' (Hebr. 1, 10). Item: ''Omnia per ipsum (Filium) facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est'' (Jo. 1, 3). Cf. Col. 1, 15, 16.

c) *Deo Patri et Deo Filio simul:* ''Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum'' (I Cor. 8, 6).

d) *Deo Spiritui:* Imprimis eo ipso quod opus creationis tribuitur Patri et Filio, id implicite etiam tribuitur Spiritui Sancto; quia opus ad extra Patri et Filio commune etiam Spiritui Sancto commune esse debet, cum ejus principium quo sit ipsa natura divina, quae est numerice eadem in tribus personis. Deinde alia Dei opera ad extra indiscriminatim tribuuntur tribus personis tamquam eorum causis. Ita ex Patre habemus omnem benedictionem spiritualem (Eph. 1, 3), per Filium habemus adoptionem filiorum (Ibid. 1, 5), per Spiritum Sanctum habemus supernaturalia dona; unde merito concluditur, sicut alia Dei opera ad extra, ita etiam opus creationis esse Patri et Filio et Spiritui Sancto tribuendum.

29. *Confirmatur* hoc argumentum ex iis quoque locis, ubi Christus dicit: ''Non potest Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit'' (Jo. 5, 19). ''Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt'' (Jo. 16, 15). ''Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur'' (Jo. 16, 13). Ultima enim ratio ob quam Filius non potest facere quidquam, ''nisi quod viderit Patrem facientem,'' et Spiritus Sanctus non loquetur a semetipso, ''sed quaecumque audiet loquetur,'' ex eo petenda est, quod divinae personae omne opus ad extra eadem potentia et operatione exsequantur. Cf. *Beraza,* op. cit. n. 90.

30. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex dictis **SS. Patrum.**—SS. Patres nostram doctrinam ex *unitate divinae naturae* vel etiam ex *circuminsessione personarum inferre solent, eamque data occasione clare proponunt:* **Atqui** hac in re SS. Patrum auctoritas plane admittenda est: **Ergo.**

Minor probatione non indiget, cum ex alibi probatis satis constet. —*Major* vero hisce textibus probatur.

a) *S. Athanasius:* ''Una Trinitatis efficientia esse ostenditur'' (Epist. ad Serap. n. 31).

b) *S. Ephraem Syrus:* "Pater factor qui fecit mundum e nihilo, Filius creator qui universa condidit cum genitore suo. Spiritus Sanctus paracletus et miserator, quo perficitur omne quod fuit et erit et est; Pater mens, Filius autem verbum, Spiritus vox, tria nomina, una voluntas, una potestas" (Hymnus de defunctis et Trinitate, 11; La 3, 242).

c) *S. Basilius:* "Quorum eaedem sunt operationes, horum quoque substantia una. Operatio autem Patris et Filii una est, velut illud: Faciamus hominem; et rursus: Quaecumque enim Pater facit, haec et Filius similiter facit" (Adv. Eunom. l. 4, n. 1; MG. 44, 1148).

d) *Didymus Alexandrinus:* "Ejusdem operationis esse Spiritum Sanctum cujus est Pater et Filius, et in eadem operatione unam esse substantiam; et reciproce eorum quae ὁμοούσια sunt, operationem quoque non esse diversam (constat)" (De Spiritu Sancto, n. 32; MG. 39, 1062).

e) *S. Cyrillus Alexandrinus:* "Unius deitatis natura in sancta et consubstantiali Trinitate . . . agnoscitur. Et est quidem secundum propriam hypostasim perfectissimus Pater, Filius similter et Spiritus; sed unius horum creatrix voluntas, quacumque in re versari dicatur, efficacitas quidem est ipsius, verumtamen omnem divinitatem permeat et supernaturalis substantiae est commune veluti quoddam opus, . . . Dixi enim quod cum sint tres hypostases peculiariter simul et invicem proxime utpote in una deitatis natura, unius operatio Personae etiam totius dicetur substantiae et uniuscujusque Personae seorsum" (De Trinit. dial. 6; MG. 75, 1053).

f) *S. Augustinus:* "Sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus creator et unus dominus, sic relative ad Spiritum Sanctum unum principium, ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum principium, sicut unus creator et unus dominus" (De Trinit. l. 5, c. 14; ML. 42, 921).

g) *S. Joannes Damascenus:* "Cum (divinae) personae non quaeque sibi proprio modo neque sibi propria electione ac divisione singulae velint et operentur, sed ut unum sunt, non tres dii, sed unus est Deus" (De Duab. Volunt. n. 7; MG. 95, 131).

31. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex ratione theologica.—In SS. Trinitate *omnia sunt communia praeter relationem originis:* **Atqui** creatio non est relatio originis divinarum personarum: **Ergo** est communis tribus personis, ideoque creator mundi est Deus Trinus actione una communi creationis.

Major est axioma a theologis acceptum, et auctoritate SS. Patrum probatum.—*Minor* satis patet, cum creatio sit opus ad extra; relatio enim originis non habetur nisi inter divinae scientiae et voluntatis

terminos internos respectu eorum principii producentis. Hi quidem termini requiruntur, quia sine eis Deus non esset dicens et volens; sed relatio originis sic habita, quae opere externo ratione prior est, ipsum opus vel operationem ad extra non ingreditur.

32. Scholion: Qua ratione opus creationis Deo Patri appropriari possit.

Tum in Sacris Litteris tum in scriptis SS. Patrum creatio haud raro ita tribuitur Deo Patri, ac si ille prae Filio et Spiritu Sancto esset sensu aliquo speciali mundi creator. In hoc tamen modo loquendi non habetur nisi appropriatio quaedam, cujus rationem ita exponit *S. Thomas:* "Sicut natura divina, licet sit communis tribus personis, ordine tamen quodam eis convenit, in quantum Filius accipit naturam divinam a Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque; ita etiam virtus creandi, licet sit communis tribus personis, ordine tamen quodam eis convenit. Nam Filius habet eam a Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque. Unde creatorem esse attribuitur Patri ut ei qui non habet virtutem creandi ab alio. De Filio autem dicitur Joan. 1, 3: Per quem omnia facta sunt, in quantum habet eandem virtutem, sed ab alio; nam haec praepositio, per, solet denotare causam mediam, sive principium de principio. Sed Spiritui Sancto, qui habet eandem virtutem ab utroque, attribuitur quod dominando gubernet et vivificet quae sunt creata a Patre per Filium. Potest enim hujus attributionis communis ratio accipi ex appropriatione essentialium attributorum. Nam sicut supra dictum est (q. 39, a. 8 ad 3), Patri attribuitur et appropriatur potentia, quae maxime manifestatur in creatione; et ideo attribuitur Patri creatorem esse. Filio autem appropriatur sapientia, per quam agens per intellectum operatur, et ideo dicitur de Filio: Per quem omnia facta sunt. Spiritui Sancto autem appropriatur bonitas, ad quam pertinet gubernatio deducens res in debitos fines, et vivificatio; nam vita in interiore quodam motu consistit; primum autem movens est finis et bonitas" (Sum. Theol. I, q. 45, a. 6 ad 2).

33. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Sunt in Deo tres creantes: *Atqui* ubi sunt tres creantes, ibi actio creationis tripartita est: *Ergo.*

Resp. Distinguo majorem: Sunt in Deo tres creantes, utentes numerice eodem principio quo creationis, *C.* Utentes diversis principiis quibus creationis, *N.* Creator est concretum substantivum, quod dicit tres personas creantes, sed unam formam, seu principium quo, ratione cujus actio est stricte una et indivisibilis.

2°. *Atqui* tres personae creantes non utuntur eodem principio quo; nam *Conc. Oecum.* V, Sacram Scripturam (I Cor. 8, 6) sequens, ait: "Unus enim Deus et Pater, ex quo omnia; et unus Dominus Jesus

Christus, per quem omnia; et unus Spiritus Sanctus, in quo omnia'' (can. 1; DB. 213): Atqui hae praepositiones, ''ex,'' ''per,'' ''in,'' partialitatem effectus designant, quae satis obvie a personarum proprietatibus petenda est: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Concedo majorem, et nego minorem. Nam istae praepositiones non designant partialitatem effectus, sed potius quomodo eadem virtus creatrix sit in singulis personis divinis, ut jam supra (n. 32) audivimus a *S. Thoma.* In Patre enim haec virtus est tamquam in principio sine principio, ex quo igitur omnia fiunt; in Filio tamquam in verbo, per quod omnia fiunt; in Spiritu Sancto tamquam in bonitate finis, in quo omnia perficiuntur. Insuper, licet concilium allegatum in his secutum sit Sacram Scripturam, ipsa tamen Sacra Scriptura illas praepositiones promiscue adhibet pro omnibus personis ad earum operationem ad extra designandam. Ita de Patre praeter praepositionem *ex,* etiam adhibetur *per* (cf. I Cor. 1, 9; Gal. 1, 1); de Filio praeter *per,* tum *in* et *ex* (cf. Ephes. 4, 15; Col. 1, 15, 16); de Spiritu Sancto praeter *in,* etiam *ex* et *per* (cf. I Cor. 12, 8; Jo. 3, 6; Mt. 1, 20).

3° Juxta omnes omnino theologos, personae procedentes requiruntur ut Deus possit creare: *Atqui* hujus necessitatis non alia videtur esse ratio, nisi quod singulae personae creent causalitate non eadem in tribus sed diversa in singulis, ideoque actione tripartita: *Ergo.*

Resp. Transmitto majorem, et nego minorem. Nam personae procedentes requiruntur, primo, ut sit Deus cujus creare est proprium; Deus enim per suam essentiam trinus est: secundo, ut Deus, cujus est creare, sit dicens et volens; nam ratione prius quam Trinitas concipi possit operans ad extra, debet concipi cum terminis productionis internae. Unde processiones personarum sunt quidem rationes productionis creaturarum, non tamen tres personae ex propriis creant, neque secundum id quod ipsis est proprium adaequatum creationis principium constituunt, cum id totum in eo contineatur quod est tribus commune. Quare *S. Thomas* ponit: ''Processiones personarum sunt rationes productionis creaturarum, in quantum includunt essentialia attributa, quae sunt scientia et voluntas'' (Sum. Theol. I, q. 45, a. 6).

4° Singulae tres personae sunt per se omnipotentes, ideoque singulae per se creare possunt: *Atqui* tres personae per se singulas creantes sunt tres creatores: *Ergo* Deus Trinus non est unus creator.

Resp. Distinguo majorem: Singulae tres personae sunt per se omnipotentes, quatenus singulae in concreto eandem divinam naturam necnon scientiam et voluntatem includunt, *C.* Quatenus singulae in abstracto concipiuntur, secundum quod videlicet sunt ab invicem re-

aliter distinctae, *N.* Quapropter solum secundum hanc distinctionem singulae creare possunt; sic autem non habentur tres creatores, sed unus dumtaxat.

ARTICULUS IV

De Incommunicabilitate Virtutis Creatricis

THESIS III.—Virtus creandi adeo stricte Dei propria est, ut nulli creaturae, sive tamquam causae principali sive tamquam causae instrumentali creationis, communicari possit.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* q. 45, a. 5; *In II Sent.* d. 1, q. 1, a. 3; *Cont. Gent.* l. 2, c. 21; *De Potent,* q. 3, a. 4; Scotus, *In IV Sent.* d. 1, q. 1; *De Rerum Princip.* q. 6; Suarez, *Metaphysica,* disp. 20; Vasquez, *In I,* disp. 175, c. 1; De Valentia, t. I, disp. 3, q. 2, p. 4; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 151 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 6; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 37 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 24 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 48 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 1, s. 2, a. 5.

34. STATUS QUAESTIONIS.—In prima thesi probavimus mundum fuisse a solo Deo ex nihilo conditum; unde cum hic de communicatione virtutis creatricis quaeritur, non de *facto* sed de *sola possibilitate* quaestio moveri potest. Statuitur autem in thesi hujusmodi possibilitatem admitti non posse, neque respectu causalitatis *principalis* neque respectu causalitatis *instrumentalis.* Igitur non modo solus Deus creavit, sed insuper solus Deus creare potest.

35. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) Respectu causae *principalis,* virtus creandi *tripliciter* considerari potest: Primo quidem, ita ut in operando sit *omnimode independens,* ideoque ut nullo concursu indigeat; secundo vero, ita ut sit quidem dependens a concursu aliquo, scilicet divino, simul tamen *sese extendat ad omnia creabilia;* tertio demum, ita ut non modo sit dependens a concursu divino verum etiam *limitetur ad certum ordinem rerum creabilium,* ideoque ad alia ultra hunc ordinem sese non extendat.

b) Primo modo virtus creandi evidenter communicari non potest, cum omne ens creatum suapte natura sicut in essendo ita quoque in operando a Deo dependeat; unde hujusmodi communicatio non consideratur in thesi. Igitur nostra investigatio ad *secundum* et *tertium* modum, quo virtus creandi considerari potest, restringitur; et haec restrictio respectu *utriusque causalitatis,* principalis videlicet et instrumentalis, intelligenda est.

c) Causa *principalis* alicujus effectus ea dicitur, quae operatur per virtutem sibi insitam, ita ut *vi propriae suae formae effectum attingat ipsique formae ille effectus assimiletur.* Insita illa virtus

potest ei esse vel ex natura innata vel praeter omnem naturalem exigentiam ex dono concessa, ideoque vel *naturalis* esse potest vel *supernaturalis*. In utroque tamen casu haec virtus agenti propria est, ita ut effectus ipsi tribuendus sit. Ita homini innata est vis cogitandi, volendi, sentiendi, ambulandi; quae igitur vis quodammodo cum ipsa hominis natura identificatur. Ex dono praeter omnem naturalem exigentiam ei concessa est gratia, vi cujus effectum salutarem ponit. Ad hunc effectum producendum, ei quidem cooperatur Deus concursu speciali, sicut in ordine naturae ei cooperatur concursu generali; sed ipse homo per virtutem formae suae supernaturalis totum effectum attingit. Quare in hoc non minus quam in illo casu est ipsius effectus causa *principalis*.

d) Hanc rem nitide exponit *De Valentia,* qui ait: "Sciendum est, principalem causam eam dici quae secundum virtutem, in ipsa existentem, potest effectum attingere, sive illa virtus in illa existens sit supra naturam, sive praeter naturam ejus, sive naturalis et naturae ejus proportionata. Nam et contingit esse quasdam causas principales per virtutem supernaturalem. Ut cum homo per habitus supernaturales producit actus supernaturales in intellectu et voluntate. Itaque quaestio est, utrum per potentiam Dei absolutam queat aliqua creatura quidpiam creare per virtutem suam ad id sufficientem: sive ea virtus ei, supra vel praeter naturam ipsius, a Deo communicetur, sive sit ei naturalis: ut si Deus praeter creaturas omnes, quae jam sunt, conderet aliquam creaturam praestantissimam quae esset tali virtute naturaliter praedita" (disp. 3, q. 2, p. 4).

e) Causa autem *instrumentalis* alicujus effectus ea dicitur, quae *ab alio mota et applicata effectum attingit, eumque non sibi sed principali agenti assimilat.* Haec "non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum, quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quae est in mente artificis" (*S. Thomas,* III, q. 62, a. 1). Omnis instrumentalis causa "habet duas actiones, unam instrumentalem, secundum quam non operatur in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quae competit ei secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum in quantum est instrumentum artis; non autem perficit instrumentalem actionem nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim facit lectum" (Ibid. ad 2).

f) Circa operationem causae instrumentalis haec *tria* notanda sunt, quae ex *S. Thoma* colligi possunt: *Primum,* causa secunda instrumentalis non participat actionem causae superioris, nisi in quantum per aliquid *sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis*

agentis. "Si igitur nihil ibi ageret secundum illud quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum" (Sum. Theol. I, q. 45, a. 5). *Secundum*, instrumentum "non perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam: scindendo enim (securis) facit lectum" (Ibid. III, q. 62, a. 1 ad 2). *Tertium,* "actio alicujus, etiamsi sit ejus ut instrumenti, oportet ut ab ejus potentia egrediatur"; et ideo *actio instrumenti propria cum actione ipsius instrumentali actionem per se unam constituit,* ita ut *actio instrumentalis non sit nisi actionis ipsius instrumenti propriae modificatio quaedam atque elevatio.* Ita v. g. extensio atramenti, quae est propria calami operatio, per virtutem instrumentalem ad ordinatam litterarum compositionem elevatur.

g) Ad hoc igitur ut creatura tamquam causa instrumentalis in creatione a Deo adhibeatur, debet ipsius operatio naturalis ita per Dei influxum elevari, ut *ex se ipsa aliquid conferat ad ens ex nihilo sui et subjecti producendum.* Haec ergo instrumentalis operatio toto caelo differt ab *actione medii,* quae aliquando etiam operatio instrumentalis vocatur. Medium enim in ipso effectu producendo nihil operatur, licet quodammodo transmittat operationem alterius agentis. Ita v. g. Si Christus, Lazarum per se ipsum suscitaturus, dixisset Petro: "Accedas ad sepulcrum et dicas: 'Lazare, veni foras,'" transmissio mandati fuisset Petri, suscitatio vero Lazari fuisset solius Christi. Petrus potuisset dici *medium* istius suscitationis, non autem veri nominis *causa instrumentalis.*

h) Hisce igitur expositis, thesim probationis causa in duas partes dividimus: I. *Nulla creatura potest esse principalis causa creationis;* II. *Nulla creatura potest esse instrumentalis causa creationis.* Intelligimus autem solam causam *physicam,* non etiam *moralem;* nam creaturam posse per preces suas impetrare a Deo ut ipse aliquod ens creet, manifestum est.

36. **ADVERSARII.**—Primam partem thesis olim impugnabant *Durandus* (In II Sent. d. 1, q. 4) et *Biel* (In II Sent. d. 1, q. 4), qui docuerunt virtutem creandi ad certum ordinem rerum creabilium limitatam posse creaturae a Deo communicari. Eos hoc sensu alii quidam secuti sunt, quod dicerent hujusmodi communicationis repugnantiam demonstrari non posse. Ita fere *Ripalda* (De Ente Supernat. d. 7, s. 1, n. 10), et *Arriaga* (Physic. d. 11, s. 6, n. 2).

Alteri parti adversatur *Magister Sententiarum* (IV, d. 5, n. 3), quem in suis Commentariis secutus est *S. Thomas* (cf. In IV Sent. d. 5, q. 4; In II, d. 1, q. 1, a. 3), qui postea vero (Sum. Theol. I, q. 45, a. 5; De potent. q. 3, a. 4) contrarium docuit. Inter adversarios hujus partis etiam enumeratur *Suarezius* qui negat causam instrumentalem necessario aliquid ex propriis ad effectum principalis causae conferre, et ideo censet nihil obstare quominus creatura secundum potentiam

obedientialem in creatione tamquam causa instrumentalis a Deo adhibeatur. De hac tamen sententia quaedam infra in scholio proponentur.

37. **NOTA.**—Prima pars theseos proponit sententiam *communem* et *certam;* altera vero pars, sententiam *multo communiorem* et *vix non certam.*

I. Nulla creatura potest esse principalis causa creationis.

38. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex dictis SS. Patrum.**—SS. Patres unanimiter docent virtutem creandi adeo stricte esse Dei propriam, ut *nulla creatura habere possit vim creandi vel minimam rem:* **Atqui** in hujusmodi re doctrinali auctoritas SS. Patrum firmum suppeditat argumentum. **Ergo.**

Minor constat ex theologia fundamentali.—*Major* probatur ex Patrum scriptis; in iis enim docent virtutem creandi esse *simpliciter divinam;* unde Verbum, eo ipso quod hac virtute praeditum sit, esse *verum Deum;* immo creaturam non magis posse *aliquam rem creare* quam possit *creare seipsam.* Quae quidem puncta ex hisce textibus satis constabunt.

a) *S. Athanasius:* "Qui enim fieri queat, ut (Filius) ea, quae non sunt, efficiat ut sint, si, ut putatis, factus e nihilo est? . . . Nulla enim rerum, quae factae sunt, causa est creatrix. . . . Neque enim vel angeli possunt creare, cum ipsi sint creati, licet ita senserint Valentinus, Marcion, Basilides, quorum vos (Ariani) estis aemulatores. . . . Administrare rerum factarum est tamquam servorum, res vero producere et creare solius Dei est propriique ejus Verbi et Sapientiae" (Orat. 2 contra Arian. nn. 21, 27; MG. 26, 190, 203).

b) *S. Basilius:* "Si Filius creatura Dei est, omnis autem creatura Creatoris serva, Christus Dei servus est, non Filius. Non igitur sumpsit formam servi, cum esset Dominus, sed erat servus. Potestas eadem non communis est facturae cum factore; nihil ergo commune est Patri cum Filio, ne creatio quidem, si factura, non genitura Filius est" (Adv. Eunomium, c. 4, n. 3; MG. 29, 688).

c) *S. Cyrillus Alex.:* "Repugnat maxime divinae gloriae putare, quod aliis insit facultas procreandi et in lucem edendi quae non erant. Neque enim fas est dicere, quae singularia et propria sunt divinae ineffabilis naturae, ea posse naturaliter inesse rebus a se conditis. Sed hoc ei praesertim solique competit et ad summam ejus gloriam pertinet, cum creaturae praeclusus sit aditus ad ea quae supremae substantiae soli et proprie competunt, cujusmodi est creandi vis et in lucem edendi quae aliquando non erant" (Contra Julian. l. 2; MG. 76, 596).

d) *S. Joannes Damascenus:* "Quotquot autem sunt, qui substantiam ullam, quaecumque tandem illa sit, ab angelis creatam esse contendunt, horum ore diabolus loquitur. Cum enim creaturae sint, rerum minime conditores sunt" (De Fide Orthod. l. 2, c. 3; MG. 94, 873).

e) *S. Augustinus:* "Angeli nullam omnino possunt creare naturam, solus enim unus cujuslibet naturae seu magnae seu minimae creator est Deus. . . . Creare autem naturam tam nullus angelus potest quam nec seipsum" (De Gen. ad Litt. l. 9, c. 15, nn. 26, 28; ML. 34, 403).

Simili modo et alii arguunt, qui aliqua ratione hanc rem tetigerint; ita v. g. *Theodoretus* (Haer. fab. com, p. l. 5, c. 5; MG. 83, 464), *S. Ambrosius* (Hexaem. l. 3, c. 7, n. 32; ML. 14, 169), *S. Fulgentius* (Ad Trasim. l. 3, c. 35; ML. 65, 300).

39. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex ratione.—Virtus creandi est *simpliciter infinita:* **Atqui** virtus simpliciter infinita nulli creaturae competere valet: **Ergo.**

Minor satis patet; nam virtus quae alicui naturae inest vel etiam inesse potest, eidem naturae aliqua ratione proportionari debet; jamvero inter naturam creatam, ideoque finitam, et virtutem simpliciter infinitam nulla prorsus proportio habetur.

Major hisce rationibus probatur: a) Virtus creandi formaliter versatur, non circa ens tale, sed circa *ens in quantum est ens,* ideoque ratione sui objecti ad omnia omnino possibilia sese extendit; hujusmodi autem virtutem esse simpliciter infinitam satis manifestum est, cum sit virtus effectiva actu existens et infinitam objectorum multitudinem causaliter in se conprehendens. b) Virtus creandi est vis effectiva spiritualis, quae ex se non ad hoc vel illud ens producendum restringi potest, sed ex suapte natura ad omnia creabilia producenda hic et nunc expedita esse debet; talis autem virtus prorsus illimitata seu simpliciter infinita est. c) Perfectio virtutis, qua effectus aliquis producitur, dimetienda est ex disproportione quae effectum producendum inter et terminum a quo intercedit; jamvero terminus a quo in creatione negativus est, effectus vero producendus est positivus, ideoque nulla inter eos proportio habetur, seu disproportio inter eos infinita est. Cf. *Beraza,* nn. 159 sqq.; *Pesch,* nn. 29, 30.

40. *Confirmari* potest haec pars ex facto certe admittendo, in hoc ordine nullam creaturam quidquam creasse; "nam omnis potentia naturalis aliquando transit in suum actum, quem naturaliter appetit. Cum autem Deus omnis generis creaturas produxerit ad manifestandas perfectiones suas, immo ad participationem intimam bonorum divinorum eas admiserit, non est rationi congruum admittere Deum solum-

modo ideo potentiam creandi omnibus creaturis denegasse, quia noluit eam communicare. Ergo magis rationabile est dicere hanc potentiam esse incommunicabilem'' (*Pesch,* n. 28).

II. Nulla creatura potest esse instrumentalis causa creationis.

41. ARGUMENTUM: ex ratione.—Omnis causa instrumentalis debet aliquid *ex propriis ad effectum producendum conferre:* **Atqui** nulla creatura aliquid ex propriis ad effectum creationis conferre potest: **Ergo.**

Major patet ex conceptu causae instrumentalis; illud enim quod ex propriis nihil ad effectum producendum conferret, omnino frustra adhiberetur ad actionem ponendam, ut jam supra (n. 35, f) expositum est.

Minor ex ipsa rei natura liquet; nam creatura, tamquam instrumentalis causa creationis, aliquid ex propriis conferret vel ad ipsam productionem ex nihilo, vel ad modificandam actionem causae principalis, vel ad praeparandum subjectum creabile: at primum admitti nequit, quia nulla est proportio inter creaturam et productionem ex nihilo, ut jam in praecedente parte ostensum est; neque alterum admitti potest, quia Deus creat per actum voluntatis, in quem nulla creatura influxum physicum exercere valet; neque demum admitti potest illud tertium, quia subjectum creabile ante ipsum creationis actum nondum est. Cf. *Mazzella,* op. cit. n. 116, *Pesch,* n. 33.

42. Scholion I: Num creatura secundum potentiam obedientialem adhiberi possit tamquam instrumentalis causa creationis.

Ad hanc quaestionem affirmative respondendum esse censet *Suarezius* (Metaphysica, disp. 20, sect. 3), quem et alii quidam secuti sunt. Admittunt illi nobiscum nullam creaturam adhiberi posse tamquam causam instrumentalem creationis secundum suam naturalem virtutem, et etiam nullam creaturam in se suscipere posse virtutem supernaturalem per quam connaturaliter ad creationem concurrat; sed putant Deum posse ipsam creaturae entitatem ita extrinsece elevare, ut per eam aliquo modo concurrentem creationis effectum ponere queat. Ipse *Suarezius* suam sententiam ita exponit: ''Si verum esset creaturam aut nullo modo posse . . . elevari divina virtute ad agendum aliquid vera actione physica quod suam naturalem potentiam et virtutem excedat, aut nonnisi per virtutem aliquam in ipsa receptam quae connaturalem vim habeat ad talem effectum, quod multi theologi opinantur, et non improbabiliter; si hoc, inquam, est verum, satis consequenter et optime dicitur non posse creaturam elevari ut sit instrumentum creationis. Si autem Deus potest elevare creaturam ut per suammet entitatem, absque alia superaddita, efficiat effectum exceden-

tem virtutem suam naturalem, quod ego longe probabilius judico (sic enim existimo elevari aquam ad efficiendam gratiam, et ignem ad torquendos spiritus, et verba ad transsubstantiandum), si hoc, inquam, est verum, non video qua rationis consequentia negari valeat posse Deum uti una creatura ut instrumento ad creandum aliam. Quia neque sufficiens ratio differentiae assignatur, neque affertur specialis aliqua ratio qua hoc probetur impossibile'' (Ibid. n. 7).

Fere communis tamen theologorum consensus hanc *Doctoris Eximii* conclusionem impugnat, et quidem propter rationes in ipsa hac thesi assignatas. Nisi enim creatura per aliquid sibi proprium vel dispositive vel determinative operetur ad effectum ab agente superiore ponendum, rationem causae instrumentalis non habet; hujusmodi autem operationi ex parte creaturae non esse locum in creatione, ex superius probatis abunde constat. Igitur quidquid aliquis forte teneat circa illam extrinsecam elevationem a *Suarezio* propugnatam, satis manifestum videtur non ''posse Deum uti una creatura ut instrumento ad creandum aliam,'' sive naturalis istius creaturae virtus sive ejus obedientialis potentia consideretur. Cf. *Beraza,* nn. 169 sqq.

43. Scholion II: Quibus rationibus S. Thomas hanc thesim probet.

In *Summa Theologica* (I, q. 45, a. 5) hoc generale argumentum adhibet: ''Oportet universaliores effectus in universaliores et priores causas reducere. Inter omnes autem effectus universalissimum est ipsum esse. Unde oportet quod sit proprius effectus primae et universalissimae causae, quae Deus est.'' In tractatu vero qui *De Potentia* inscribitur, hanc rem enucleatius exponit, et *quinque* assignat rationes, ob quas creatura neque ut causa principalis neque ut causa instrumentalis creare possit. *Prima* est, quod potentia facientis proportionatur distantiae inter terminum a quo et terminum ad quem; haec autem distantia, utpote inter nihilum et ens, est infinita. *Altera,* quod res creata fit secundum totam substantiam, et ideo etiam creans agere debet secundum totam substantiam, quod solius infinitae virtutis est. *Tertia,* quod ille solus creare potest cujus actio non est accidens sed substantia ipsius, quodcumque enim agens suam actionem in se tamquam materiam recipit, etiam in eo quod facit materiam recipientem praerequirit. *Quarta,* quod nulla sit proportio non-entis ad ens, et ideo sola infinita potentia ens a non-ente producere valet. *Quinta,* quod causae secundae a prima causa recipiunt non solam virtutem agendi sed etiam modum et ordinem agendi, modus autem actionis dependet a materia quae in se recipit actionem agentis, et ideo solius primi agentis est sine materia praesupposita agere et aliis quibuscumque agentibus materiam ministrare. Propter has denique rationes ipse Sanctus Doctor statuit:

"Impossibile est quod aliqua creatura ad creationem operetur, etiam quasi instrumentum," id est, etiam per virtutem sibi supernaturaliter communicatam.

44. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Ultima ratio, tum a SS. Patribus tum etiam ex ratione adducta, ob quam creatura non possit esse principalis causa creationis, ex eo desumitur quod virtus creandi censetur infinita: *Atqui* per se haec virtus non necessario infinita est: *Ergo.*

Resp. Transmitto majorem, et nego minorem. Transmittitur major, quia ratio etiam exinde desumi potest, quod omne ens aliquam actionem sibi eo sensu propriam habere debet, quod ab aliis non possit participari; jamvero si ipsa quoque virtus creandi creaturis communicari posset, Deus reapse nllam actionem ad extra sibi propriam haberet.

2° *Probatur minor.* Omne ens superat non-ens propria sua entitate, quae quidem entitas in creatis semper finita est: *Atqui* inter entitatem finitam et non-ens disproportio non est infinita: *Ergo.*

Resp. Omne ens superat non-ens propria sua entitate, quatenus illa entitas tum perfectionem essentiae tum perfectionem existentiae importat, *C.* Quatenus illa entitas solam perfectionem essentiae importat, *N.* Videlicet in nostro argumento non instituitur comparatio inter imperfectionem essentiae non-entis et perfectionem essentiae entis, sed inter τὸ non esse existentiae et τὸ esse existentiae; et sic quidem habetur disproportio infinita, quam scilicet sola infinita potentia superare potest.

3° Potest creatura elevari ad actum entitative supernaturalem ponendum: *Ergo* potest etiam elevari ad effectum creationis producendum.

Resp. Potest creatura elevari ad actum entitative supernaturalem ponendum, ita ut in hoc actu attingat ipsam rationem entis, seu ut attingat eum in quantum hic actus formaliter est ens, *N.* Ita ut in hoc actu non attingat nisi taleitatem entis, seu ut attingat eum in quantum hic actus est tale ens, *C.* Cum omni actione causae secundae ipse Deus immediate concurrit tamquam causa prima, ita ut tum causa secunda tum causa prima totum actum attingat, sed aliter et aliter. Deus enim illum actum ponit praecise in quantum est ens, dum creatura eum specificat ut sit tale ens. Haec tamen clarius exponentur infra, ubi agendum erit de Dei concursu.

4° Saltem potest creatura esse instrumentalis causa creationis; nam humanitas Christi erat instrumentum in patratione miraculorum: *Atqui* nonnulla miracula a Christo patrata postulabant virtutem creatricem: *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: Humanitas Christi erat instrumentum morale in patratione miraculorum, *C.* Erat etiam instrumentum physicum, *N.* Disputatur quidem inter theologos utrum humanitas Christi fuerit instrumentum physicum an morale dumtaxat in miraculis ab eo patratis, sed communior et probabilior sententia solum moralem ejus instrumentalitatem tuetur (cf. De Verbo Incarnato, n. 352). Ceterum non habetur omnimoda paritas; nam miracula ista patrata sunt in subjecto praeexistente, hujusmodi autem subjectum non habetur in creatione ut ea hic intelligitur.

5° Sacramenta sunt causae instrumentales gratiae: *Atqui* productio gratiae aequivalet creationi: *Ergo.*

Resp. Sacramenta sunt causae instrumentales morales gratiae, *C.* Sunt etiam causae instrumentales physicae, *subd.* Secundum aliquos, *C.* Secundum sententiam communiorem et probabiliorem, *N.* Haec quaestio disputatur et solvitur in tractatu de Sacramentis in Genere (cf. nn. 91 sqq); sed etiam dato non concesso, sacramenta esse causas instrumentales physicas gratiae producendae, nihil tamen contra hanc nostram thesim inde sequeretur; gratia enim producitur in subjecto jam existente, quale in nostro nunc casu admitti nequit.

6° Instrumentum potest adhiberi quin ex suis propriis ad effectum producendum aliquid conferat: *Ergo* creatura potest esse instrumentum in actione creativa.

Resp. Instrumentum potest adhiberi quin ex suis propriis ad effectum producendum aliquid conferat, et sic non est nisi medium per quod principalis agentis actio transit, *C.* Et sic esset vera causa instrumentalis, *N.* Cf. superius (n. 35 g).

ARTICULUS V

De Libertate Creationis

THESIS IV.—Deus libere creavit mundum, et quidem non modo libertate contradictionis verum etiam libertate specificationis.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 25, aa. 5, 6; *In I Sent.* d. 43, q. 2, a. 3; *Cont. Gent.* l. 2, cc. 23 sqq.; *De Potent.* q. 1, a. 5; S. Bonaventura, *In I Sent.* d. 44, a. 1, qq. 1–3; Scotus, *Report.* d. 44, q. 2; Suarez, *Metaphysica,* d. 30, sect. 16; Vasquez, *In I* d. 106, cc. 3, 4; d. 107, cc. 1, 2; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 67 sqq.; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 96 sqq.; Muncunill, *De Deo Creatore,* 65 sqq.; Stentrup, *De Deo Uno,* thes. 47 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 40 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 52 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* c. 1, s. 2, a. 3; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 12.

45. STATUS QUAESTIONIS.—Facto creationis probato, stabilita quoque unica creationis causa, nunc quaeritur de *ipso creationis*

actu, utrum videlicet undequaque liber dicendus sit an aliquomodo necessarius. Et haec quidem quaestio non absque ratione ponitur; licet enim Deus sit infinite perfectus, ideoque summe independens in operibus suis, non tamen omnis necessitas in operando ei propterea plane repugnare videtur. Naturali namque necessitate operatur ad intra, neque ob hanc operationis necessitatem minus perfectus est. Creando utique operatur ad extra, sed operatur propter infinitam suam bonitatem et simul juxta summae suae sapientiae dictamen, quapropter prima facie aliqualis operationis necessitas adesse videtur. Revera tamen nullam omnino creationis necessitatem admitti posse, id est antecedenter ad ipsum creationis decretum, in hac thesi evincetur.

46. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) Quo libertas Dei in creando melius intelligatur, imprimis considerandus videtur *conceptus libertatis in genere,* ita ut ex hoc ipso jam appareat quousque actioni Dei creativae aptari possit. Non enim eodem prorsus modo Deo et homini convenire potest libertas, cum in Deo simul cum *absoluta immutabilitate* et *perfectissima sanctitate* stare debeat. Proinde libertas operationis, prout convenit Deo, excludat necesse est *omnem haesitationem* et *deliberationem, omnemque transitum a potentia in actum,* necnon *omnem voluntatis declinationem ad malum morale;* in homine e contra haec omnia cum vera ejus libertate componuntur.

b) Libertas in genere est *immunitas a necessitate seu a determinatione ad unum;* haec autem immunitas concipi potest vel in ordine morali vel in ordine physico. Quatenus concipitur esse in ordine morali, habetur *libertas moralis;* quatenus vero concipitur esse in ordine physico, habetur *libertas physica.* In hac thesi non quaeritur de libertate morali, sed de *physica* dumtaxat; patet enim Deum esse moraliter liberum, cum non habeat superiorem qui eum lege vel praecepto obligare possit. Physica autem libertas communiter definitur, *potentia rationalis eligendi inter plura.* De hac vero definitione plura notanda sunt.

c) Imprimis igitur libertas dicitur *potentia,* quia licet formaliter insit actui vel termino qui ponitur, tamen secundum communem usum loquendi de istius actus vel termini principio praedicatur (cf. *S. Thomas,* I, q. 83, a. 2). Haec autem potentia accipi potest vel prout est principium *actus,* vel prout est principium *termini* seu *facti.* Ut principium actus convenit libertati creatae, sed solum ut principium facti Dei libertati convenire potest; Deus enim non actus seu actionis, sed solius termini seu facti principium est.

d) Et haec potentia dicitur *rationalis,* quia prima radix libertatis est ipse intellectus seu ratio; ex hoc enim alicui primo inest libertas, quod ejus ratio indifferens est ad utrumlibet oppositorum, omnemque actum voluntatis antecedit. Unde licet libertas sit in voluntate et

tamquam potentia proprie de ea praedicetur, nihilominus prima ejus radix in facultate intellectiva seu in ipsa ratione quaerenda est (cf. *S. Thomas,* loc. cit. a. 1). Unde etiam *libertas arbitrii* nominari solet. Quocirca veri nominis libertas convenire nequit nisi entibus ratione praeditis; et his quidem omnibus convenit, sive eorum ratio sit facultas a substantia promanans, sive sit ipsa entis substantia. Illud primum habetur in entibus creatis; hoc alterum vero in solo Deo.

e) Insuper dicitur libertas *potentia eligendi.* Electio autem *dupliciter* accipi potest, prout vel designat *meram acceptationem unius prae alio,* vel includit *inquisitionem, discursum, deliberationem.* Hoc altero sensu importat entis imperfectionem, et *propria est libertatis creatae;* illo vero priore sensu est de ratione libertatis ut sic, et *ipsius quoque Dei libertati convenire debet.* In utroque autem sensu electio praesupponit voluntatis indifferentiam ad plura, sed aliter et aliter. Prout haec indifferentia etiam Deo convenire potest, simpliciter excludit ab ejus voluntate determinationem ad unum ex ipsa divina natura exortam; prout vero convenit creaturis, simul includit voluntatis suspensionem, quae tantum per motiva ad hoc sufficientia removeri potest. Haec altera indifferentia creaturarum limitationem arguit; illa vero prior summam Dei perfectionem manifestat.

f) Quia vero illa potentia rationalis eligendi inter plura, quam modo exposuimus, ante ipsum electionis actum veram aliquam voluntatis indifferentiam supponit, inde *libertas indifferentiae* vocari solet; et hoc quidem nomine distinguitur a *libertate spontaneitatis,* quae in mera immunitate ab externa coactione consistit. Haec utique immunitas in omni libera actione adesse debet, sed ipsam libertatem operationis non formaliter constituit, quippe quae immunitatem ab interna necessitate essentialiter includit. Notandum tamen est, hanc immunitatem ab interna necessitate haberi non posse nisi *ante ipsum electionis actum;* nam si electio jam facta fuerit, utique voluntas eo ipso ad unum determinata est. Unde supposito creationis decreto, Deus posthac ad mundum creandum liber non erat. Quare supra (sub e) dictum est indifferentiam in Deo simpliciter excludere ab ejus voluntate determinationem ad unum "ab ipsa divina natura exortam," ideoque determinationem quae jam antecedenter ad voluntatis imperium adesset.

g) Ipsa autem libertas indifferentiae *tripliciter* dividitur, nimirum, in libertatem *contradictionis, specificationis, contrarietatis.* Libertas contradictionis in eo consistit, quod positis omnibus ad agendum praerequisitis voluntas potest vel *agere* vel *non agere;* specificationis vero in eo, quod sub iisdem adjunctis voluntas potest *unum bonum eligere prae alio;* contrarietatis demum in eo, quod sub iisdem iterum adjunctis voluntas eligere potest vel *bonum* vel *malum.* Libertas contrarietatis evidenter involvit voluntatem esse finitam, et eatenus ipsam

libertatem esse imperfectam; haec igitur Deo convenire non potest. Proinde in subjecta materia defendimus libertatem *contradictionis* et *specificationis*, missa libertate contrarietatis.

h) Contendimus igitur in hac thesi, licet Deus mundum de facto creaverit, *eum potuisse tamen mundum non creare;* licet de facto hunc mundum creaverit, *eum potuisse nihilominus non hunc mundum sed alium creare;* et quidem mundum aliquem nostro mundo vel *perfectiorem* vel *minus perfectum*. Haec autem asserimus non quoad *ipsum actum creationis in se sumptum*, quippe qui cum ipsa Dei essentia identificatur, ideoque semper et necessario adest in Deo; sed unice quoad *istius actus terminationem* vel etiam *respectum ad extra*, ut in solutione difficultatum clarius ostendetur.

47. ADVERSARII.—Praeter plures philosophos veteres, quos *S. Thomas* (Cont. Gent. l. 2, c. 23) refert, thesi praecipue adversantur *Abaelardus, Wicleffus, Lutherus, Calvinus, Jansenius, Guenther, Hermes*, et *Rosmini;* diversi tamen diversa ratione ducti Dei libertatem aggrediuntur. Itaque *Abaelardus* docuit Deum ratione sapientiae suae necessitari ad creanda ea quae creavit, et eo modo quo creavit; unde hunc ipsius errorem damnavit *Concilium Senonense* (a. 1140): "Quod ea solummodo possit Deus facere vel dimittere, vel eo modo tantum, vel tempore, quo facit et non alio" (DB. 374). Juxta *Wicleffum* "omnia de necessitate absoluta eveniunt" (cf. DB. 607); eumque in hac doctrina fere secuti sunt *Lutherus, Bucer*, et *Calvinus* (cf. *Bellarminus*, De Gratia et lib. Arbitrio, l. 3, c. 15). *Jansenius* confundere videtur actum liberum cum actu voluntario, et hunc solum in Deo admittit (cf. *Beraza*, De Gratia Christi, n. 514).

Ex eodem fere capite peccant *Guenther* et *Hermes*, libertatem scilicet cum spontaneitate confundentes. De eorum scriptis hoc judicium tulit *Pius IX* (in Brevi "Eximiam tuam," 15 Junii, 1857): "Neque ignoramus ea iisdem libris doceri et statui quae Catholicae doctrinae de suprema Dei libertate a quavis necessitate soluta in rebus procreandis plane adversantur" (DB. 1655; cf. 1620). Ob similem rationem damnata est haec sententia *Rosmini:* "Amor, quo Deus se diligit etiam in creaturis et qui est ratio, qua se determinat ad creandum, moralem necessitatem constituit, quae in ente perfectissimo semper inducit effectum; hujusmodi enim necessitas tantummodo in pluribus entibus imperfectis integram relinquit libertatem bilateralem" (Decret. S. Off. 14 Dec. 1887; DB. 1908).

Libertatem *specificationis* directe omnes illi impugnant, qui defendunt *Optimismum Absolutum;* inter hos autem eminet *Leibnitzius*, qui suam sententiam hac fere argumentatione tuetur: "Suprema sapientia una cum bonitate infinita non potuit non eligere optimum. Nam

sicut minus malum est species boni, ita minus bonum est species mali, si obstat majori bono; et in operibus Dei correctioni locus esset, si melius quid fieri potuisset. . . . Nisi inter mundos possibiles unus esset optimus, Deus non produxisset ullum'' (Théodicée, I, nn. 8, 9). Simili fere modo arguit *Mallebranchius* (Entretiens sur la métaph. 9).

48. NOTA.—Tota thesis *de fide tenenda est;* omnimoda enim Dei libertas in creando saepius definita est. Ita v. g. *Concilium Vaticanum* in capite de Deo rerum omnium creatore statuit: ''Hic solus verus Deus . . . liberrimo consilio . . . utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem,'' et deinde in canone definit: ''Si quis . . . Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam amat se ipsum . . . A. S.'' (DB. 1805, 1783).

Notandum.—Haec thesis, licet duplici parte constet, convenientius tamen per modum unius probatur; textus enim Sacrae Scripturae et dicta SS. Patrum simul utramque partem evincunt, et argumenta ex ratione desumenda facile partibus per ea probandis separatim aptantur.

49. ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scripturam Deus a) *omnia quaecumque voluit, fecit;* b) *operatur omnia secundum consilium voluntatis suae;* c) *in operibus suis ad extra eligit inter plura:* **Atqui** haec necessario significant omnimodam Dei libertatem in creando, ideoque libertatem tum contradictionis tum specificationis: **Ergo.**

Minor ex ipsis terminis constare videtur. Nam si quis cum emphasi dicit, ''omnia quaecumque volo, facio,'' ab omnibus statim intelligitur eum plena libertate gaudere; et si quis dicit, ''omnia operor secundum consilium voluntatis meae, et unum prae aliis eligo,'' iterum statim ab omnibus intelligitur cum sibi non modo contradictionis verum etiam specificationis libertatem vindicare. Quocirca minorem ex ipsis terminis constare satis manifestum est.

Major hisce textibus probatur, et quidem juxta divisionis puncta in ipso argumento proposita.

a) *Ps. 134, 6:* ''Omnia quaecumque voluit Dominus fecit, in caelo, in terra, in mari et in omnibus abyssis.'' Item, *Ps. 113, 3:* ''Deus autem noster in caelo; omnia quaecumque voluit fecit.''

b) *Ephes. 1, 11:* ''In quo [Christo] etiam et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.''

c) *II Par. 33, 7:* ''In domo hac et in Jerusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum.'' Item,

I Cor. 1, 27-30: "Sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus." Si autem Deus in his omnibus libertate electionis gaudet, cur non etiam in creatione mundi?

50. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex dictis **SS. Patrum.**—SS. Patres omnimodam Dei libertatem in creando *tum contra haereticos tum etiam ad fideles instruendos clare docent:* **Ergo** haec libertas admittenda est.

Consequens ex alibi probatis constat.—*Antecedens* hisce textibus probatur.

a) *S. Irenaeus:* "Neque ab aliquo motus, sed sua sententia et libere fecit omnia (Deus), cum sit solus Deus, et solus Dominus, et solus conditor, et solus Pater, et solus continens omnia, et omnibus, ut sint, ipse praestans" (Adv. Haer. 2, 1, 1; MG. 7, 710). Item; "Ipse omnia libere fecit, et quemadmodum voluit" (Ibid. 3, 8, 3; MG. 7, 868).

b) *S. Hippolytus:* "Omnia erant in eo: ipse erat omnia. Quando voluit, quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis; per quod omnia fecit. . . . Fecit igitur sicut voluit: Deus enim erat" (Adv. Noet. n. 10; MG. 10, 817).

c) *S. Athanasius:* "Praeterea cur, quaeso, cum nos creare vellet, intermedium aliquem quaesivit ministrum, quasi scilicet non sufficeret ejus voluntas ad ea efficienda quae ipse voluerit" (Orat. 2 cont. Arian. n. 29; MG. 26, 208).

d) *S. Chrysostomus:* "Deus est qui omnia fecit et praeparat, et juxta voluntatem suam omnia apte disponit" (In Gen. l. 1, hom. 2; MG. 53, 27).

e) *S. Augustinus:* "In eo vero quod dicitur: Vidit Deus quia bonum est, satis significatur Deum nulla necessitate, nulla suae cujusquam utilitatis indigentia sed sola bonitate fecisse quod factum est; id est, quia bonum est" (De Civ. Dei, l. 11, c. 24; ML. 41, 338). Item: "Tunc in clarissima sapientiae luce videbitur quam multa possit Deus, et non velit" (Enchir. c. 95, n. 24; ML. 40, 275).

Similiter arguunt *S. Ambrosius* (In Hexaem. l. 1, c. 5, n. 18; ML. 14, 131), *S. Basilius* (Hom. 1 in Hexaem. n. 7; MG. 29, 19), *Theophilus Alexandrinus* (Epist. Pasch. 2, nn. 17, 18; ML. 22, 806).

51. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex ratione.—Necessitas creationis peteretur *vel ex parte Dei, vel ex parte mundi, vel ex parte actus creativi:* **Atqui** ex hisce peti non potest: **Ergo.**

Major continet completam divisionem, et ideo admittenda est.—*Minor* probatur per partes.

Non ex parte Dei; nam Deus est infinitus, ideoque summe independens, sibique sufficientissimus, cujus perfectio et beatitudo ex creaturis nulla ratione augmentari possunt.

Non ex parte mundi; nam mundus hanc necessitatem induceret vel tamquam causa efficiens vel tamquam causa finalis: non primum, quia in ordine physico prius est esse quam agere; non alterum, quia mundus non cedit in utilitatem Dei.

Non ex parte actus creativi; nam licet hic actus entitative cum ipsa Dei essentia identificetur, et sub hoc respectu sit necessarius; tamen ex se et in se indifferenter connotat terminum externum, quippe qui ex sua natura contingens est.

52. **ARGUMENTUM ALTERUM ex ratione desumptum, quo scilicet Deo vindicatur libertas specificationis in creando.**—Ratio ob quam Deus non potuisset loco hujus mundi alium mundum creare, derivanda esset *vel ex divina bonitate vel ex divina sapientia:* **Atqui** ex neutra hujusmodi ratio derivari potest: **Ergo.**

Major satis constat, et ab ipsis adversariis admittitur.—*Minor* probatur per partes.

Non ex divina bonitate; nam Dei bonitas, cum sit infinita, modis infinite diversis ad extra communicari potest.

Non ex divina sapientia; nam sapientia Dei in creando aestimanda est ex fine creationis; finis autem creationis est bonitas Dei, non acquirenda vel augmentanda, sed manifestanda et glorificanda, cujus manifestationis et glorificationis gradus diversus esse potest. Quare apte ordinando diversos mundos ad diversos gradus gloriae suae, seu ad diversos fines, Deus creando hos mundos eo ipso sapienter ageret. Cf. *S. Thomas,* Sum. Theol. I, q. 25, a. 5.

Unde "quemadmodum penes Deum erat mundum creare aut non creare, ita penes ipsum etiam erat hunc creare mundum aut alium. Et vero quaecumque Deum in mundo creando liberum fuisse demonstrant, eundem et liberum in hoc illove creando docent" (Conc. Colon. tit. 3, c. 12; Collect. Lac. t. 5, col. 290).

53. **Scholion: Quo sensu noster mundus sit optimus.**

Nostrum mundum non esse *absolute* optimum, seu eo meliorem creari posse, ex dictis satis patet; hoc tamen non obstat quominus dicatur optimus *secundum quid* seu *relative.* Neque hac de re theologi inter se pugnant. Potest autem mundus dici optimus quatenus a) ad optimum finem, scilicet ad Dei glorificationem creatus est; b) optima operatione, id est, divina creatione, productus est; c) pro determinato glorificationis gradu a Deo intento, optime ratione mediorum ad finem

dispositus est; d) omne genus entium, ab imis usque ad summa, secundum pulcherrimam ordinis tam naturalis quam supernaturalis harmoniam continet; e) optimam quoque exhibet creaturarum cum Deo conjunctionem, vel mediatam vel immediatam pro diversorum entium natura, cujus fastigium hisce in terris est incarnatio Verbi, in caelo autem intuitiva visio Dei. Hunc tamen mundum relative optimum Deus prorsus libere creavit, ita ut nulla omnino etiam morali necessitate ad eum potius quam ad minus perfectum creandum teneretur. Quare sententia *Didaci Ruiz* (De Volunt. Dei, disp. 9, sect. 3, n. 7), aliorumque quorumdam, juxta quam hac in re quaedam moralis necessitatis species admitti possit, nullatenus defendi potest (cf. *Pesch*, n. 46).

54. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Qui spontanee agit, facit quaecumque vult: *Atqui* spontanee agere non est libere agere: *Ergo* ex eo quod in Sacris Litteris de Deo dicitur, "omnia quaecumque voluit fecit," ejus libertas in creando non probatur.

Resp. Qui mere spontanee agit, facit quaecumque vult, *N.* Qui quidem spontanee sed simul etiam libere agit, facit quaecumque vult, *subd.* Cum de Deo sermo est, *C.* Cum de creaturis sermo est, *N.* Potius dicendum est, qui spontanee agit, vult quaecumque facit; sed non e converso, nisi ad spontaneitatem actionis vera libertas accedat. De Deo autem in textibus allatis cum emphasi dicitur, "omnia quaecumque voluit fecit."

2° Libertas indifferentiae involvit electionem inter plura: *Atqui* in Deo electio inter plura admitti nequit: *Ergo.*

Resp. Libertas indifferentiae involvit electionem inter plura, saltem eo sensu quod unum ex pluribus prae aliis acceptetur, *C.* Etiam eo sensu quod simul adsit inquisitio vel deliberatio, *subd.* Per se et ratione electionis ut sic tale quid involvitur, *N.* Per accidens et ratione electionis in creaturis, *Tr.* Electio sequitur naturam eligentis, qui si sit infinitus, simpliciter unum eligibile prae alio acceptat (cf. superius, n. 46 e).

3° *Atqui* neque ista acceptatio unius prae alio in Deo admitti potest; nam ea admissa, etiam admitti debet transitus e potentia in actum: *Atqui* transitus e potentia in actum in Deo repugnat: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et etiam rationem additam. Nam ista acceptatio unius prae alio non dicit novum actum in Deo, sed diversum ejusdem simplicissimi actus respectum. Creata utique voluntas in omni electione, etsi sit mera acceptatio unius prae alio, transit e potentia in actum; quia propter entis creati imperfectionem,

ejus agere et non agere non sunt entitative idem. In Deo autem res aliter se habet. Nam ipsum velle Dei, in quantum absolute spectatur, est ipsum quoque ejus nolle absolute spectatum; quia utrumque est ipsa Dei voluntas, ipsumque simplicissimum esse divinum. In quantum autem ipsum velle Dei relative spectatur, id est, relate ad objectum volitum Deo extrinsecum, in se quidem semper idem manet, quia in se et entitative cum ipso Dei nolle identificatur; nihilominus induit respectum volentis ad objectum volitum, non ratione sui ipsius sed ratione objecti ad quod terminatur. Unde est quidem electio in Deo, sed absque transitu e potentia in actum.

4° *Atqui* iste respectus ad objectum volitum habetur ratione ipsius voluntatis divinae, et ideo pro tanto admitti debet transitus e potentia in actum; nam in ipso Deo creare differt a non creare, ideoque velle a non velle: *Atqui* hoc intelligi nequit nisi iste respectus ad objectum volitum ex aliquali divinae voluntatis actuatione oriatur. *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: In ipso Deo creare differt a non creare, entitative vel per aliquam realitatem realiter a non creare distinctam, *N.* Connotative vel per respectum ad objectum volitum, *subd.* Qui respectus est ab ipso velle Dei ratione distinctus, *C.* Qui est ab ipso velle Dei ullo sensu realiter distinctus, *N.*

5° *Atqui* ille respectus ab ipso velle Dei ratione tantum distinctus nodum difficultis non solvit; nam relatio rationis sic habita aut sumitur formaliter aut fundamentaliter; formaliter sumpta est quid fictum et solum in intellectu unum ad alium comparante invenitur; sumpta vero fundamentaliter totam rem intactam relinquit, quia sic adhuc inquirendum manet quid sit hoc fundamentum: *Ergo.*

Resp. Ille respectus ab ipso velle Dei ratione tantum distinctus utique nodum difficultatis non solvit, sed unice quia hic tangitur illud altissimum Dei libertatis mysterium, quod quoad intimam suam naturam creato intellectui necessario impervium est. Relatio tamen rationis, non formaliter sed fundamentaliter sumpta, certo certius admittenda est; quid vero haec relatio rationis fundamentaliter sumpta sit in se, aliter declarari nequit nisi dicendo, eam "esse ipsum respectum vitalem voluntatis ad objectum, esse terminationem actus vitalis voluntatis. Haec terminatio non est entitas realis Deo addita neque per eam Deus realitate crescit; neque tamen est quid mere confictum ratione, sed est sui generis" (cf. *Hontheim,* Theodicaea, n. 916).

ARTICULUS VI

De Creatione Temporali

THESIS V.—Deus non mundum aeternum sed temporalem creavit.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 46, aa. 1–3; *In II Sent.* d. 1, q. 1, a. 5; d. 2, q. 1, a. 3; *Cont. Gent.* l. 2, cc. 34, 37; *De Potent.* q. 3, a. 17; S. Bonaventura, *In I Sent.* d. 44, a. 1, q. 4; *In II Sent.* d. 2, qq. 1–3; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 13; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 133 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 80 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 58 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 18 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* c. 1, s. 2, a. 4.

55. **STATUS QUAESTIONIS.**—Deum libere creasse mundum in praecedente thesi probatum est; hoc autem probato, convenienter quaeritur utrum mundus creatus fuerit *ab aeterno* an *in tempore.* Haec quaestio de *solo facto* ponitur, quin mera possibilitas aeternae creationis ex professo investigetur. Nam utrum mundus possit vel non possit creari ab aeterno, quatenus scilicet haec quaestio speculative consideretur, ad philosophiam potius quam ad theologiam spectat. Igitur in hac thesi de solo facto inquirimus.

56. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Per mundum in subjecta materia intelligimus, non ordinem mundanum qui nunc existit, sed potius *materiale hujus ordinis substratum,* seu ipsam materialem substantiam quam in prima thesi ostendimus Deum ex nihilo condidisse. Scientifice enim constat praesentem rerum mundanarum ordinem esse temporalem; neque id ab ullo nunc homine in dubium vocatur.

b) Dicitur imprimis mundum *non esse aeternum,* seu ab aeterno creatum. Aeternitas *multipliciter* accipi potest: *Primo* quidem, pro existentia entis tota simul, quae est sine initio, sine fine, et sine omni successione. Hoc utique sensu aeternitas soli Deo competit, et communiter post *Boethium* definitur: "Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio." *Dein* vero, pro existentia entis vel sine initio vel sine fine vel etiam sine utroque, sed non absque omni successione sive reali sive saltem virtuali. Si aliquod ens initium quidem non habuit sed habebit finem, dicitur aeternum ex parte ante; si vero initium habuit sed non habebit finem, dicitur aeternum ex parte post. Si demum neque initium habuit neque finem habebit, et nihilominus ejus existentia aliquo modo successiva est, dici quidem potest simpliciter aeternum, sed sensu latiore; id est, non eo stricto sensu quo Deus aeternus est. In thesi quaeritur de mundo aeterno *ex parte ante dumtaxat,* non vero etiam de mundo aeterno ex parte post.

c) In subjecta materia mundus dicitur *aeternus* in contradistinctione ad mundum *temporalem*, ideoque ad mundum qui vel *in* tempore vel *cum* tempore initium habuit. "In tempore" proprie significat tempus jam ante mundi inceptionem extitisse; "cum tempore" vero innuit tempus simul cum mundo ortum habuisse. Tempus *tripliciter* dividi potest: in tempus *possibile, imaginarium, reale.* Tempus possibile est mera possibilitas entis successive existentis; tempus reale est successiva duratio entis actu existentis; tempus imaginarium est ipsum tempus possibile mente conceptum ad modum temporis realis. Unde mundus temporalis potest dici habuisse initium *per actuationem temporis possibilis, in ultimo instanti temporis imaginarii, et simul cum tempore reali.* Itaque antequam mundus temporalis creatus fuit, potuisset in quovis antecedente instanti temporis possibilis vel imaginarii creari, et pro tanto nunc antiquior esset. Hoc igitur sensu defendimus nostram thesim.

d) Ad tempus *reale* quod attinet, distinctio poni solet inter *tempus* et *aevum.* Tempus ab aevo in hoc distinguitur, quod est duratio *formaliter* successiva, cum aevum est duratio solum *virtualiter* successiva; duratio autem formaliter successiva propria est motus stricte dicti, cum duratio virtualiter successiva propria est entium quae absque stricti nominis motu existunt, quin tamen eorum existentia sit tota simul. Tempus igitur praedicatur de entibus aliquo modo *materialibus;* aevum autem de entibus *spiritualibus* dumtaxat. Unde haec thesis, utpote de mundo materiali posita, de solo tempore procedit.

57. **ADVERSARII.**—Huic thesi directe adversatur *Ekardus* (+ 1327), qui interrogatus quandoque, quare Deus mundum non prius produxerit, respondit: "Quod Deus non potuit primo producere mundum, quia res non potest agere antequam sit; unde quam cito Deus fuit, tam cito mundum creavit. Item concedi potest mundum fuisse ab aeterno. Item simul et semel, quando Deus fuit, quando Filium sibi coaeternum per omnia coaequalem Deum genuit, etiam mundum creavit" (cf. DB. 501–503). Hos tamen errores ipse sponte retractavit, et nonnisi post ejus mortem damnati sunt.

Praeterea hanc thesim etiam omnes illi negant, qui contendunt Deum non libere sed necessario mundum creasse. Item philosophi quidam *Arabi,* qui putabant mundi substratum, licet creatione productum, esse ab aeterno (cf. *Denifle,* Chartul. t. 1, n. 432). Insuper philosophi *gentiles,* necnon moderni *Rationalistae* atque *Materialistae,* cum ipsam creationem negent, simul materiae mundanae aeternitatem propugnant.

58. **NOTA.**—Thesis proponit doctrinam *de fide tenendam;* statuit enim *Concilium Lateranense IV:* "Firmiter credimus et simpliciter

confitemur quod unus solus est verus Deus . . . qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem'' (DB. 428). Hanc deinde definitionem *Concilium Vaticanum* contra modernos quosdam, *Hermesianos* videlicet et *Guentherianos*, confirmavit (cf. DB. 1783).

59. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex **Sacra Scriptura**.—Sacra Scriptura docet, a) Sapientiam hypostaticam, seu Verbum Dei, prodiisse ex ore Altissimi *ante omnem creaturam;* b) eam prodiisse *antequam Deus quidquam fecerat a principio;* c) Verbum habuisse claritatem apud Patrem *ante constitutionem mundi:* **Atqui** naturali et obvio sensu haec vera esse non possunt nisi in supposito mundum esse temporalem, seu in tempore creatum: **Ergo**.

Minor videtur satis evidens; nam si mundus non esset temporalis, simul prodiisset cum Sapientia hypostatica seu cum Verbo Dei, simulque cum Verbi claritate apud Patrem conditus fuisset. Quod enim Verbum ejusve claritas mundo solum natura prior dicatur, ad naturalem et obvium textuum sensum non quadrat.

Major hisce textibus probatur, et quidem juxta divisionem in argumento notatam.

a) *Eccli, 24, 5:* ''Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.''

b) *Prov. 8, 22, 23:* ''Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret.''

c) *Joan. 17, 1–5:* ''Haec locutus est Jesus, et sublevatis oculis in caelum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, . . . Ego te clarificavi super terram; opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.'' Eodem sensu etiam S. Paulus dicit: ''Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem'' (Ephes. 1, 3, 4).

60. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex **dictis SS. Patrum**.—SS. Patres non modo docent mundum esse *de facto temporalem,* verum etiam contendunt mundum *non posse esse aeternum:* **Ergo** Deus mundum non aeternum sed temporalem creavit.

Consequens liquet ex theologia fundamentali.—*Antecedens* hisce textibus probatur.

a) *S. Irenaeus:* ''Discant quoniam sine initio et sine fine vere et semper idem, et eodem modo se habens solus Deus est, qui est omnium Dominus. Quae autem sunt ab illo, omnia quaecumque facta

sunt et fiunt, initium quidem suum accipiunt generationis, et per hoc inferiora sunt ab eo qui ea facit, quoniam non sunt ingenita'' (Adv. Haer. l. 2, c. 34, n. 2; MG. 7, 835).

b) *S. Hippolytus:* ''Deus solus cum esset, nihilque sibi coaevum haberet, voluit mundum efficere. . . . Nihil erat praeter ipsum; ipse solus, multus erat'' (Adv. Noet. 10; MG. 10, 817).

c) *S. Athanasius:* ''Quodsi curiosius inquirant, cur Deus, cum semper facere possit, non semper faciat, furentium quidem haec est audacia . . . , sed ut ne vel tenui aliqua objecta ratione sileamus, audiant: tametsi Deus possit semper facere, at res creatas aeternas esse non posse'' (Cont. Arian. Orat. 1, c. 29; MG. 26, 71).

d) *S. Basilius:* ''Nos autem ejusdem insaniae esse putamus tum creaturae aeternitatem adscribere tum creaturae dominum hac dignitate privare (Cont. Eunom. l. 2, n. 17; MG. 29, 607).

e) *S. Cyrillus Alex.:* ''Quod omnino per creationem ad hoc, ut esset, adductum, non potest intelligi a principio extitisse. . . . Siquidem nulla creatura ante saecula existit, sed in tempore creata est. Soli vero Filio convenit ab aeterno existere cum Patre'' (Thesaur. de Trin. assert. 32; MG. 75, 495).

f) *S. Augustinus:* ''Si litterae sacrae maximeque veraces ita dicunt, in principio fecisse Deum caelum et terram, ut nihil antea fecisse intelligatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante caetera cuncta quae fecit; procul dubio non est mundus factus in tempore, sed cum tempore'' (De Civ. Dei, 11, 6; ML. 41, 321).

61. Scholion: Num ex ratione aliquo modo probari possit mundum esse temporalem.

Ad hanc quaestionem *S. Thomas* negative respondit, cum ait: ''Mundum non semper fuisse sola fide tenetur, et demonstrative probari non potest. . . . Mundum incoepisse est credibile, non autem demonstrabile vel scibile. Et hoc utile est ut consideretur, ne forte aliquis, quod fidei est, demonstrare praesumens, rationes non necessarias inducat, quae praebeant materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter hujusmodi rationes credere quae fidei sunt'' (Sum. Theol. I, q. 46, a. 2). Hoc responsum aliis et quidem permultis non placet, quippe qui cum longe majore veterum scholasticorum parte contendunt aeternam mundi creationem repugnare. Attamen haec repugnantia argumentis parum firmis probatur, eaque ipse *S. Thomas* suo jam tempore in speciali opusculo, ''de aeternitate mundi contra murmurantes'' inscripto, penitus evertit. Diversae quidem et haud spernendae congruentiae rationes adferri possunt, quae probabile aliquod argumentum pro temporali mundi creatione suppeditant; sed

certam conclusionem evincere non possunt. Et hujusmodi rationes *S. Thomas* ultro admittit, eisque ipsum factum temporalis creationis, jam fide certum, ulterius confirmat (cf. De Potent. q. 3, a. 17 ad 8).

62. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Textus ex Sacra Scriptura adducti meram naturae prioritatem significare possunt: *Atqui* hoc dato, thesim non probant: *Ergo.*

Resp. Textus ex Sacra Scriptura adducti absolute meram naturae prioritatem significare possunt, *Tr.* Cum vera aliqua probabilitate, *N.* Nam naturali et obvio sensu indicant Verbum fuisse quando mundus nondum fuit; et ideo prioritatem non tantum naturae sed temporis significant.

2° Dicta SS. Patrum inniti videntur supposito mundum ab aeterno creatum repugnare: *Atqui* hoc suppositum valde dubium est: *Ergo* eorum auctoritas hac in re nihil valet.

Resp. Dicta SS. Patrum illi supposito aliquando innituntur, *Tr.* Non simul etiam testimonium fidei exhibent, *N.* Patres enim loquuntur de facto ex fide noto, et hoc factum quasi obiter ex impossibilitate aeternae creationis confirmant. Igitur ex eo quod dicunt aeternam mundi creationem esse impossibilem, clare quidem constat eos docuisse nostrum mundum esse temporalem; sed non propter solam istam impossibilitatem nostrum mundum temporalem esse docuerunt.

3° Deus est causa mundi ab aeterno in actu: *Atqui* causa ab aeterno in actu habet effectum ab aeterno: *Ergo.*

Resp. Deus est causa mundi ab aeterno in actu, quatenus ipse actus creationis in se spectatur, *C.* Quatenus istius actus connotatio termini extrinseci spectatur, *subd.* In quantum iste actus ab aeterno connotat terminum vel jam positum vel aliquando ponendum, *C.* In quantum ab aeterno connotat terminum jam positum, *N.* Videlicet, Deus ab aeterno voluit mundum aliquando esse, et ideo actus creationis entitative aeternus semper connotavit mundum, sed pro illa tantum differentia temporis in qua Deus mundum creare decrevit. Causa enim libere agens non solum ipsum effectum vult, verum etiam ejus modum et tempus.

4° Ratio creationis in Deo est ipsa divina bonitas: *Atqui* Deus ab aeterno bonus est: *Ergo* ab aeterno creavit.

Resp. Ratio creationis in Deo est ipsa divina bonitas, una cum Dei libertate, *C.* Independenter a Dei libertate, *subd.* Est ratio propter quam creare potest, *C.* Est ratio propter quam necessario creat, *N.*

5° Mundus creatus est vel in tempore vel in aeternitate: *Atqui* non in tempore, quia nondum erat tempus: *Ergo* in aeternitate, et ideo aeternus est.

Resp. Mundus creatus est vel in tempore introrsum versus vel in aeternitate, *C.* Vel in tempore extrorsum versus vel in aeternitate, *subd.* Ita ut creatus fuerit vel in tempore imaginario vel in aeternitate, *C.* Ita ut creatus fuerit vel in tempore reali vel in aeternitate, *N.* Mundus creatus est in uno indivisibili instanti, ita ut ipsius fieri et factum esse essent simul. Illud igitur instans ex parte ante denotat tempus imaginarium; in se vero et ex parte post, tempus reale. Quapropter rectius dicitur mundum creatum esse cum tempore quam in tempore; quia ipsum tempus, scilicet reale, cum mundo incepit.

ARTICULUS VII

De Causa Exemplari Mundi

THESIS VI.—Deus condidit mundum juxta aeternas et incommutabiles ideas in ejus intelligentia contentas, et ideo ipse est prima causa exemplaris mundi.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 14, a. 16; q. 15, aa. 1–3; *De Verit.* q. 3, aa. 1–3; Suarez, *Metaphysica,* disp. 25, sect. 1; Vasquez, *In I Sum. Theol.* disp. 72; Toletus, *In I Sum. Theol.* q. 15, a. 2; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 174 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, n. 45; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 9; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 118 sqq.; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 50 sqq.; Mendive, *De Deo Creatore,* nn. 202 sqq.; Hontheim, *Theodicaea,* nn. 955 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* c. 1, s. 2, a. 1.

63. STATUS QUAESTIONIS.—Est igitur Deus causa efficiens mundi, eumque libere creavit; causa autem efficiens libere agens operatur juxta ideas mente conceptas, quae ei praebent exemplar ipsius operis efficiendi. Tale quid inter homines contingere, ideoque eorum causalitatem efficientem causalitate exemplari quodammodo perfici, ab omnibus conceditur; quapropter inquirendum nunc videtur, num idem relate ad Deum dici queat atque debeat; mutatis utique mutandis, propter infinitam Dei perfectionem. Ad hanc quaestionem nostra thesis affirmative respondet.

64. TERMINORUM EXPOSITIO. — a) Causa exemplaris in genere vel *idea* dicitur vel *forma,* ad quam respiciens libere agens suam operationem perficit. Ideae autem definitio ita a *S. Thoma* (De Verit. q. 3, a. 1) proponitur: "Idea est forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem." Hujusmodi idea, ut patet, non mere *speculativa* est sed *practica;* quae scilicet non modo *cognitionis* verum etiam *operationis* principium est. Ea enim agens dirigitur ad suum opus hoc et non alio modo perficiendum, et hoc sensu *rationem causae* habet.

b) Et haec idea dicitur *forma,* in quantum idea rei est id, unde ipsa res suam speciem desumit. Forma autem *duplex* est, nimirum *intrinseca* et *extrinseca.* Forma intrinseca ea est, secundum quam aliquid formatur per *modum constituentis;* quo sensu v. g. anima est forma hominis et figura est forma statuae. De hac forma non est quaestio in thesi; ideae enim Dei res creatas constituere nequeunt. Forma vero extrinseca ea dicitur, ad quam aliquid formatur per *modum imitationis,* ut sigillum suam imaginem imprimens est forma cerae. De hujusmodi forma nostra thesis procedit.

c) Attamen non quaelibet imitatio sufficit ut forma dicatur causa exemplaris; nam imitatio aliquando fit *per accidens,* ita ut forma in mente artificis et in suo opere expressa solum casu aliquam rem objective existentem repraesentet. Quod si fiat, illud opus vera istius rei imitatio dici nequit. Requiritur ergo ut imitatio fiat *per se,* seu ut fiat *ex intentione agentis.* Ita "quum architectus facit templum, facit illud ex templo, quod habet in se ipso et in sua mente intelligibiliter, ideoque conformat templum reale templo intelligibili, quod habet in intellectu" (*S. Thomas,* De Verit. q. 3, a. 1).

d) Unde agens ille esse debet, "qui determinat sibi finem." Etenim solum ille qui finem *qua* finem cognoscit atque vult, ex vera intentione agere potest. Quare agentia pure naturalia, quae operantur secundum formam eis pure naturaliter et physice inexistentem, juxta veri nominis exemplar operari nequeunt. Simia v. g. potest opera hominis in multis imitari; ex vera tamen intentione agere nequit, quia finem operationis qua talem non apprehendit. Ad rem *S. Thomas,* qui ait: "In quibusdam enim agentibus praeexistit forma rei fiendae secundum esse naturale, sicut in his quae agunt per naturam; sicut homo generat hominem et ignis ignem. In quibusdam vero secundum esse intelligibile, ut in his quae agunt per intellectum; sicut similitudo domus praeexistit in mente aedificatoris. Et haec potest dici idea domus, quia artifex intendit domum assimilare formae, quam mente concepit" (De Verit. q. 3, a. 2).

e) Quatenus forma supra exposita dicitur *exemplar,* communiter distinguitur in exemplar *remotum* et *proximum.* "Exemplar remotum est forma actualem intellectionem praecedens, ad quam mente respiciens artifex operatur ad imitationem illius. Exemplar proximum est cognitio exemplaris remoti in mente artificis, quatenus per eam artifex in operando dirigitur. V. gr. si pictor Petrum exprimit, Petrus est exemplar remotum imaginis, et conceptio Petri in mente pictoris est exemplar proximum" (*Hontheim,* op. cit. n. 956). De *utroque* exemplari quaerimus in thesi.

f) Quae si ipsi Deo applicantur, ita proponere licet: *Essentia divina est exemplar remotum rerum mundanarum; cognitio autem*

divinae essentiae est earumdem rerum exemplar proximum. Attamen ut exemplar remotum, divina essentia non sumitur *absolute et secundum se,* sed prout est *imitabilis ad extra;* neque ut exemplar proximum illa cognitio est divinae essentiae *absolute sumptae,* sed prout secundum *diversos gradus suae imitabilitatis in rebus finitis exprimi potest.* Ipsa haec cognitio dicitur *formalis idea divina,* quae in se quidem est *una* et *simplicissima,* tamen ob suam infinitam perfectionem *virtualiter multiplex* est, et qua multiplex omnia creabilia repraesentat. Ad has ergo ideas, quae aeternae sunt et incommutabiles, Deus in operando respicit et juxta eas suum opus exsequitur. Quare licet hae ideae in se sint cognitio *directa,* nihilominus in operando ad eas accedere debet cognitio quaedam *reflexa,* ut ipsae causam exsequentem in suo opere dirigere possint. Hic autem cavendum est ne quis illas ideas cum *ipsis possibilibus* confundat; possibilia enim formaliter spectata sunt aliquid a Deo distinctum, ideae autem divinae cum ipso Deo identificantur.

g) Ex dictis satis patet cur Deus non *aliqualiter* causa exemplaris mundi dicatur, sed causa exemplaris *prima;* totum enim exemplar rerum mundanarum in se continet, idque totum ex se solo habet. Nempe ipsius essentia est exemplar remotum, et ipsius cognitio inde derivata est exemplar proximum. Cum igitur neque ratione causalitatis efficientis neque ratione causalitatis exemplaris ab ulla re extra se pendeat, summe sufficiens est ad suum opus libere exsequendum.

65. ADVERSARII.—Patet hanc thesim ab omnibus illis rejici, juxta quos Deus non libere sed necessario creavit; ubi enim non est libertas in operando, ibi exemplar operis frustra adhibetur. Doctrinam in thesi propositam prorsus perverterunt *Ontologistae,* quorum errores huc spectantes proscripti sunt in decreto *S. Officii,* 18 Sept. 1861, nimirum: "Universalia a parte rei considerata a Deo realiter non distinguuntur. Res creatae sunt in Deo tanquam pars in toto, non quidem in toto formali, sed in toto infinito, simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit. Creatio sic explicari potest: Deus ipso actu speciali, quo se intelligit et vult tanquam distinctum a determinata creatura, hominem v. g., creaturam producit" (DB. 1661, 1664, 1665).

Theologi quoad factum doctrinae in thesi contentae omnimode inter se conveniunt, sed quoad expositionem exemplaris proximi, seu ideae divinae formalis, haud parum ab invicem dissentiunt. Ita juxta *Scotum* (In I Sent. d. 35, q. unica), Deus in primo signo intelligit se sub ratione mere absoluta; in secundo signo producit creaturas per intellectum in esse intelligibili; hoc autem esse intelligibile creaturarum cognitum in mente divina, quod nos diceremus possibile, est idea secundum quam Deus creat in tempore creaturas. Ipse *Scotus* hoc esse intelligibile nominat esse *diminutum* et esse *secundum quid;* non tamen

esse *reale* aut *intermedium*, ut quidam ejus verba interpretantur, sed esse *rationis* (cf. *Mastrius*, Disp. Theol. t. 1, d. 3, q. 2). Eodem ferme modo rem exponunt *Durandus* (In I sent. d. 36, q. 3), *Gabriel* (In I Sent. d. 35, q. 5), et *Nominales* fere communiter. Ad hos etiam accedit *Palmieri*, qui ait: "Scientia Dei, cujus ratio est ipsa essentia divina, exprimit distincte et proprie omnes essentias possibiles; haec itaque expressio omnium rerum prout objectum est cognitionis reflexae, ideae rationem habet" (De Deo Creante, thes. 10, V).

Reliqui vero theologi fere communiter docent cum *S. Thoma* (Sum. Theol. I, q. 15, a. 1), ideas divinas tamquam exemplar proximum esse ipsam essentiam divinam, prout diversimode imitabilem ad extra et sub hac ratione a Deo cognitam; quia divina essentia sub hac formalitate in mente divina objective et idealiter relucens intellectum divinum per modum regulae dirigit, ad cujus similitudinem et imitationem supremus artifex res omnes hujus mundi in tempore producit (cf. *Mendive*, De Deo Creatore, n. 203).

66. **NOTA.**—Quatenus haec thesis simpliciter affirmat Deum esse primam causam exemplarem mundi, praescindendo scilicet a quaestione quanam praecise cognitione ideae divinae constituantur, proponit sententiam adeo *certam ut opposita sit prorsus temeraria.* Haec nota praecipue ex doctrina SS. Patrum desumitur.

Notandum: Licet thesis quodammodo duplici parte constet, convenienter tamen per modum unius probatur; quia istae quasi partes se invicem includunt.

67. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—In Sacra Scriptura Deus dicitur fecisse caelos *in intellectu* (Ps. 133, 5), praeparasse orbem terrarum *in sapientia sua* (Jer. 10, 12), fundasse terram *sapientia*, stabilisse caelos *prudentia* (Prov. 3, 19), unde ipsa divina Sapientia dicitur *omnium artifex, cuncta componens* (Sap. 7, 21; Prov. 8, 30): **Atqui** haec necessario indicant Deum condidisse mundum juxta aeternas et incommutabiles ideas, eumque proinde esse primam causam exemplarem mundi: **Ergo.**

Major constat ex locis citatis, ubi singula puncta fere ad verbum inveniuntur.—*Minor* ex eo liquet quod omnis artifex operatur juxta ideam mente praeconceptam, quodque sapientia atque prudentia solus ille operatur qui apprehendit finem suumque opus ad finem assequendum dirigit, et quidem juxta formam operis faciendi in intellectu relucentem. Hac igitur ratione Deus in Sacris Litteris causa exemplaris mundi edicitur; et quia hanc sapientiam atque prudentiam non aliunde hausit sed ex se ipso genitam possidet (Prov. 8, 22 sqq), inde est causa exemplaris prima.

68. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex dictis **SS. Patrum.**—SS. Patres, tum Sacram Scripturam explicantes tum etiam Platonem impugnantes, unanimiter docent *mundum factum esse juxta ideas divinas ex propria ejus essentia haustas:* **Atqui** hoc perinde est ac docere Deum esse primam causam exemplarem mundi: **Ergo.**

Minor ex supra dictis (n. 64) satis patet.—*Majorem,* cum sit omnibus plane nota, paucis textibus probasse sufficiat.

a) *Origenes:* "Opinor, sicut domus et navis fabricatur vel aedificatur juxta figuras et formas mentibus eorum qui structurae praesident conceptas, domo navibusque principium sumentibus ab his figuris et rationibus quae sunt in artifice; sic universa facta fuisse juxta rerum futurarum rationes jam antea a Deo manifestatas in sapientia; omnia enim in sapientia fecit" (In Joan. t. 1, 22; MG. 14, 60).

b) *S. Augustinus:* "Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est. Quodsi hae rerum omnium creandarum creatarumve rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quidquam nisi aeternum atque incommutabile potest esse, atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato, non solum sunt ideae, sed ipsae verae sunt, quia aeternae sunt, et ejusmodi atque incommutabiles manent; quarum participatione fit, ut sit quidquid est, quoquo modo est" (De Diversis Quaestionibus 83, q. 46, n. 2; ML. 40, 30).

c) Quia tamen juxta communiorem interpretationem *Plato* illas ideas extra Deum posuit, easque mundum idealem constituere opinatus est, hanc ob causam Patres eum impugnabant (cf. *Justinus,* Cohort. ad Gentes; *Tertullianus,* De Anima; *Gregorius Nazianzenus,* Orat. 33). Alii autem has ideas in ipso Deo quasi mundum idealem constituere censebant; ita v. g. *Clemens Alexandrinus* (Strom. 6), quem refert *Eusebius* (Praep. Evang. l. 11, c. 25).

d) *S. Maximus:* "Rationes omnium rerum ante saecula habens in se Deus, ex illis omnia quae vel mente vel visu percipiuntur procreavit, opportuno tempore tum universa tum singula constituens. Singulis enim rebus praecessit ratio, qua ita sunt factae. Quemadmodum rationes omnium in Deo erant fixae, quibus eas ex nihilo fecit. Atque his quidem rationibus cognoscit omnia prius quam fiant. Hae vero a *Dionysio Areopagita* praefinitiones et divinae voluntates appellantur" (apud *Euthymium,* Panop. Dogm. tit. 3; MG. 130, 149).

69. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex ratione.—Deus omnia *libere* creavit, et quidem cum *plena independentia in operando:* **Atqui** haec duo simul sumpta necessario ostendunt Deum creasse mundum

juxta aeternas et incommutabiles ideas, ideoque eum esse primam causam exemplarem mundi: **Ergo.**

Major ex jam probatis satis liquet.—*Minor* probatur per partes.

a) Qui libere operatur id mente concipere debet, quod prae aliis factibilibus opere exsequi intendit, tum quoad ipsum factibile tum quoad modum illud faciendi; hujusmodi autem mentis conceptio est idea practica, quae causam efficientem in suo opere dirigit, ideoque est causa exemplaris.

b) Qui plene independens est in operando, suas ideas practicas a se ipso et non ab alio habeat necesse est; si enim eas ab alio haurire deberet, eatenus ab alio dependens esset. Praeterea, cum ante creationem praeter ipsum Deum nihil exstiterit, illas ideas utique a nullo alio haurire potuit.

70. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Juxta doctrinam in thesi propositam ipse Deus debet dici idea mundi: *Atqui* tale dictum sapit pantheismum: *Ergo.*

Resp. Juxta doctrinam in thesi propositam ipse Deus debet dici idea mundi, hoc sensu quod mundus juxta ideas divinas creatus est, et proptera infinitas Dei perfectiones finito modo manifestat, *C.* Hoc sensu quod mundus sit exterior quaedam Dei evolutio, ideoque res finitae non sint nisi ipsius Dei modificationes, *N.* Deus merito quidem dicitur idea mundi, sed idea tamquam forma extrinseca, ad quam mundus per modum imitationis formatus est; non vero tamquam forma intrinseca, secundam quam per modum constituentis ortum sumpsit.

2° Cognitio Dei seu idea divina una est, eaque simplicissima; creaturae vero multae sunt atque diversissimae: *Atqui* unum et simplicissimum non potest esse multorum ac diversorum exemplar: *Ergo.*

Resp. Cognitio Dei seu idea divina actu et in se una et simplicissima est, *C.* Non simul est virtualiter et terminative multiplex, *N.* Idea enim divina, de qua sermo est in thesi, exhibet divinam essentiam prout haec imitabilis est ad extra, et secundam hanc multiplicem imitabilitatem ad res extraponendas terminatur; ideoque licet creaturae multae sint et diversissimae, omnes tamen in ea eminenter contineri dicendae sunt.

3° Creando res mundanas, Deus respicere dicendus est ad ipsa possibilia prout haec in ordine ideali existunt: *Atqui* possibilia in ordine ideali existentia non sunt ideae divinae, sed potius earum termini: *Ergo.*

Resp. Creando res mundanas, Deus respicere dicendus est ad ipsa possibilia, tamquam ad terminos sua actione creativa producendos, *C.* Tamquam ad regulas suae actionis creatricis directivas, *N.* Possibilia enim in ordine ideali sunt a Deo distincta, ideoque Deus ab eis pendere nequit.

ARTICULUS VIII

De Causa Finali Mundi

THESIS VII.—Finis primarius creationis est bonitas Dei manifestanda et glorificanda; finis vero secundarius est bonum creaturarum.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 44, a. 4; q. 65, a. 2; q. 103, a. 2; *In II Sent.* d. 1, q. 2, a. 2; *Cont. Gent.* l. 3, cc. 17, 18; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 1, p. 2, a. 2, q. 1; Scotus, *In IV Sent.* d. 49, q. 8, n. 7; Suarez, *Metaphysica,* disp. 23, sect. 9; Lessius, *De Perfect. Divinis,* l. 14, c. 1; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 209 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 166 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 10, 11; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 56 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 47 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 57 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 1, c. 3, s. 1.

71. **STATUS QUAESTIONIS.**—Deum esse causam mundi efficientem et exemplarem in superioribus ostensum habetur. Est igitur Deus artifex mundi, isque sapientissimus; omnis autem artifex sapiens operando aliquem finem intendit, vel ut eum acquirat vel saltem ut in eum opus suum dirigat. Deus vero infinite perfectus est, et ideo stricto sensu nihil sibi acquirere potest; hoc tamen non obstat quominus opus suum ad bonum aliquod sibi praestandum ordinaverit, vel quominus ipsi quoque suo operi aliquod bonum ex creatione obvenire voluerit. De his igitur bonis nostra thesis procedit.

72. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Finis est *id cujus gratia aliquid fit;* et qua talis, finis est bonum quod aliquomodo, vel voluntatem operantis alliciendo vel ejus opus cohonestando, influit in existentiam alicujus rei novae. Datur finis *operantis* et finis *operis;* isti vero fines possunt esse vel objective *iidem* vel objective *diversi.* Ita si quis v. g. sibi aedificat domum ut eam ipse inhabitet, finis operantis et finis operis sunt objective iidem, nimirum inhabitatio domus; si autem aedificat domum ad pecuniam lucrandam, finis operantis et finis operis obvie diversi sunt. In genere, finis operantis est *ratio cur operans agit;* finis vero operis est *bonum operi praefixum,* ad quod obtinendum sua natura, sive necessario sive libere, tendit. Utriusque finis *triplex* est divisio, nimirum, *finis-qui, finis-quo, finis-cui.* Finis-qui est *ipsum bonum ab operante intentum,* finis-quo est *possessio* vel etiam *assecutio istius boni,* finis-cui est *subjectum cui illud bonum intenditur.* Insuper finis-qui potest esse vel *internus* vel *externus,* prout bonum intentum vel in ipso opere sistit vel ultra illud opus protendit. Ita in creatione bonum creaturarum est finis-qui internus; bonitas autem Dei manifestanda et glorificanda est finis-qui externus.

b) Relate ad causam efficientem, finis est vel *vera causa* ejus volitionis vel *mera ratio sufficiens* illam volitionem cohonestans; prout scilicet vel agentis voluntatem ad operandum movet, vel mere efficit ut ejus operatio sit rationabilis. In priori casu dicitur *finis propter quem;* in altero vero, *finis quia.* Quapropter finis propter quem est etiam *respectu operantis vero sensu causa finalis;* finis autem quia *non est vera causa finalis nisi respectu operis patrandi.* Ita in creatione bonitas Dei manifestanda et glorificanda non movet quidem divinam voluntatem ad operandum, ideoque respectu Dei non est causa finalis; attamen mundus ei debet suam existentiam, et ideo respectu mundi vera causa finalis est.

c) Finis primarius illud bonum est, *quod propter se ipsum ab operante intenditur,* et cui omnia alia bona forte intenta subordinantur. Quare etiam *finis ultimus* dici solet, quippe qui ipse non subordinatur alii fini forte intento. Alia bona quae ab operante praeter bonum propter se volitum intenduntur, nominantur *fines subordinati;* et hi quidem multi esse possunt, nimirum *proximus, intermedii, ultimus.* Ultimo huic fini reliqui omnes in eodem ordine subordinantur, ipse autem immediate subordinatur fini primario externo; et ideo licet sit ultimus finis internus, relate tamen ad finem externum secundarius vocatur.

d) In subjecta igitur materia, finis primarius est *bonitas Dei manifestanda et glorificanda.* Per bonitatem autem hic intelligitur non modo bonitas Dei formalis, seu attributum bonitatis, verum etiam *omnis perfectio divina quae aliquomodo in creaturis adumbrata invenitur.* Porro manifestatur haec bonitas eo ipso quod creaturae factae sunt ad similitudinem Dei, seu quod sunt exemplata divini illius exemplaris de quo sermo erat in praecedente thesi. Ex hoc enim sequitur quod invisibilia Dei, "a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas" (Rom. 1, 20).

e) Haec autem manifestatio divinae bonitatis seu excellentiae increatae est fundamentum glorificationis ejus; glorificatio enim, vel etiam gloria Deo tributa, nihil aliud est quam *clara cognitio cum laude.* Fundamentum glorificationis in omnibus et singulis creaturis habetur; formalis vero glorificatio solum a creaturis ratione utentibus tribui potest. Unde gloria Dei diversimode dividitur, nimirum, in *internam* et *externam,* in *materialem* et *formalem.* Gloria Dei interna materialis est divina excellentia in se spectata; gloria autem Dei interna formalis est *ipsius Dei cognitio et amor propriae excellentiae.* Similiter gloria Dei externa materialis est *excellentia Dei ut objective manifestata in creaturis;* gloria autem Dei externa formalis est *creaturarum cognitio et amor excellentiae divinae ipsis manifestatae.* Dicitur amor potius

quam laus, quia ex primaria Dei intentione laus ei debita ex amore procedere debet, necnon verus amor sua sponte in laudem Dei prorumpit; absolute tamen laus in mera divinae excellentiae agnitione consistere valet, ut infra in solutione difficultatum dicetur.

f) Finis secundarius creationis, ut ex dictis jam patet, est *bonum aliquod per mundum obtinendum,* quod tamen non propter se ipsum intenditur sed propter finem primarium, seu propter manifestationem et glorificationem divinae bonitatis. Illud bonum est *bonum ipsius operis seu mundi,* et ideo est *finis mundi internus.* Adaequate sumptus comprehendit bonum omnium et singularum creaturarum; sensu autem restricto, quo sumitur in thesi, ad bonum entium rationalium limitatur. Ratio hujus restrictionis in eo habetur, quod entia irrationalia suum bonum in ipsa eorum existentia atque sustentatione consequuntur, et etiam in hoc bono obtento homini subordinantur; dum bonum entium rationalium sese ultra extendit, et vero aliquo sensu finis ultimus, scilicet mundo internus, dici potest.

g) Per entia autem rationalia hic intelliguntur *soli homines,* quia de angelis infra quaerendum erit. Porro illud bonum quod hominum finis dicitur, in eorum *felicitate* consistit, quatenus nempe in Dei gloriam cedit. Haec autem felicitas imperfecte jam in terris obtinetur; perfecta tamen obtineri non valet nisi in caelis. Identificatur enim cum cognitione et amore Dei, quae suam ultimam perfectionem non attingent nisi in intuitiva Dei visione. Isti igitur fines creationis, primarius videlicet et secundarius, intime conjunguntur; propriam enim suam gloriam Deus intendere nequit, quin simul etiam entium rationalium felicitatem intendat. Attamen ad eorum consecutionem quod attinet, finis secundarius non aeque necessarius est ac finis primarius; nam hic non potest ullo modo frustrari, ille vero frustrari potest per malam creaturarum voluntatem.

73. **ADVERSARII.**—Primae parti theseos adversantur satis multi *Protestantes,* inter quos *Kantius, Baylius, Mosheim, Weyscheider, Hegel.* Ad hos accesserunt quidam Catholici, ut *Cartesius* et *Hermes,* qui ex falso supposito affirmarunt mundum primarie conditum esse in hominum utilitatem. Falsum vero eorum suppositum in eo situm est, quod juxta eos quaerere propriam gloriam, etsi illam mereatur, sit Deo prorsus indignum. Mundus quidem, inquiunt, in Dei gloriam cedit; sed hanc gloriam tamquam ultimum mundi finem Deus non intendit (cf. *Janssens,* Sum. Theol. VI, pp. 60 sq).

Iidem etiam alteram partem theseos impugnant, quatenus negant felicitatem hominum esse solum finem secundarium; si enim haec felicitas sit primarius finis mundi, utique ejus finis mere secundarius esse nequit. Cf. *Kleutgen,* Theologie der Vorzeit, I, sect. 5.

74. **NOTA.**—Prima pars theseos est *de fide tenenda;* statuit enim *Concilium Vaticanum* (can. 5): "Si quis . . . mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, A. S" (DB. 1805). In hac autem gloria consistere finem primarium creationis, colligitur ex praecedente capite ubi dicitur: "Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, . . . utramque de nihilo condidit creaturam" (DB. 1783).

Altera pars theseos, ut jacet, proponit sententiam *certam* et *communem;* prout vero innuit bonum creaturarum non esse finem primarium creationis, est practice identica cum prima parte et qua talis de fide tenenda est.

I. Finis primarius creationis est bonitas Dei manifestanda et glorificanda.

75. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Sacra Scriptura docet, a) mundum creatum manifestare Dei excellentiam seu bonitatem, et ideo *homines teneri ad Deum glorificandum;* b) Deum de facto propter opera sua *exigere propriam gloriam,* quam alteri non sit daturus; c) Deum esse *mundi finem,* sicut etiam est *mundi principium:* **Atqui** haec necessario ostendunt primarium finem mundi esse bonitatem Dei manifestandam et glorificandam: **Ergo.**

Minor satis constat ex iis quae dicta sunt in expositione terminorum.—*Major* probatur juxta triplicem divisionem in argumento notatam.

a) *Rom. 1, 20, 21:* "Revelatur enim ira Dei de caelo super omnem impietatem . . . quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas: ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt." Cf. Sap. 13; Ps. 96. Ps. 98.

b) *Is. 43, 7:* "Et omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum." Item, *Is. 48, 11:* "Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer; et gloriam meam alteri non dabo."

c) *Apoc. 1, 8:* "Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, qui erat, et qui venturus est, Omnipotens." Item, *Rom. 11, 36:* "Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula. Amen."

76. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex dictis SS. Patrum.**—SS. Patres, tum refellendo ethnicos philosophos tum instruendo Christi fideles, unanimi semper ore docebant mundum in hunc finem esse conditum, ut *manifestaretur et agnosceretur summa Dei bonitas:* **Ergo** primarium mundi finem evidenter in bonitate Dei manifestanda et glorificanda reponebant.

Consequens patet ex ipsis terminis.—*Antecedens* probatur ex hisce textibus, qui in infinitum fere multiplicari possent.

a) *S. Athenagoras:* "Liquet Deum, si prima et latius patens consideretur ratio, propter se ipsum et elucentem in omnibus ipsius operibus bonitatem et sapientiam adductum fuisse, ut hominem faceret; si vero propior et ipsis hominibus creatis interior ratio spectetur, propter ipsorum vitam, quae quidem non ad breve aliquod tempus succendenda, ac postea omnino extinguenda sit" (De Resurrect. 12; MG. 6, 996). Hic igitur uterque finis assignatur.

b) *Origenes:* "Bonum esse et justum et omnipotentem Deum creatorem universorum, quibus valuimus ex divinis scripturis assertionibus in superioribus frequenter ostendimus. Hic cum in principio crearet ea quae creare voluit, id est rationabiles naturas, nullam habuit aliam creandi causam nisi se ipsum, id est bonitatem suam" (De Principiis, 2, 9, 6; MG. 11, 230).

c) *S. Theophilus Antiochenus:* "Omnia Deus fecit ex non extantibus ad esse, ut per opera cognosceretur et innotesceret magnitudo ejus" (Ad. Autol. 1, 4; MG. 6, 1030).

d) *Tertullianus:* "Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suae" (Apol. 17; ML. 1, 375).

e) *S. Augustinus:* "In eo vero quod dicitur: Vidit Deus quia bonum est, satis significatur Deum nulla necessitate, nulla suae cujusquam utilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse quod factum est, id est, quia bonum est; quod ideo, posteaquam factum est, dicitur, ut res quae facta est, congruere bonitati propter quam facta est, indicetur" (De Civ. Dei, l. 11, c. 24; ML. 41, 338). Item: "Satis est Christiano rerum creandarum causam nonnisi bonitatem credere Creatoris" (Enchir. c. 9; ML. 40, 235).

f) *Pseudo-Areopagita:* "Vere audemus dicere, quod ipse qui est omnium causa, propter excellentiam bonitatis omnia amat, omnia facit, omnia perficit, omnia continet, omnia convertit ad se; et est divinus amor bonus boni propter bonum" (De Divinis Nominibus, 4, 10; MG. 3, 708).

77. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex ratione.—Deus, utpote infinite sapiens et sanctus, semper secundum rectum ordinem agit; rectus autem ordo postulat ut *agat propter finem se dignum:* **Atqui** nullus finis primarius creationis Deo dignus est nisi propria ipsius bonitas: **Ergo** propria Dei bonitas est finis primarius creationis: **Atqui** non propria Dei bonitas sive acquirenda sive augmentanda, quia ex se infinite perfecta est; neque eadem bonitas mere manifestanda, quia existunt de facto entia quae eam cognoscere atque laudare possunt, ideoque debent: **Ergo** propria Dei bonitas manifestanda et glorificanda.

II. Finis secundarius creationis est bonum creaturarum.

78. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Sacra Scriptura docet Deum, a) *omnia diligere quae fecerit;* b) *alias res mundanas homini subjecisse;* c) *velle omnium hominum salutem;* d) nihilominus *omnia propter se ipsum operatum esse:* **Atqui** hoc perinde est atque docere finem secundarium creationis esse bonum creaturarum, eumque ultimatim consistere in hominum felicitate: **Ergo.**

Minor satis evidens est; nam diligere creaturas est eis bonum velle; nemo autem vult alicui bonum nisi illud simul intendat per modum finis, licet ille finis alteri subordinetur. Item, subjicere homini omnes alias res mundanas, eique velle salutem, fieri nequit nisi quatenus in hominis felicitate internus mundi finis constituatur; cum simul tamen Deus omnia propter se operatus sit, ipsa haec felicitas Dei gloriae subordinetur necesse est, et ideo non primarius sed secundarius mundi finis dicendus est.

Major probatur per partes, ita ut textus allegandi punctis in argumento positis respondeant.

a) *Sap. 11, 25:* "Diligis enim (Domine) omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset conservaretur? Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas."

b) *Ps. 8, 5–8:* "Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis; gloria et honore coronasti eum; et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus." Cf. Gen. 1, 28–30.

c) *I Tim. 2, 1–5:* "Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, . . . pro omnibus hominibus; . . . Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire."

d) *Prov. 16, 4:* "Universa propter semetipsum operatus est Dominus." Item, *I Cor. 3, 22, 23:* "Omnia vestra sunt, . . . vos autem Christi, Christus autem Dei."

79. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex dictis SS. Patrum.—Licet SS. Patres unanimiter doceant cuncta condita esse ad gloriam Dei, simul tamen etiam affirmant *bonum creaturarum, et praesertim bonum hominis, a conditore intendi:* **Ergo** docent bonum creaturarum esse secundarium finem mundi, eumque ultimo in felicitate hominum reponendum esse.

Consequens ex ipsis terminis patet.—Antecedens hisce textibus probatur.

a) *S. Athenagoras,* cujus dicta superius (n. 76 a) allegata inveniuntur.

b) *S. Irenaeus:* "Igitur initio non quasi indigens Deus hominis plasmavit Adam, sed ut haberet in quem collocaret sua beneficia . . . . Nec nostro ministerio indigens jussit ut eum sequeremur, sed nobis ipsis attribuens salutem" (Adv. Haer. l. 4, c. 14, n. 1; MG. 7, 1010).

c) *S. Hilarius:* "Hominem, non quod officio ejus in aliquo eguerit, instituit (Deus), sed quia bonus est; participem beatitudinis suae condidit et rationale animal in usum largiendae aeternitatis suae vita sensuque perfecit; et hoc ex ipsius dictis absolute intelligitur" (In Ps. 2, n. 15; ML. 9, 269).

d) *S. Augustinus:* "Laudare te vult homo, aliqua portio creaturae tuae. Tu excitas ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te" (Confess. l. 1, c. 1, n. 1; ML. 32, 661).

e) *S. Joannes Damascenus:* "Quoniam igitur bonus omnique bonitate praestantior Deus, non satis habuit sua ipsius contemplatione frui, sed pro nimia bonitate sua quaedam esse voluit, quae ipsius afficerentur beneficiis ejusque bonitatis participes forent: eam ob causam ex non esse ad esse producit conditque universa, tam invisibilia quam visibilia; atque etiam hominem ex aspectabili et non aspectabili natura conflatum" (De Fide Orthod. l. 2, c. 2; MG. 94, 864).

80. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex ratione.—Manifestatio et glorificatio Dei adeo intime cum bono creaturarum cohaerent, ut *illae sine hoc obtineri nequeant* (cf. 72 g): **Atqui** sui ipsius manifestationem et glorificationem Deus vult tamquam primarium finem mundi: **Ergo** secundarie et subordinate etiam vult bonum creaturarum: **Atqui** id quod Deus vult secundarie et subordinate in opere suo creativo, est secundarius creationis finis: **Ergo.**

81. *Confirmatur* utraque pars thesecos ex declaratione *Concilii Coloniensis* (an. 1860), nimirum: "Alterum vero, quod ab opere Dei abesse non poterat, erat ipsa perfectionum divinarum, potentiae imprimis, sapientiae et bonitatis manifestatio, quae, cum in Dei laudem cedat, gloria Dei externa vocatur. Deum vero perfectionum suarum

que auget gloriam; unde sicut haec ad illam, ita illa ad hanc ducit. Si agnitionem et amorem seu gloriam externam revera intendisse, dubium esse non potest, sive spectamus res effectas, quae natura sua Dei perfectiones manifestant; sive hominem, qui ratione praeditus est, ut Deum ex operibus agnoscat et amet; sive Deum ipsum, qui, ut ex opere suo agnosceretur, utpote sanctus, non velle non poterat. Hinc illae tam crebrae Scripturarum voces, quibus ad laudandum Deum ex operum ejus magnitudine monemur. Intime inter se conectuntur hominum felicitas et Dei gloria. Hanc enim dum homines promovent, sua augent merita suamque felicitatem; et Deus, quo majora bona hominibus largitur, eo majora praebet suae bonitatis documenta suamtamen de utriusque finis ordine quaeritur, dicendum est ultimum operis finem esse gloriam Dei, ad quam etiam rerum creatarum et singillatim hominis felicitas referatur. Dei enim gloria, cum, utpote Deum respiciens, altioris sit ordinis quam hominis felicitas, hanc sibi submissam subservientemque habeat decet. Neque ex hoc existimandum est detrahi aliquid Dei in nos bonitati. Nam bona nobis collata, cum ad Dei referuntur gloriam, non minuuntur, immo quo studiosius per ea nos Dei gloriam quaerimus, eo magis ditescimus ipsi; nec Deus ita suam in mundo quaerit gloriam, quasi ex ea aliquid, quod non habeat, boni acquirat, cum id solum velit, quod rectus ordo exigit'' (Collect. Lacen. V, 292).

82. **Corollarium: De repraesentatione Dei in creaturis.**

Ex thesibus hucusque probatis, satis obvie sequitur *Deum triplici ratione in creaturis repraesentari;* est enim earum causa sub triplici aspectu, *efficientis* videlicet, *exemplaris, finalis.* Ratione autem causalitatis efficientis Deus repraesentatur in creaturis ut *primum et summum ens;* ratione vero causalitatis exemplaris, ut *primum et summum verum;* ratione demum causalitatis finalis, ut *primum et summum bonum.* Quatenus enim creaturae ex nihilo conditae sunt, *participant esse* Dei; quatenus juxta ideas divinas factae sunt, *conformantur cognitioni* Dei, ideoque *verae* sunt; quatenus ad Dei bonitatem manifestandam creatae sunt, *hanc bonitatem sibi communicatam habent,* et ideo *bonae* sunt. Hac triplici igitur ratione omnes creaturae necessario ad Deum referuntur, eumque ex se ipsis ut terminis divinae operationis repraesentant. Et quia in divinis esse ingenitum concrete sumptum est Deus Pater, cognitio substantialis est Verbum seu Dei Filius, et bonitas seu amor substantialis est Spiritus Sanctus, ideo non solum Dei *unius* verum etiam Dei *trini* repraesentatio quaedam in omnibus creaturis invenitur. Haec tamen Dei trini repraesentatio non ea est ex qua ipsum mysterium Trinitatis legitime inferri possit; quia etsi per impossibile una tantum esset persona in Deo, haec nihilominus per se solam primum et summum ens, primum et summum verum,

primum et summum bonum esset. Ex dictis ergo Deus in omnibus et singulis creaturis aliquod sui ipsius *vestigium* reliquit, quomodo vero in homine praeterea formalis Dei *imago* inveniatur, in alia thesi infra ponenda dicetur.

83. Scholion: Num in creatione admittendus sit finis operantis.

Ad hanc quaestionem alii auctores aliter respondent, re tamen idem dicere videntur. Imprimis utique omnes conveniunt *actum quo Deus creat* non admittere finem quatenus ejus existere spectetur; est enim ipsa Dei essentia necessario existens, idemque affirmandum est quoad actualem creandi volitionem divinam. Quaerunt igitur solum an possit esse causa finalis cur *divina volitio ad hoc vel ad illud terminetur.* Qui negant, causam *proprie* accipere videntur, ita ut intelligant aliquid a Deo distinctum quod bonitate sua percepta influat moraliter in voluntatem Dei, ut ipsum vel aliud propter ipsum velit Deus. Cf. *Van der Aa* (Theol. Nat. a 4, prop. 60). Hoc utique sensu finis operantis in creatione admitti non potest. Qui vero affirmant, accipiunt causam *improprie,* ita ut intelligant id tantum quod est ratio cur Deus alia a se velit. Et hoc sensu finis operantis in creatione satis evidenter admittendus est. Nam licet Deus non *propter suam gloriam creet,* vult tamen *mundum propter suam gloriam esse;* et in mundo in suam gloriam ordinato sufficientem suae volitionis rationem discernit, ideoque ipse finis operis est reductive etiam finis operantis. Ad rem *S. Thomas:* "Cum omne opus divinum in finem quemdam ordinatum sit, constat quod ex parte operis Deus propter finem agit. Sed quia finis operis semper reducitur in finem operantis, ideo oportet quod etiam ex parte operantis finis actionis ejus consideretur, qui est bonum ipsius in ipso" (In II Sent. d. 1, q. 2, a. 1). Deus igitur quia *bonus* est creare potest, et quia *liber* est creare vult; sed quia *sapiens* indiget sufficiente ratione ad libere creandum, Deus hanc in ipso fine mundo praestituto reperire dicendus est.

84. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Quaerere propriam gloriam est Deo indignum: *Atqui* si primarius finis creationis esset bonitas Dei manifestanda et glorificanda, Deus quaereret propriam gloriam: *Ergo.*

Resp. Quaerere propriam gloriam inordinate est Deo indignum, *C.* Quaerere propriam gloriam ordinate est Deo indignum, *N.* Quaerendo propriam gloriam in operibus suis, Deus ordinatissime agit; ex una enim parte recta ratio postulat ut excellentiae artificis in operando debitus honor praestetur, et ex altera parte excellentia divini artificis est sine mensura, ideoque gloria a Deo quaesita debitum modum excedere nequit. Immo adeo necessario, ideoque ordinate, Deus creando quaerit propriam gloriam, ut ea seposita mundum creare non potuisset.

2° Deus amat creaturas amore benevolentiae: *Atqui* qui amat amore benevolentiae non quaerit quod suum est: *Ergo.*

Resp. Deus amat creaturas amore benevolentiae, quatenus citra omnem propriam utilitatem ex creaturis derivandam eis bonum vult, *C.* Quatenus ea quae citra propriam utilitatem sui ipsius sunt omnino seponat, *N.* Utique amor benevolentiae non quaerit propriam utilitatem, neque tamen postulat ut amans contra rectam rationem agat. Immo cum Deus rem ita ordinaverit ut ipsius gloria ultimo in summa creaturarum felicitate consistat, eo ipso jam summum suae in creaturas benevolentiae documentum praebuit.

3° Primarius finis mundi, utpote ab ipso Deo mundo praestitutus, frustrari nequit: *Atqui* glorificatio Dei potest frustrari: *Ergo.*

Resp. Primarius finis mundi frustrari nequit, quatenus ipsum factum assecutionis spectatur, *C.* Quatenus modus assecutionis consideratur, *subd.* Independenter a libera creaturarum voluntate, *Tr.* Dependenter ab ea, *N.* Ita Deus absolute vult suam glorificationem ex creaturis, et hac glorificatione privari non potest; non autem vult eam consistere in felicitate hominum post eorum mortem fruenda, nisi quatenus impleantur conditiones ab ipso positae. Possunt igitur homines per malum liberae voluntatis usum in aeternam perditionem ruere, sed etiam perditi Deum glorificabunt; non modo agnoscendo ejus justitiam quam experiuntur, verum etiam infinitam ejus bonitatem qua per vitam abusi sunt.

4° Finis in bono finito et creato consistens non est Deo dignus: *Atqui* glorificatio Dei ex creaturis habenda est bonum finitum et creatum: *Ergo.*

Resp. Finis-qui in bono finito et creato consistens non est Deo dignus, *N.* Finis-cui in bono finito et creato non est Deo dignus, *subd.* Finis-cui primarius, *C.* Finis-cui secundarius, *N.* Id quod Deus creando intendit, utpote a creaturis obtinendum, in se utique aliquid finitum et creatum est, cum in earum actibus consistat; hoc tamen non propter ipsum sed propter se intendit, et ideo propter se operatur. Neque illud primarie creaturis intendit sed sibi ipsi, ideoque ipse est primarius finis-cui creationis.

5° Si felicitas hominum non sit nisi secundarius finis creationis, inter Deum et homines vigere nequit amor amicitiae: *Atqui* hunc amorem ipse Deus intendit: *Ergo.*

Resp. Inter Deum et homines vigere nequit amor amicitiae, praecise ratione creationis, *Tr.* Neque ratione elevationis generis humani ad statum supernaturalem, *N.* Vera amicitia haberi nequit nisi inter eos qui quodammodo sunt in eodem ordine; jam vero ex creatione homo

est servus Dei, et nonnisi per elevationem supernaturalem in ordine quasi divino constituitur. Attamen quatenus per amicitiam in sensu latiori intelligi potest omnis amor benevolentiae, etiam inter Deum et creaturas qua tales amicitia vigere potest, et ideo prima pars distinctionis transmissa est.

6° *Atqui* juxta thesim neque ratione elevationis generis humani ad statum supernaturalem vera amicitia inter Deum et homines haberi potest; nam amicus propter se ipsum amatur: *Atqui* juxta thesim Deus non amat homines propter se ipsos, sed propter se ipsum: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et distinguo rationem additam: Amicus propter se ipsum amatur, id est, non amatur propter amantis commodum, *C.* Non amatur propter Deum, a quo amicus habet omne id quo est amabilis, *N.* Creaturae non ex se ipsis sed ex Deo bonae sunt, et ideo non simpliciter propter se ipsas sed ultimo solum propter Deum amari possunt.

SECTIO II

De Mundo Creato

ARTICULUS I

De Conservatione Rerum

THESIS VIII.—Deus res creatas positive et directe conservat.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 104, aa. 1, 2; II. II, a. 8; *Cont. Gent.* l. 3, cc. 65, 67, 114; *De Potent.* q. 5, a. 1, S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 37, a. 1, q. 2; Scotus, *In II Sent.* d. 2, q. 1; Petavius, *De Deo,* l. 8, c. 2; Lessius, *De Perfect. Divinis,* l. 10, c. 3; Suarez, *Metaphysica,* disp. 21, sect. 1–3; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 1362 sqq.; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 126 sqq.; Pesch, III, nn. 64 sqq.; Mendive, *De Deo Creatore,* nn. 226 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* c. 2, s. 1; Hontheim, *Theodicaea,* nn. 963 sqq.

85. STATUS QUAESTIONIS.—Omnis res creata dicit relationem dependentiae ad Deum; et haec relatio fundatur imprimis in ipso τῷ fieri rei per actum creationis. Istud autem τὸ fieri est instantaneum, eique succedit res facta in statu permanente. De hac vero permanentia rei creatae quaeri potest, utrum sit *effectus actionis creativae qua talis,* an postulet quodammodo *alium influxum ex parte Dei,* qui videlicet saltem *terminative* sit ab ipsa creatione distinctus, et ideo actus *conservativus* dicatur. Hoc alterum affirmat nostra thesis.

86. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) Per res creatas in subjecta materia intelliguntur res *permanentes;* quae enim non existunt nisi quando fiunt, ut v. g. motus qua talis, hoc specifico sensu conservatione non indigent. Res autem permanentes *per se* sunt omnes substantiae finitae, et *per accidens* etiam omnes qualitates hisce substantiis inhaerentes. Proinde proprium objectum conservationis et proprium objectum creationis ultimo convertuntur. Hujusmodi autem res conservare nihil aliud est quam *efficere ut non pereant.*

b) Hoc generali sensu, conservatio est vel *positiva* vel *negativa.* Res negative conservatur, in quantum de facto non per aliquam actionem destruitur. Ita artifex dicitur statuam a se confectam conservare, in quantum eam non destruit sed ulterius existere permittit. Haec est conservatio *improprie* dicta. Res positive conservatur, qua-

tenus per actum aliquem in hunc finem positum ejus destructio evitatur. Ita artifex conservaret statuam positive, si eam collocaret in loco tuto et simul removeret omnes causas destructivas. Haec esset quidem veri nominis conservatio, sed sensu tantum *latiori*, quae etiam *indirecta* conservatio dicitur. Si vero, hisce omnibus praesuppositis, insuper exerceatur influxus aliquis in ipsam rem ut non pereat, qui influxus sit rei entitati quodammodo *intrinsecus*, habetur conservatio *positiva* et *directa*. Hujusmodi enim influxus tum positivus est, tum circa ipsum esse rei conservandae versatur. Et talem quidem concursum Dei relate ad omnes res creatas affirmamus in hac thesi.

c) Deus igitur res creatas conservat positivo aliquo influxu, qui ad ipsum esse rerum creatarum terminatur; et hoc sensu conservatio rerum creatarum est *continuata quaedam earum existentiae communicatio*. Hinc potest conservatio etiam dici *continuatio actionis creatricis*, ita tamen ut simul etiam distinctio quaedam creationem inter et conservationem admittatur. Nam actus quidem creativus et conservativus idem est, sed pro diversitate tendentiae in terminos ejus respectus est diversus. Qua creativus enim ille actus *primo dat esse rei;* qua conservativus vero *sustentat idem esse jam datum*. Proinde creatio respicit rem *qua novam*, conservatio vero respicit eandem rem qua *jam existentem*. Hinc etiam terminus creationis et conservationis objective sumptus est idem, nimirum ens totum; at hoc unum idemque ens creationi respondet sub aspectu *novitatis*, conservationi vero sub aspectu *continuationis*.

87. **ADVERSARII.**—Omnes utique qui ipsam mundi creationem negant, etiam negant res mundanas a Deo conservari. Inter Catholicos nemo quidem conservationem ex parte Dei simpliciter negat, sunt tamen qui minus quam par est hac in re admittant. Ita *Durandus* (In II Sent. d. 1, q. 5), cum non admittat concursum Dei immediatum in operando cum causis secundis, ex consequenti neque admittit positivam et directam conservationem earum rerum quae a causis secundis fiunt; dum *Klee* et *Berlage* putant positivum Dei influxum non requiri nisi ad conservandos organismos, qui absque tali influxu facile in sua elementa defluerent; ad alias igitur res sufficere conservationem negativam (cf. *Knoll*, p. 2, s. 2, c. 1, § 207, n. 3).

88. **NOTA.**—Deum conservare res creatas saltem mediate et indirecte, videtur *de fide tenendum;* docet enim *Concilium Vaticanum:* "Universa vero quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat" (DB. 1784). Hanc autem conservationem insuper esse positivam et directam, ut superius (n. 86 b) explicatum est, ad minimum dici debet doctrina Catholica quae absque temeritate negari non potest. Unde *Catechismus Romanus* ait: "Nec vero ita Deum crea-

torem atque effectorem omnium credere oportet, ut existimemus perfecto absolutoque opere ea, quae ab ipso effecta sunt, deinceps sine infinita ejus virtute constare potuisse. Nam quemadmodum omnia ut essent, Creatoris summa potestate, sapientia et bonitate effectum est, ita etiam, nisi conditis rebus perpetua ejus providentia adesset atque eadem vi qua ab initio constitutae sunt, illas conservaret, statim ad nihilum reciderent'' (P. 1, c. 2, n. 21).

89. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex **Sacra Scriptura**.—Sacra Scriptura docet, a) nihil posse in esse suo permanere nisi ex *efficaci Dei voluntate;* b) Spiritum Dei omnium rerum scientiam habere, quia *ubique est et sua virtute omnia continet;* c) Filium Dei *portare omnia verbo virtutis suae:* **Atqui** haec plus significant quam conservationem negativam aut positivam quidem sed mere indirectam: **Ergo** Sacra Scriptura docet Deum res creatas positive et directe conservare.

Minor ex obvio verborum sensu satis constare videtur.—*Major* probatur ex textibus, juxta puncta in argumento notata adducendis.

a) *Sap. 11, 26:* ''Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset conservaretur?''

b) *Sap. 1, 7:* ''Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum; et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.'' Quare etiam res omnes dicuntur in Deo constare (cf. Col. 1, 17); nosque dicimur in ipso vivere, et moveri, et esse (cf. Act. 17, 28).

c) *Hebr. 1, 3:* ''Qui (Filius) cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae, . . . sedet ad dexteram majestatis in excelsis.''

90. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex **doctrina SS. Patrum**.—SS. Patres docent, a) Res factas non modo in suo fieri verum etiam in suo *esse et perseverare a Deo pendere;* b) eas, *submota Dei sustentatione, statim perire:* **Atqui** haec solum de positiva et directa conservatione dici possunt: **Ergo**.

Minor ex ipsis terminis liquet.—*Major* hisce textibus satis probatur.

a) *S. Irenaeus:* ''Omnia quae facta sunt initium facturae suae habent, et perseverant quoadusque ea Deus et esse et perseverare voluerit'' (Adv. Haer. l. 2, c. 34, n. 3; MG. 7, 836).

b) *S. Chrysostomus:* ''Non solum creaturam produxit Deus, sed productam etiam fovet et conservat: sive tu angelos dixeris sive archangelos sive caelestes virtutes, sive visibilia omnia sive invisibilia, haec illius providentia fruuntur, ac, si ejus efficientia destituantur, abeunt ac pereunt'' (Cont. Anom. hom. 12, n. 4; MG. 48, 810).

c) *S. Joannes Damascenus:* ''Porro ipsa quoque rerum creatarum compages, conservatio atque gubernatio nos docent Deum esse

qui universum hoc coagmentarit, sustentet et conservet eique provideat'' (De Fide Orthod. l. 1, c. 3; MG. 94, 796). Item: ''Ejusque procreandi et conservandi et providendi potentia nihil aliud est nisi bona ejus voluntas. . . . Vult mundum consistere, et consistit'' (Ibid. l. 2, c. 29; MG. 94, 964).

d) *S. Hilarius:* ''Est ergo opus Dei sabbato? Est plane; nam nisi esset, caelum dilaberetur, lumen solis occideret, terra non staret, fructuum omnium incrementa deficerent, vitae hominum interirent, si sabbati lege virtutum omnium constitutio otiaretur. Sed requies nulla est, et cursus idem est, ut sex diebus, ita et sabbato elementorum omnium continentur officia'' (In Ps. 91, n. 7; ML. 9, 498).

e) *S. Augustinus:* ''Sic credamus vel, si possumus, etiam intelligamus usque nunc operari Deum, ut, si conditis ab eo rebus operatio ejus subtrahatur, intercidant'' (De Gen. ad litt. l. 5, c. 20, n. 40; ML. 34, 333).

f) *S. Gregorius Magnus:* ''Cuncta ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu teneret'' (Moral. l. 16, c. 37, n. 45; ML. 75, 1143).

91. ARGUMENTUM TERTIUM: ex ratione.—Res creatae non modo in fieri verum etiam in *esse contingentes sunt:* **Atqui** res contingentes in esse indigent positiva et directa conservatione ex parte Dei: **Ergo.**

Major saltem eo sensu ab omnibus admittitur, quod res creatae, etiam postquam conditae sunt, non necessario existunt sed ab esse deficere possunt.

Minor duplici ratione constat: Prima quidem, quia ens contingens in esse habet causam suae existentiae extra se, et ideo ab hac causa in esse suo sustentetur necesse est; ''omnis enim effectus dependet a sua causa, secundum quod est causa ejus'' (*S. Thomas,* I, q. 104, a. 1). Et ideo sicut intellectio non manet sine actione intellectus conservante, ita esse rerum non manet nisi conservatur a Deo. Altera vero ratio est, quia omne ens contingens a Deo annihilari potest; annihilatio enim fieri nequit nisi per subtractionem influxus conservativi, quo ens in esse suo sustentatur. Nam annihilatio ex ipsa sua natura est effectus negativus, et qua talis per actionem positivam in ipsum esse rei fieri nequit. Unde arguit *S. Thomas:* ''Sicut ergo antequam res essent, (Deus) potuit eis non communicare esse, et sic eas non facere, ita postquam jam factae sunt, potest eis non influere esse; et sic esse desinerent, quod est eas in nihilum redigere'' (I, q. 104, a. 3). Item: ''Si Deus rem aliquam redigeret in nihilum, hoc non esset per aliquam actionem, sed per hoc quod agendo cessaret'' (Ibid. ad 3).

92. Scholion: Num res a solo Deo conserventur.

Ad hanc quaestionem communiter respondetur distinguendo inter esse *substantiale* et esse *accidentale*. Esse substantiale solum a Deo conservatur, quippe qui solus illud dare valet. Possunt quidem causae secundae, sive per compositionem sive per generationem, quasdam substantias producere, ita ut hae substantiae quodammodo ab eis pendeant; ipsum tamen earum esse ultimo a Deo petendum est, et ideo a solo Deo conservari potest. Item esse accidentale quod vel a nulla virtute creata datur, ut esse gratiae sanctificantis, vel saltem a causa creata efficiente secundum esse non pendet, ut esse qualitatum, a solo Deo conservatur. Esse vero accidentale quod in se partim a causa creata pendet, ut esse actus vitalis, conservatur a Deo concurrente causa creata; haec autem conservatio ex parte Dei in continuato concursu simultaneo consistit (cf. *S. Thomas,* I, q. 104, a. 2).

93. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Res arte facta non indiget positiva et directa conservatione artificis: *Ergo* neque res creata indiget positiva et directa conservatione Creatoris.

Resp. Concedo antecedens, et nego consequens. Nam res arte facta et res creata quoad dependentiam a suis causis multum inter se differunt; quia artifex nonnisi formam aliquam vel figuram in materiam praeexistentem inducit, quae dein in ipsa materia retinetur; Creator autem dat ipsum esse rei, quod in se causam suae existentiae non habet, et ideo ab ipsa causa efficiente seu a Creatore sustentari debet. Unde deest paritas in consequente.

2° *Atqui* non deest paritas; nam res creata, eo quod extra suas causas posita est, habet omnia ad existendum requisita: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Res creata, eo quod extra suas causas posita est, habet omnia ad existendum requisita, cum essentiali dependentia a Deo, *C.* Absque tali dependentia, *N.*

3° *Atqui* absque tali dependentia; nam nulla creatura, semel facta, tendit in non esse. *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et distinguo rationem additam: Nulla creatura, semel facta, tendit in non esse, quamdiu a Deo sustentatur, *C.* Cessante illa sustentatione, *subd.* Non positive et quasi innato appetitu tendit in non esse, *C.* Neque privative, quatenus scilicet privata elemento ad existendum essentialiter necessario, *N.*

4° *Atqui* quaedam res creatae nullo modo tendunt in non esse; nam elementa materialia et entia spiritualia sunt suapte natura incorruptibilia: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Elementa materialia et entia spiritualia relate ad causas secundas suapte natura sunt incorruptibilia, *C.* Etiam relate ad Causam Primam, *N.* Nulla quidem causa secunda aliquod ens substantialiter simplex destruere potest, sed ratio est quia ipsum esse rerum ab his causis non pendet; cum autem illud esse pendeat a Deo, ipse quodcumque ens creatum annihilare valet.

5° *Atqui* dicta entia etiam relate ad Causam Primam incorruptibilia sunt; secus enim dicendum esset ea esse semper in fieri, quod absurdum est: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Secus dicendum esset ea esse semper in fieri, si actus conservativus et actus creativus non sub alio et alio respectu ad ea terminarentur, *C.* Cum autem sub alio et alio respectu ad ea terminentur, *N.* Cf. quae superius (n. 86 c) hac de re dicta sunt.

ARTICULUS II

De Concursu Divino

THESIS IX.—Deus cum actionibus creaturarum physice et immediate concurrit.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 105, aa. 5, 1–4; *Cont. Gent.* l. 3, cc. 66, 67, 70; *Opusc.* 3, cc. 131, 145; *De Potent.* a. 7; Suarez, *Metaphysica,* disp. 18, sect. 1; disp. 22, sect. 1; *De Concursu;* Lessius, *De Perfect. Divinis,* l. 11, c. 3; c. 4; Molina, *In I Sum. Theol.* q. 14, a. 3, d. 5; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 134 sqq.; Stentrup, *De Deo Uno,* 673; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 1380 sqq.; Pesch, III, nn. 69 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 50 sqq.; Hontheim, *Theodicaea,* nn. 966 sqq.; Zigliara, *Theol. Nat.* 380 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* c. 2, s. 2.

94. STATUS QUAESTIONIS.—Res a Deo creatae, cum finem aliquem agendo consequi debeant, praeditae sunt viribus quibusdam propriae cujusque naturae et fini accommodatis. Hinc actiones finitae quae in ordine rerum ponuntur, vere ab agentibus finitis seu creatis procedunt. Hoc factum non in dubium vocatur nisi ab Occasionalistis. Insuper has actiones aliquo modo ad ipsum rerum creatorem ac conservatorem referendas esse, satis manifestum est; causa enim causae est causa causati, ut vetus fert adagium. At quaeri potest, *num hae creaturarum actiones insuper ita a Deo pendeant, ut ipse eas physice et immediate in actu secundo attingat.* Quod si tenendum sit, iste actus secundus a duabus simul causis procedit, partialitate quidem causae, sed totalitate effectus. Et hoc affirmat nostra thesis.

95. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Concursus Dei definiri potest *cooperatio virtutis divinae ad actiones creaturarum.* Hinc includit veram actionem ex parte Dei, et haec divina actio pro termino suo habet ipsum terminum productum a causis creatis. Hoc alterum tamen dictum sit de solo concursu *physico* et *immediato,* ut ex modo dicendis clarius apparebit.

b) Generice sumptus, concursus potest esse vel *physicus* vel *moralis.* Est *moralis,* quando aliquis jussione vel suasione, vel aliis hujusmodi mediis, causam physicam actionis ponendae ad agendum determinat. Est vero *physicus,* quando aliquis efficienter in actionem alterius causae influit, ita ut in ordine causalitatis physicae duplex causa efficiens ejusdem actus secundi existat. Hic tamen influxus, ideoque ipse concursus vel *mediatus* esse potest vel *immediatus.* Est *mediatus,* quando solum supplet vires quibus altera causa agere potest. Est autem *immediatus,* quando una cum actione alterius causae ipsum actum secundum directe attingit.

c) Deum praestare concursum moralem, utique entibus ratione praeditis, manifestum est et probatione non indiget; suadendo enim, monendo, praecipiendo, necnon minitando, homines ad pie vivendum adducit. Item Deum praestare concursum physicum mediatum ex ipsa rei natura satis constat. Nam omnes et singulae vires quibus creaturae in ratione causae activae constituuntur, donum Dei sunt. Proinde hoc unum nunc quaeritur, num Deus cum creaturis *physice* et *immediate* concurrat. Limitatur tamen haec quaestio ad concursum *generalem,* qui etiam *universalis* et *naturalis* dicitur. Distinguitur hic concursus generalis contra concursum *specialem,* qui *supernaturalis* est et in influxu gratiae actualis consistit. De hoc altero concursu, speciali videlicet, quaestio movetur in tractatu de gratia.

d) Concursus Dei ulterius dividitur in *oblatum* et *collatum.* Concursus *oblatus* habetur quando causa secunda de cetero constituta est in actu primo proximo, et consistit in *divina virtute hic et nunc ad cooperandum parata.* Quatenus hic concursus offertur causae naturali et in se ad unum determinatae, ipse etiam ad unum determinatus est; quatenus vero offertur causae liberae et indifferenti, est *indifferens* et *virtualiter multiplex* pro exigentia libertatis causae secundae. Concursus igitur oblatus *praevius est ad actum secundum causae creatae,* et reapse pertinet ad ea quibus causa creata in actu primo proximo ad agendum constituitur.

e) Concursus autem *collatus* habetur quando virtus divina una cum causa creata actum secundum ponit, et consistit in *actu divino formaliter immanente et virtualiter transeunte, qui ad ipsum esse actus secundi simul a causa creata positi pertingit.* Tota operatio et totus effectus tum a Deo est tum a causa creata, ita ut utrumque agens

sit causa *totalis totalitate effectus;* attamen utrumque simul non est nisi causa *partialis partialitate causae,* quia neutra causa eam virtutem exercet quae sola effectui producendo par esset. Deus attingit totum effectum sub formali ratione entis *qua entis;* creatura vero attingit eundem totum effectum sub formali ratione *entis qua talis,* id est, sub formali ratione taleitatis. Deus igitur est causa *universalis, independens, prima;* creatura autem causa *particularis, dependens, secunda.* Deus semper respicit actum secundum *materialiter sumptum;* creatura vero, si sit libera, ejus *moralitatem* determinat. Quare Deus etiam physice et immediate concurrere potest ad creaturarum actiones peccaminosas, quia earum entitas materialiter sumpta mala non est.

f) Hucusque dicta ad concursum *activum* referenda sunt, distingui tamen etiam solet concursus *passivus,* qui est relatio dependentiae quam operatio et effectus causae secundae habent ad Deum ut ad principium immediatum effectivum. Haec vero dependentia non est mutua, sed solum ex parte *causae secundae* habetur; licet enim Deus non agat nisi quatenus simul agit causa secunda, tamen actio causae secundae non est nisi mera conditio ad quam Deus in sua operatione attendit. Proinde causa secunda Primae Causae subordinatur, sed non e converso.

g) Ex dictis facile patet juxta nostram hujusce rei expositionem concursum Dei esse *simultaneum* tantum, non vero simul etiam *praevium* ad causae secundae actionem. Deus non praedeterminat causam secundam, neque eam praemovet, sed simul cum ea sibi subordinata agit; et ita quidem subordinata, ut causa secunda nihilominus sit simul cum Deo vero sensu causa *principalis* actus sic positi. Haec quidem res acriter inter *Thomistas* atque *Molinistas* disputatur, ad quam tamen disputationem hic non attendimus; in praesenti enim thesi hoc unum stabilire conamur, Deum physice et immediate ad omnes creaturarum actiones concurrere, missa interim intima istius concursus natura. Haec res fuse disputata invenitur apud *Muncunill,* op. cit. nn. 143 sqq.

96. ADVERSARII.—Jam suo tempore *S. Augustinus* quosdam notavit, qui doctrinam in thesi propositam rejicere praesumebant; nam ait: "Sunt enim qui arbitrentur tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cetera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et jussit; Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini: Pater meus usque nunc operatur" (De Gen. ad litt. l. 5, c. 20, n. 40; ML. 34, 335). In eundem errorem lapsi sunt quidam scholastici, inter quos numeratur *Durandus* (In II Sent. d. 1, q. 5), docentes Deum non concurrere cum creaturis ad earum operationes nisi quatenus dederit eis vires operandi easque conservet. Praeterea omnes modernos ipsius creationis impugnatores hanc thesim negare, per se patet.

97. **NOTA.**—Licet doctrina in thesi proposita non possit dici simpliciter de fide tenenda, quia nullibi ut talis clare proponitur, tamen juxta communem theologorum sententiam *adeo certa est ut absque magna temeritate negari non possit* (cf. *S. Thomas,* I, q. 105, a. 5; In II Sent. d. 1, q. 1, a. 4; *Suarez,* Metaph, disp. 22, sect. 1, n. 6).

98. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scripturam actiones creaturarum *Deo attribuendae sunt, Deus semper operatur, in Deo nos vivimus, movemur, et sumus:* **Atqui** haec obvio et naturali sensu intelligi vix possunt nisi quatenus Deus cum actionibus creaturarum physice et immediate concurrere dicitur: **Ergo.**

Minor ex eo constare videtur, quod ipsae creaturarum actiones dicuntur actiones Dei, quod Deus dicitur semper operari cum creaturis agentibus, quod nos non modo dicimur esse in Deo sed etiam in eo vivere et moveri; ex his enim pronum est non meram conservationem verum etiam Dei cooperationem inferre. Attamen haec illatio non omnimode certa est, et ideo hoc argumentum scripturisticum, licet satis bonum sit, nostram thesim non apodictice probat.

Major probatur hisce textibus, quales plurimi in Sacris Litteris inveniuntur.

a) *Is. 26, 12:* "Domine, dabis pacem nobis; omnia enim opera nostra operatus es nobis." Item, *Act. 17, 25:* "Nec manibus humanis colitur (Deus) indigens aliquo, quum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia."

b) *Job 10, 8–11:* "Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu, et sic repente praecipitas me? Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me; ossibus et nervis compegisti me."

c) *Jo. 5, 17:* "Pater meus usque modo operatur et ego operor." Item, *Act. 17, 28:* "In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus;" quibus verbis satis evidenter omnimoda nostra dependentia a Deo, tum quoad esse tum quoad agere, affirmatur.

99. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex dictis **SS. Patrum.**—SS. Patres non modo scripturisticum loquendi modum communiter sequuntur, verum etiam ejus sensum de *physica et immediata Dei cooperatione data occasione exponunt:* **Ergo** ex eorum dictis firmum argumentum habetur.

Consequens per se liquet.—*Antecedens* hisce textibus probasse sufficiet.

a) *S. Theophilus:* "Deus (θεός) dicitur, διὰ τὸ τεθεικέναι, id est quia omnia in sua ipsius stabilitate posuit, et διὰ τὸ θέειν, quod

idem est ac currere et movere, et operari, et nutrire, et providere et gubernare et vivificare omnia.'" (Ad Autol. l. 1, n. 4; MG. 6, 1029).

b) *Origenes:* "Semper videmus Deum operari, et nullum sabbatum est, in quo Deus non operetur, in quo non producat solem suum super bonos et malos, et pluat super justos et injustos" (In Num. hom. 23, n. 4; MG. 12, 750).

c) *S. Joannes Chrysostomus:* "Cum solem orientem, lunae cursum, stagna, fontes, fluvios, naturae vim in seminibus, in nostris et brutorum corporibus progressum, cetera omnia quibus hoc totum constat, vides, intellige perpetuam Patris operationem" (Hom. 37 in Joan. 5, 17; MG. 59, 214).

d) *Theophylactus:* "Vis discere quomodo operetur adhuc Deus? Vide dispensationem rerum, et disce opera providentiae, solem orientem, occidentem, mare, fontes, flumina, animalia, et simpliciter omnes facturas, et videbis creaturam opera sua operari, immo operationem recipere et moveri ineffabili providentiae verbo. Omnino autem providentia et in sabbato sua operatur" (In Joan. 5, 17; MG. 123, 1265).

e) *S. Hieronymus:* "Si in singulis rebus, quas gerimus, Dei utendum est adjutorio, ergo et calamum temperare ad scribendum et temperatum pumice terere manumque aptare litteris, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, . . . et cetera hujusmodi, nisi Deus juverit, non poterimus? Juxta meum sensum non posse perspicuum est" (Dial. contra Pelag. l. 1, n. 2; ML. 23, 490).

f) *S. Augustinus:* "Quomodo negare poterimus Deum etiam nunc operari cuncta quae creantur, cum Dominus dicat: Pater meus usque nunc operatur? . . . Nam si Deus nunc ista non format, quomodo legitur: Priusquam te formarem in utero, novi te? Quomodo etiam accipi potest: Quodsi foenum agri, quod hodie est et eras in clibanum mittitur, Deus sic vestit? . . . Cum enim dixit, 'vestit,' non de praeterita ordinatione sed de praesenti operatione satis indicat" (Epist. 205 ad Consent. c. 3, n. 17; ML. 33, 948).

100. **ARGUMENTUM TERTIUM: ex ratione.**—Omnis operatio et effectus causae creatae est *ens positivum et actuale in rerum natura:* **Atqui** omne ens positivum et actuale in rerum natura immediate a Deo tamquam a causa sua physice efficiente procedit: **Ergo** ad omnem operationem et effectum causae creatae Deus physice et immediate concurrit.

Major negari non potest; nam operari plus dicit in rerum natura quam operari posse, et ideo sicut effectus productus ens quoddam positivum et actuale est.

Minor triplici ratione constat, nimirum, a) omnia in rerum natura a Deo pendent in quantum et quia sunt entia; hujusmodi autem

dependentia non tantum mediata est, sed immediate sit necesse est. Si enim aliquod ens qua ens solum mediante causa creata a Deo penderet, idem illud ens qua ens ab ipsa causa creata pendere dicendum esset; hoc tamen impossibile est, cum nulla causa finita suum effectum sub universalissima ratione entis attingere queat. b) Ipsa Dei perfectio, utpote infinita, postulat ut quodlibet ens modo perfectissimo ab eo pendeat; perfectissima autem entis dependentia a Deo physica et immediata est, ut ex ipsis terminis satis patet. c) Deus absolutum dominium habere debet non modo in omnium entium essentiam et vires, verum etiam in eorum operationem; jam vero hoc absolutum dominium in creaturarum operationem Deus exercere nequit, nisi quatenus ex ejus parte necessarius est concursus physicus et immediatus, quo denegato creaturae agere non possunt.

Confirmatur haec thesis ex unanimi consensu theologorum, qui quidem de *intima divini concursus natura* per saecula multum inter se disputarunt atque nunc disputant, quin tamen *ipsum factum* omnino certum esse unquam in dubium vocaverint. Hoc generali istius doctrinae sensu omnes consonanter docent cum *S. Thoma,* qui ait: "Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cum conjunxerimus his quod Deus sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiae sed sicut tenens rem in esse, sequitur quod ipse in quolibet operante immediate operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturae" (De Potent. q. 3, a. 7).

101. Collollarium: Quo sensu res creatae sint instrumenta virtutis divinae.

Ex dictis in hac thesi satis liquet in omni operatione et effectu *duo* posse considerari, videlicet *ipsum esse* utriusque et ejus *specificationem.* Relate ad operationis et effectus specificationem, res creatae sunt verae *causae principales* licet secundariae; ipsae enim efficiunt, et quidem propria sua actione a Deo adjuta, ut talis vel talis effectus ponatur. Relate vero ad ipsum utriusque esse, dici debent *instrumenta virtutis divinae.* Instrumentum enim est omne illud quod agit sub influxu superioris causae ultra id quod ei competit secundum naturam. Ad ipsum autem esse rerum, quod in omni operatione ponitur, causa creata ex se sola nihil potest, nihilominus sub influxu Dei ponit actum in quo illud esse continetur. Hoc igitur sensu res creatae suum effectum non producunt nisi tamquam instrumenta virtutis divinae (cf. *S. Thomas,* De Potent. q. 3, aa. 1, 4).

102. Scholion: Quod Deus omnes res creatas gubernat seu ad finem dirigit.

De providentia divina ex professo agitur in tractatu de Deo Uno, ubi sermo est de attributis Dei operativis; hic igitur sufficiet breviter indicasse effectum istius providentiae, qui in gubernatione rerum creatarum consistit. Haec gubernatio intime connectitur cum conservatione et concursu divino, de quibus modo dictum est. Sicut enim Deus omnes res creatas conservat eisque suum concursum in agendo praestat, ita eas etiam per fines proximos et intermedios ad finem ultimum perducit; immo perducit eas ad hunc finem quatenus eas conservat et per suum concursum eis praestitum dirigit secundum ordinem praeconceptum, ita ut divina rerum creatarum gubernatio sit exsecutio ordinis per providentiam mundo creato praestituti.

Hanc rerum creatarum gubernationem Sacra Scriptura multis in locis clare docet, ut cum Sapiens ait: "Tua autem, Pater, providentia gubernat" (Sap. 14, 3); tu "omnia in mensura et numero et pondere disposuisti" (Ibid. 11, 21); sapientia "attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter" (Ibid. 8, 1). Porro haec divina gubernatio ad omnia, etiam minutissima, sese extendit: "Pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus" (Ibid. 6, 8). Nec quidquam casu evenit in mundo; nam "sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur" (Prov. 16, 33). Ipsi quoque actus liberi hominum Dei providentiae subduntur; quia "cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus" (Ibid. 16, 9).

Immo haec doctrina de fide tenenda est, non modo quia in Sacra Scriptura clare continetur, verum etiam quia Concilium Vaticanum definiendo statuit: "Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, *attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus,* ea etiam quae libera creaturarum actione futura sunt" (sess. 3, c. 1; DB. 1784). Cf. S. Thomas, I, q. 22, a. 1 sqq.

103. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Deus instruxit res creatas viribus ad operandum aptis: *Atqui* vires ad operandum aptae non indigent concursu Dei: *Ergo.*

Resp. Deus instruxit res creatas viribus sub ejus influxu ad operandum aptis, *C.* Viribus citra ejus influxum ad operandum aptis, *N.*

2° *Atqui* istae vires citra Dei influxum sunt aptae ad operandum; nam sunt vires activae, quae in actu primo proximo constitutae sponte transeunt in actum: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Istae vires sunt quidem activae, sed non possunt in actu primo proximo

constitui nisi quatenus simul adest Dei concursus oblatus, ideoque solum una cum concursu collato in actum transire possunt. Ultima ratio est, quod actus qua talis poni non possit nisi simul ponatur qua ens; actus autem qua ens non potest poni nisi quatenus Deus cum causa creata cooperatur.

3° Una operatio non potest esse simul tota a duobus operantibus: *Atqui* physicus et immediatus concursus, juxta expositionem supra datam, id postulat: *Ergo.*

Resp. Una operatio non potest esse simul tota a duobus operantibus unius ordinis et sub eadem ratione, *C.* Neque a duobus operantibus ordine diversis et sub diversa ratione, *N.* Cum Deus sit causa prima et creatura sit causa secunda, nihil prohibet quominus eadem actio sit a Deo sub ratione entis universalissima et a creatura Deo subordinata sub ratione particulari, ideoque hoc sensu tota ab utraque causa.

4° Res creatae sunt causae principales actuum suorum: *Atqui* admisso concursu Dei physico et immediato, essent dumtaxat causae instrumentales: *Ergo.*

Resp. Res creatae sunt causae principales actuum suorum, quoad eam rationem sub qua actus suos ponunt, *C.* Quoad omnem rationem sub qua illi actus ponuntur, *N.* Cf. superius (n. 101).

5° Concursus Dei vel est praevius et praedeterminans, vel est simultaneus et indifferens: *Atqui* primum admitti nequit, quia non simul staret humana libertas; neque alterum admitti potest, quia tunc actio Dei penderet ab actione causae secundae: *Ergo.*

Resp. Concedo majorem, et transmitto primam partem minoris; dein ad alteram partem minoris dico: Non potest admitti concursus simultaneus et indifferens qui se haberet ad actionem causae secundae tamquam ad principium determinans, *C.* Qui se habet ad actionem causae secundae tamquam ad meram conditionem a Deo volitam, *N.*

6° *Atqui* actio causae secundae non potest esse conditio cooperationis Dei; nam ista actio est ens cujus causa sub ratione entis est ipsa Dei cooperatio: *Atqui* nihil potest esse causa ejus a quo ipsum per modum conditionis determinatur: *Ergo.*

Resp. Concedo majorem, et distinguo minorem: Nihil potest esse causa ejus a quo ipsum per modum conditionis determinatur, nisi causa et conditio sint omnino simul, *C.* Si sunt simul, *subd.* Tunc hoc principium valet de causa finita, *Tr.* Tunc hoc principium valet etiam de causa infinita, *N.* Attamen, licet haec distinctio omnino vera sit, non ad evidentiam solvit difficultatem propositam, quippe quae tangit mysterium humanae rationi impervium.

ARTICULUS III

De Ordinatione Mundi Materialis

ASSERTUM.—Deus materiam mundanam a se ex nihilo conditam ita ordinavit, ut per longum temporis tractum et pro rerum exigentia divina virtute adjuta sese in praesentem mundi materialis statum gradatim evolverit.

Cf. Hummelauer, *Comment. in Genesim,* pp. 49 sqq.; *Der Schoepfungsbericht,* in Stimmen aus Maria Laach, Ergaenzungsheft, n. 4; *Noch einmal der biblische Schoepfungsbericht;* Hetzenauer, *Comment. in libr. Genesis,* pp. 25 sqq.; Guibert, *In the Beginning,* pp. 18 sqq.; De Gryse, *De Hexaemero secundum Caput Primum Geneseos ad Literam;* Strappini, *What were the Days of Genesis?* The Month, Jan. 1881; Pesch, III, nn. 74 sqq.; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 295 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 1.

Notandum: Tota haec res exegetica est potius quam dogmatica; et ideo primarie ad scholam scripturisticam pertinet, in qua ea quae Sacrae Scripturae interpretationem spectant, ex professo traduntur. Attamen puncta quaedam majoris momenti, quae ibi de subjecta materia exposita sunt, hic breviter in mentem revocanda videntur; indirecte enim spectant opus creationis passive sumptum, prout illud etiam dogmatice tractandum est. Haec autem puncta ita fere ex ordine proponenda videntur.

104. De ordinatione mundi materialis, quam Sacra Scriptura refert, suo quoque modo tractant *scientiae naturales;* et quidem praecipue, a) *Cosmogonia,* b) *Geologia,* c) *Palaeontologia.* Harum igitur scientiarum testimonium in subjecta materia etiam audiendum est. Quare in sequentibus exponendum erit, I, *quid de ordinatione mundi materialis doceat Sacra Scriptura;* II, *quid de eadem re doceant scientiae naturales;* III, *quaenam principia observanda sint in expositione primi capitis Geneseos;* IV, *quaenam theoriae de ordinatione mundi propositae aut teneri aut non teneri possint.*

105. I. *Sacra Scriptura* haec docet: a) Deus *creavit mundum* (Gen. 1, 1, 2); b) Deus *formavit mundum* (Gen. 1, 3–26; 2, 1–3); c) Deus *ab opere suo quievit* (Gen. 2, 2, 3).

Ipsa formatio mundi, de qua nunc quaerimus, *sex diebus* facta est; et juxta narrationem Mosaicam dividitur in *duas partes,* nimirum, in *Opus Divisionis et Opus Ornationis.* Opus divisionis complectitur *tres dies priores;* opus vero ornationis, *tres dies posteriores.* Item, opus divisionis pro fine habet *constitutionem habitaculorum* seu *regionum:* videlicet, *lucis, aquae-aeris,* et *terrae.* Hae autem regiones

constitutae sunt divisione lucis a tenebris, aquarum superiorum ab aquis inferioribus, aquarum inferiorum a terra mox plantis vestita. Opus ornationis vero complectitur effectionem solis, lunae, et siderum; item animalium aquatilium et volatilium, necnon animalium terrestrium et demum hominis. Ea tamen quae ad ortum hominis spectant, ad hunc articulum non pertinent; infra enim in speciali thesi tractanda sunt.

106. II. *Scientiae naturales* haec fere docent: a) *Cosmogonia,* tempora longissima effluxisse ab initio materiae primigeniae usque ad formationem stellarum, et stellas non simul sed temporibus procul disjunctis factas esse. b) *Geologia,* terram gradatim esse formatam. Hanc insuper formationem successivam tribuendam esse viribus naturalibus et temporibus valde diuturnis. c) *Palaeontologia,* formationem terrae orientibus jam organismis vivis nondum fuisse completam. Fossilia eo ordine inveniri in stratis terrae, ut appareat organismos fuisse gradatim ad altiorem perfectionem perductos. Item hanc plantarum et animalium ad perfectiorem statum adductionem fuisse simultaneam.

107. III. *Principia in expositione primi capitis Geneseos notanda et observanda* ad haec reduci possunt: a) Quidquid in Sacra Scriptura revelatur vel inspiratione affirmatur, eo sensu verum est *quo a Deo fuit vel revelatum vel inspiratione affirmatum;* sed aliquando prudenter dubitari potest quisnam in particulari casu sit iste sensus. b) Alia in Sacra Scriptura *per se,* alia vero *per accidens* revelata sunt. *Per se* ea dicuntur revelata, quae rationis lumine inveniri vel etiam intelligi non possunt; quaeque ad fidem et mores spectant. *Per accidens* vero revelata ea dicuntur, quae in se sunt quidem facta naturalia, tamen aliquem nexum habent cum rebus fidei et morum. De rebus per se revelatis habentur multae Ecclesiae definitiones, quae utique fidelium conscientiam ligant. De rebus vero per accidens revelatis, in quantum varias expositiones admittunt, solet esse inter fideles sat magna opinionum diversitas. Et hoc quidem obtinet relate ad mundi materialis ordinationem. In Hexaemero, seu in primo capite Geneseos, hae *quatuor veritates per se revelatae* habentur, nimirum, *prima,* unum esse Deum, dominum caeli et terrae; *secunda,* omnia ultimo ex nihilo esse a Deo condita; *tertia,* sabbatum sanctificandum esse; *quarta,* omnia a Deo creata esse bona. In eodem Hexaemero ea omnia per accidens revelata sunt, quae vel ad ordinem physicum qua perficiendum pertinent, vel cum rebus fidei et morum aliquo modo connectuntur.

108. IV. *Diversae theoriae de ordinatione mundi propositae,* quarum aliae teneri possunt, aliae vero non, ad infra ponendas reducuntur. Ad diversas autem has theorias quod nunc attinet, nostrum

non est proponere argumenta quibus aliae admissibiles et aliae rejiciendae probentur; id enim ad exegesim spectat, quam nos hic ex schola scripturistica supponimus. Quare ipsis theoriis recensitis generales quasdam vel approbationis vel reprobationis rationes adjecisse modo sufficiat.

In hisce tamen rebus ea prae mente habenda sunt, quae monuit Leo XIII: "Scriptores sacros . . . noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura; quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone cum ea primo proprieque efferantur, quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) 'ea secutus est, quae sensibiliter apparent,' seu quae Deus ipse homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more" (Encycl. "Providentissimus Deus," 18 Nov. 1893; DB. 1947).

Porro Doctor Angelicus, praeter verba supra allegata, nimirum, "Moyses rudi populo condescendens secutus est, quae sensibiliter apparent" (Sum. Theol. I, q. 70, a. 1 ad 3), hac de re dicit: "In hujusmodi quaestionibus duo sunt observanda: primo quidem, ut veritas Scripturae inconcusse teneatur; secundo, cum Scriptura Divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut, si certa ratione constiterit hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne iis via credendi praecludatur" (Ibid. q. 68, a. 1). Idemque jam antea monuerat S. Augustinus (cf. De Genesi ad Litteram, l. 1, cc. 18, n. 37 et 19, n. 39; ML. 34, 260 sq).

109. A. *Theoriae quae teneri non possunt.*

Minime teneri potest Hexaemeron esse narrationem *fictitiam,* sive *mythum* populis Semiticis communem, et ab auctore Geneseos e fontibus Babylonicis vel aliis ejusdem generis haustum. Vel esse narrationem *pure allegoricam,* fundamento objectivae realitatis destitutam, quae sub historiae specie ad veritates religiosas et philosophicas inculcandas sit proposita. Vel esse *legendas* quasdam, ex parte historicas et ex parte fictas, ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas. Vel denique continere *citationes implicitas,* de quarum objectiva veritate Sacer Scriptor nihil dicat. Cf. *Responsa Commissionis de re Biblica,* 30 Junii, 1909; DB. 2121 sqq.

Ratio autem ob quam hujusmodi theoriae admitti non possunt, tum ex eo petitur quod omni veritatis fundamento destitutae sunt, tum etiam ex eo quod admissae ipsum fundamentum fidei labefactarent.

Nam tum Judaeorum tum Christianorum fides illis narrationibus innititur; fides autem vel falsis vel dubiis narrationibus innixa non est tuta.

110. *Theoriae quas homini Catholico licet tenere.*

1. *Theoria Litteralis,* quae docet mundum sex diebus viginti quatuor horarum factum esse, et quidem ea successione chronologica quae in Sacris Litteris exhibetur. Vel etiam hujus theoriae sequentes modificationes:

a) *Theoria Diluvialis,* juxta quam strata geologica (cum fossiliis inclusis) diluvio facta sunt. Sex diebus naturalibus Deus mundum fecit et post opus sex dierum contigit diluvium, quo ea terrae conditio caeque formationes geologicae factae sunt, quas nunc conspicimus.

b) *Theoria Restitutionis,* juxta quam terra modo nunc incognito post ipsam ejus creationem formata est, et sic formata per multa millia annorum existebat. Dein vero accidit magna rerum perturbatio (*thohu va bohu*) qua omnes formationes et plantae et bestiae tunc existentes destructae sunt. Posthac Deus omnia restituit, et opus sex dierum est haec restitutio. Proinde juxta hanc theoriam formationes geologicae factae sunt ante opus sex dierum.

Hisce theoriis nihil quidem contra fidem profertur, et hoc sensu absque temeritate a Catholico defendi possunt; attamen quibusdam factis scientifice stabilitis haud parum adversantur, et ideo prudenter nunc ut ineptae seponuntur. Cf. *Pesch,* n. 95; *Guibert,* p. 28.

2. *Theoriae Ideales,* quae, licet diversimode conceptae, haec tamen puncta quasi communia habent: Sex dies sunt dies naturales, sed allegorice accipiendi. Veritas autem allegorice annuntiata haec est: Deus operatur creando omnia, et dein quiescit. Homo etiam operari et quiescere debet. Homo operatur sex diebus et die septimo quiescit. Sabbatum est dies quietis, dies sanctificandus. Inde etiam Deus sex diebus operari repraesentatur et septimo die quiescere. Hac igitur ratione, ista operatio et quies divina est quasi exemplar laboris et quietis hominis.

Id quod hisce diebus objective respondet, sicut etiam ipse istorum dierum conceptus subjectivus, diversimode exponitur ab auctoribus diversis. Juxta *S. Augustinum,* dies genesiaci subjective designant cognitionem angelicam, et quidem duplicem. Altera est ex propriis speciebus, quae est obscura et ideo dicitur vespertina; altera vero est in Verbo, quae, cum sit clarior, nominatur matutina. Objective autem huic duplici cognitioni correspondent diversi aspectus unius operis divini, quo omnia in principio simul creata sunt (cf. De Gen. ad litt. l. 4, cc. 22, 34). "Haec expositio hodie plane derelicta est. Et merito quidem; pugnat enim haec expositio cum obvio et litterali sensu ver-

borum textus; nulla autem ratio est, cur a litterali sensu recedamus'' (*Pesch,* n. 83).

Prima facie ad hanc theoriam ea quodammodo accedit, quae *Visionistarum* dicitur, re tamen ab ea valde diversa est. Juxta *Visionistas* enim sex genera operum divinorum Adamo in visione sub forma sex dierum naturalium revelata sunt. Objective hisce diebus respondet tempus valde diuturnum, quo ista sex genera operum gradatim formata sunt atque ad ultimam eorum perfectionem perducta. Dicitur autem vespere status operis imperfectus; mane vero ejusdem operis status perfectior. Initio cujusvis operis ipsius finis statim conjungitur, licet objective multae gradationes initium inter et finem intercidisse dicendae sint. Haec theoria plurimis placet, et reapse videtur quavis alia longe probabilior; simul tamen a paucis tamquam pura fictio, nullo prorsus fundamento nixa, rejicitur. Cf. *Pesch,* n. 86. Eam acriter propugnat Hummelauer, in operibus supra citatis.

3. *Theoria Concordistica,* quae etiam *Periodismus* vocatur, duplici modo proponitur: a) Ut *Concordismus Rigidus,* juxta quem sex dies sunt sex distinctae periodi diuturnae, eo ordine sibi respective succedentes quo in Sacris Litteris exhibentur. Haec autem successio est chronologica, ita ut narratio genesiaca concordet in omnibus cum actuali mundi evolutione. b) *Concordismus Mitigatus,* qui quidem exponit sex dies genesiacos tamquam sex periodos aliquomodo successivas, non tamen perfecte et adaequate tales. Illa prior expositio non potest rationabiliter teneri, cum factis scientifice stabilitis adversetur; haec altera vero defendi potest, eamque sat multi inter modernos tuentur. Cf. *Beraza,* nn. 341 sqq.

4. Hac de re ita judicat cl. Hetzenauer, cujus judicium valde sanum videtur: ''Cum igitur certae doctrinae scientistarum naturalium sensui litterali proprio obstent, sensum litteralem improprium amplexare . . . *dies* pro spatiis longioribus seu periodis accipere debemus quae ab hagiographo non chronologice, sed *idealiter* ordinatae sunt (*theoria periodistica-idealis*). Vocem *yom* juxta usum loquendi biblicum etiam longius temporis spatium significare, omnes sciunt; ipsam longissimum quoque spatium seu periodum denotare, contextus proximus docet, nam dies septimus adhuc perdurat (2, 2 sq): ergo jure sex dies antecedentes pro periodis accipere possumus; et si periodi vocantur dies, initium et finis earum formula *factum est vespere et mane* apte exprimitur.

''Hanc significationem voci subjicit 'Compendio della Dottrina Cristiana praescritto da Sua Santità Pio X alle Diocesi della Provincia di Roma. Roma, Tipografia Vaticana, 1905,' pag. 355 declarans: 'Et quamvis potuisset complere magnum opus in uno solo instanti, voluit impendere ei sex periodos temporis, quas Scriptura Sancta vocat *dies!*

"Periodos autem non chronologice, sed idealiter ordinatas esse hagiographus ipse non obscure indicat. Loquitur enim prius de luce solari, deinde de corpore solis; prius de divisione lucis et tenebrarum, diei ac noctis, deinde de luminaribus, quae divisionem efficiunt; prius de plantis florentibus et fructificantibus, deinde de radiis solis, sine quibus plantae existere nequeunt (1, 3–5; 12, 14–18). Si auctor *eruditus omni sapientia Aegyptiorum* (Act. 7, 22) ita scribit, satis innuit, se non chronologicum sed idealem ordinem servare. Huc accedit, quod articulum numero ultimi diei praefixum ante ceteros numeros omiserit. Denique idea, juxta quam hagiographus materiam ex traditione sumptam ordinavit, aperta est. Antea opus distinctionis (productio regionum), postea opus ornatus (productio exercituum); antea generalia, postea particularia; antea imperfectiora, postea perfectiora describuntur. Sicut Matthaeus opera Christi non chronologice, sed historico-dogmatice seu idealiter disposuit, ita Moyses creationem mundi narravit" (Comment. in Libr. Gen. pp. 40, 41).

111. In supra positis tacite praeterivimus quaestionem hisce diebus acriter inter peritos disputatam, unde videlicet petendus sit ortus entium viventium, seu plantarum atque animalium; num per specialem Dei interventum ex materia jam praeexistente condita sint, an potius per evolutionem quamdam naturalem, ope virium materiae anorganicae a Deo inditarum, sub influxu ordinarii et generalis Dei concursus ad esse a materia praeexistente specifice diversum adducta sint. Haec quaestio ex Sacra Scriptura decidi non potest. Nihil enim ibi invenitur quod certe obstet quominus, homine utique excluso, naturalis evolutio viventium e non viventibus, et superiorum specierum e speciebus inferioribus, admittatur. Si igitur inventa scientiarum naturalium hujusmodi evolutionem postulent, Catholici eam tuto tueri possunt.

Attamen quae hucusque scientifice certe stabilita sunt, si absque praeconcepta in evolutionis favorem notione considerantur, nullum prorsus etiam leviter probabile argumentum suppeditant, ope cujus ortus viventium e non viventibus, vel ortus animalium ex plantis, ostendi possit. Palaeontologia perfectiorum quidem ad imperfectiora successionem exhibet, sed nexum geneticum inter ea nullatenus stabilivit. Neque ex aliis scientiis valida aliqua ratio peti potest, ob quam hujusmodi nexus admittendus sit. Ex altera tamen parte evolutio naturalis intra certos limites, qua species systematicae quae vocantur ortum sumpserint, satis magna probabilitate gaudere videtur. Cf. *E. Wasmann,* Die Moderne Biologie und die Entwicklungstheorie, Freiburg, 1906; Lebensgesetze und Lebensromane, in periodico: Stimmen der Zeit, Maerz, 1923; *Dorlodot,* Darwinism and Catholic Thought, London, 1923; Dictionnaire Apologétique, art. Evolution, t. 1, col.

1786 sqq. Auctoritates de evolutione hominis vide infra (n. 121 sub fine).

Ceterum probe distinguendum est inter evolutionismum materialisticum et spiritualisticum, quorum uterque hisce diebus suos defensores eosque quam plurimos habet. Evolutionismus materialisticus in solis materiae viribus haeret, ipsamque materiam infectam esse assumit. Unde non modo docet omnes plantarum et animalium species, immo ipsum quoque hominem secundum totum quod est, per evolutionem ex materia illa infecta prodiisse; verum etiam contendit, vel saltem tacite assumit, nullam esse hujusce evolutionis causam a materia distinctam, nullamque esse intelligentiam eam dirigentem, ita ut revera processu pure mechanico entia perfectiora ab imperfectioribus, sive subito et quasi per saltus sive per minimas continuasque mutationes, producantur. Hujusmodi autem evolutionem nullatenus admitti posse, per se patet; nam revelationi simul et rationi evidentissime adversatur, ut ex thesibus supra positis et firmiter probatis luculenter constat.

Evolutionismus spiritualisticus e contrario non solum agnoscit Deum creatorem omniumque dominum, sed insuper statuit primam vitam immediate a Deo esse productam, vitam animalem non sine speciali Dei interventu ex vegetali prodiisse, ipsamque teleologicam tendentiam, vi cujus omnis ulterior specierum origo explicanda sit, esse rebus creatis ab ipso Deo inditam, ideoque Deum esse cujuslibet verae evolutionis auctorem. Porro ad primos homines quod attinet, ex animo agnoscit eos saltem secundum animam immediate solius Dei actione ortos esse; neque ortum humani corporis evolutioni tribuit ut factum certe tenendum, sed potius per modum hypothesis rationibus quibusdam scientificis aliqualiter firmatae. Immo plurimi eorum, qui in aliis rebus huic evolutioni favent, eam relate ad hominem, etiam quod solum ejus corpus spectat, omnino rejiciendam esse censent. Hanc igitur evolutionem etiam Catholicus tueri potest, dummodo non ultra facta scientifice stabilita temerarie procedat (cf. *Corluy*, Spicilegium, I, p. 198; *Hummelauer*, Comment. in Gen. p. 129).

SECTIO III

De Homine

ARTICULUS I

De Creatione Hominis

THESIS X.—Primi parentes immediata Dei operatione conditi sunt, et ita quidem ut eorum corporis formatio evolutioni teleologicae nullatenus adscribenda sit.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, qq. 90–93; *In II Sent.* d. 28, q. 2, aa. 1, 2; *De Potent.* q. 3, a. 9; *In III Sent.* d. 3, q. 2, a. 2; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 17, a. 2, q. 3; d. 17, a. 1, qq. 1, 2; Suarez, *De Opere Sex Dierum,* l. 3, cc. 1, 2, 8; Hummelauer, *Commentarius in Genesim,* pp. 123 sqq.; Hetzenauer, *Commentarius in libr. Genesis,* pp. 48 sqq.; H. Muckermann, *Attitude of Catholics towards Darwinism,* pp. 39 sqq.; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 918 sqq.; 986 sqq.; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 451 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 100 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes, 25; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 492 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 75 sqq.; Lepicier, *De Prima Hominis Formatione;* Guibert, *In the Beginning,* c. 4; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2, a. 1.

112. **STATUS QUAESTIONIS.**—Creatio passive spectata complectitur *mundum materialem, hominem,* et *angelos.* Mundum materialem esse a Deo creatum atque formatum in antecedentibus probatum est. In hac thesi quaeritur de *ortu hominis.* Licet indirecte ex jam probatis satis appareat hominem quoque fuisse aliquo modo a Deo productum, iste tamen modus productionis accuratius investigandus manet. Homo autem constat ex anima et corpore, et proinde de ortu utriusque partis haec investigatio procedere debet.

113. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Totum genus humanum, ut in thesi infra ponenda probabitur, ortum habet ex Adamo et Eva, qui idcirco "primi parentes" vel etiam "protoparentes" vocantur. De *his solis* quaestio movetur in nostra thesi; ad ceteros enim homines quod attinet, pro praesente assumitur eos omnes oriri per viam generationis naturalis. Primi autem parentes dicuntur immediata Dei operatione conditi, in qua tamen operatione distinguendum est inter animam et corpus. Anima enim, ut infra ostendetur, spiritualis est et produci non potuit nisi per creationem stricte dictam; corpus vero, utpote

materiale, formari valuit ex materia praejacente, quae ipsa utique in principio ex nihilo condita erat.

b) Hinc relate ad animam protoparentum, immediata Dei operatione significatur *creatio prima,* seu productio animae ex nihilo sui et subjecti; relate vero ad eorum corpus, eadem Dei operatione intelligitur formatio corporis ex materia jam existente. Dicitur autem haec corporis formatio immediata Dei operatio, ut excludatur *evolutio naturalis,* seu transformatio solis naturae viribus facta, quam tuentur *Transformistae* moderni. Insuper etiam excluditur quaelibet *causa instrumentalis proprie dicta,* qua Deus forte uti potuisset ad corpus humanum effingendum; admitti tamen potest causa finita *mere ministerialis,* qualis esset angelus materiam adhibendam aliquo modo extrinsece disponens (cf. *S. Thomas,* I, q. 91, a. 2 ad 1).

c) Terminus autem *a quo* operationis divinae, juxta Sacram Scripturam, relate ad corpus Adami erat *limus terrae,* ideoque materia anorganica; relate vero ad corpus Evae, *costa de Adamo desumpta.* Terminus vero ad quem in utroque casu erat corpus *organicum, vivum, anima spirituali informatum.* Ad terminum a quo corporis Evae quod spectat, cum illa costa per se utique non sufficeret ad perfectum corpus humanum efformandum, "necesse est ponere additionem materiae vel per creationem, vel (quod probabilius est) per conversionem" (S. *Thomas,* I, q. 92, a. 3). Quare totus ille terminus tum costam de Adamo sublatam tum aliquam aliam materiam complectebatur.

d) Immediata igitur Dei operatio relate ad utrumque corpus in eo consistebat, quod *Deus nutu voluntatis terminum a quo transire fecit in terminum ad quem.* Haec tamen effectio termini ad quem non ita concipienda est, ac si Deus imprimis effinxerit corpus humanum, cui deinde adjungeret animam interim creatam; tali enim modo Deus agere non solet, neque hujusmodi processus ipsi operi perficiendo consentaneus fuisset. Nam anima humana informando materiam organizat, et organizando perficit. Unde res forte ita concipi potest: Deus creando animam eam infundebat in materiam a se designatam, et hac ipsa infusione ista materia organizata atque viva evadebat; ita ut creatio animae, ejus infusio in materiam, necnon istius materiae organizatio atque vivificatio, seu ipsa corporis humani constitutio, essent tempore simul.

e) Attamen haec particularis istius divinae operationis expositio in hac thesi non probatur, neque probanda est. Nam relate ad ortum corporis Adami et Evae hoc unum nunc intendimus, ut firmis argumentis probemus Deum *non infudisse animam humanam corpori alicujus animalis bruti,* quod evolutione teleologica eousque pervenisset, ut aptum jam esset ad animam humanam recipiendam; sed *propria sua et speciali operatione* id effecisse, ut una cum animae creatione et

in materiam aliunde desumptam infusione corpus humanum constitueretur. Ad hoc autem probandum non est necessarium ut simul etiam ostendamus ortum corporis humani per naturalem evolutionem esse *impossibilem*, quae quidem impossibilitas ostendi non potest; sed solum ut afferamus argumenta ex fontibus positivis desumpta, quae *ipsum factum* hujusmodi ortus excludunt.

114. ADVERSARII.—Thesim impugnant tum omnes *Evolutionistae* extremi, qui communiter *Transformistae* vocantur, tum etiam plurimi ex *Evolutionistis* moderatis. Illi priores tenent hominem secundum corpus et animam esse ultimum terminum evolutionis teleologicae, quae juxta eos solis naturae viribus operatur. Hi vero posteriores admittunt animam humanam esse a Deo creatam, sed simul affirmant humanum corpus derivatum esse ex corpore bruti animalis, quod scilicet per evolutionem naturalem sensim sine sensu ad eam organizationis perfectionem adductum fuit, qua plus minus proxime aptum esset ut anima rationali informaretur. Hanc alteram sententiam etiam quidam Catholici auctores proposuerunt, inter quos praeter *St. George Mivart* numerabantur *P. Leroy* et *P. Zahm,* quorum tamen opera emendationis causa ecclesiastica auctoritate prohibita sunt.

115. NOTA.—Relate ad *corpus* protoparentum thesis proponit doctrinam *moraliter certam,* et quam vix non omnes theologi ut certe tenendam defendunt; immo haud pauci eam ad fidem pertinere censent (cf. *Suarez,* op. cit. l. 3, c. 1, nn. 4, 6; *Hurter,* II, tract. 6, thes. 121, n. 307; *Perrone,* De Deo Creatore, p. 3, c. 1, prop. 1, n. 229). Ad *animam* vero protoparentum quod attinet, *de fide tenendum est* ejus ortum esse ex *immediata creatione* repetendam. Haec quidem nota non ex aliqua definitione desumitur, sed ex jugi Ecclesiae magisterio derivatur. Insuper *de fide tenendum est Deum ex nihilo condidisse humanam creaturam,* id enim definierunt *Concilium Lateranense IV* (DB. 428) et *Vaticanum* (DB. 1783); cum hisce tamen definitionibus simul stare potest productio corporis Adami et Evae per mediatam Dei operationem.

116. ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.—Effectio protoparentum per operationem Dei iis terminis in Sacra Scriptura refertur, qui *sensu obvio et naturali necessario significant illam Dei operationem non modo quoad animam verum etiam quoad corpus eorum fuisse immediatam:* **Atqui** in causa obvius et naturalis terminorum sensus servandus est: **Ergo.**

Minor ex eo patet, quod non habetur valida ratio in contrarium, ideoque juxta primam bonae interpretationis regulam obvius et naturalis sensus servari debet. Et non esse validam rationem in contrarium inde sequitur, quod Deus certe potuit non modo animam verum etiam

corpus protoparentum immediata operatione condere, quod in aliis Sacrae Scripturae locis nihil invenitur ex quo inferri potest eum id non fecisse, quod prorsus nullum probabile factum scientifice stabilitum mediatam dumtaxat Dei hac in re operationem suadet.

Major probatur textibus huc spectantibus, et quidem quatenus referunt, a) generale factum creationis hominis; b) modum quo Adamus formatus est; c) modum quo Eva formata est.

a) *Generale factum creationis hominis* ita refertur: "Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; . . . Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos" (Gen. 1, 26, 27).

Ex hac narratione id saltem constat, hominem scilicet esse ex sua creatione altioris ordinis quam cetera animalia, ita ut Deus secum quasi inierit consilium ad eum prae ceteris speciali modo condendum. Quisnam hic specialis operandi modus sit, non explicite indicatur in textu; est tamen homo vi istius operationis imago Dei, necnon dominus cunctorum animantium in terra (vv. 27–31). Sic igitur hic textus viam sternit ad Dei operationem ex aliis textibus accuratius exponendam.

b) *Modus quo formatus est Adam:* "Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem" (Gen. 2, 7).

Ille terminus, "de limo terrae," in textu originali legitur *Haadam min-Haadamah,* id est, terrenum ex limo de terra; vel etiam, pulverem de terra; hanc autem humani corporis ex terra originem Sacra Scriptura aliis et quidem plurimis in locis quasi cum emphasi refert. Ita Gen. 3, 19: "In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris." Item Tob. 8, 8: "Tu fecisti Adam de limo terrae." Item Eccl. 12, 7: "Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat." Item Eccli. 17, 1; "Deus creavit de terra hominem." Ibid. 33, 10: "De solo et ex terra creatus est Adam." Denique Sap. 7, 1: Omnes homines sunt "ex genere terreni illius, qui prior factus est." Unde obvius et naturalis hujus termini sensus saltem suadet Adami corpus non ex aliquo animali, sed ex ipsa terra seu ex materia anorganica desumptum fuisse.

Huc accedit quod illud terrenum (*Haadam*) per ipsum spiraculum vitae, sibi a Deo inditum, factum sit "in animam viventem," seu factum sit vivens, animal, homo; et ideo sicut ante istam inspirationem *Haadam* non erat homo, ita neque vivens erat, neque animal. Inde etiam explicatur quare ab Adamo ante creationem Evae inter cuncta animantia terrae non inventus fuerit "adjutor similis ejus" (Gen. 2, 20). Si enim ipsius corpus ex naturali evolutione derivatum fuisset,

cur tandem unum dumtaxat hujus evolutionis specimen adesset? Et ipsum factum quod aliud hujusmodi specimen non "inveniebatur," certe excludit Transformismum extremum; immo etiam moderatum excludere videtur. Nam corpus quod ita jam dispositum est ut anima rationali informari possit, etiam dispositum esse videtur ut in coitu cum homine humanae generationi materiam suppeditet. Ille autem "adjutor" de quo in textu, humanae generationis adjutor intelligitur. Utique ultima corporis bruti dispositio ad animam rationalem recipiendam potuisset immediate ab ipso Deo induci, quod quidem factum fuisse nonnulli contendunt; sed illa contentio non alii fundamento innititur nisi ipsi rei possibilitati (cf. *Guibert,* op. cit. pp. 195 sqq).

Haec igitur de formatione corporis Adami; quae vero ad ejus animae ortum spectant, hic breviter absolvi possunt. Dicitur haec anima Dei halitu producta, id est, ex ejus ore vel nutu voluntatis procedens; quasi vita de vita Dei, non ex praejacente materia sed ex nihilo condita. Estque principium vitae, quapropter spiraculum vitae in faciem vel potius in nares Adami inspiratum dicitur. Insuper est principium vitae rationalis; quia statim postquam receptum fuit, Adamus tamquam ens rationale de rebus judicat suasque ideas verbis exprimit (cf. Gen. 2, 19 sqq). Tale autem principium spirituale est, ideoque solum per creationem ex nihilo ortum habere potuit. Cf. *Hummelauer,* op. cit. pp. 126 sqq.

c) *Modus quo formata est Eva:* "Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem; et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est" (Gen. 2, 20–24).

Hanc narrationem esse historicam et litterali sensu accipiendam, imprimis patet ex responso *Commissionis de re Biblica,* 30 Junii, 1909, ad hoc quaesitum: "Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt; uti sunt inter cetera . . . formatio primae mulieris ex primo homine . . . Resp. Negative" (DB. 2123).

Deinde idem etiam plane constat ex ipso textu; secus enim minime verum esset id quod Adamus intuitus Evam dixit, nimirum: "Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est" (v. 23). Unde S. Paulus ait: "Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum" (I Cor. 11, 8, 9; cf. I Tim. 2, 13; Sap. 10, 1).

Jam vero litteralis hujus narrationis sensus explicite statuit corpus Evae per immediatam Dei operationem factum fuisse, ideoque naturali evolutioni nullus omnino relictus est locus. Ex hac autem conclusione, quae omni ex parte certa est, haud parum confirmatur argumentum supra datum quoad immediatam Dei operationem in formatione corporis Adami. Si enim haec narratio sumenda est litteraliter, praesumptio omnino est et illam litteraliter sumi debere; si in hac narratione Eva dicitur *Isha min-Ish,* Virago de viro, quia immediate ex viro formata est; etiam in illa narratione Adam dicitur *Haadam min-Haadamah,* pulvis de terra, quia immediate ex terra formatus est. Quare etsi illud argumentum ex se solo non omnimoda certitudine probet corpus Adami per immediatam Dei operationem conditum fuisse, una tamen cum hoc altero argumento istam conclusionem sat certe evincit.

De productione animae mulieris explicite quidem nihil dicitur, implicite tamen jam in eo memoratur, quod "creavit Deus hominem ad imaginem suam . . . masculum et feminam creavit eos" (Gen. 1, 27); sicut igitur Adam erat homo et imago Dei propter animam spiritualem a Deo creatam, ita et Eva. Ceterum Eva haud minus quam Adam exhibetur ratione praedita, necnon obligatione morali obstricta (cf. Gen. 3, 1 sqq).

117. ARGUMENTUM ALTERUM: ex dictis SS. Patrum.— SS. Patres non modo docent Adamum et Evam per immediatam Dei operationem conditos esse, verum etiam *inde petunt argumentum quo ostendant possibilitatem resurrectionis mortuorum:* **Ergo** de eorum mente hac in re nullatenus ambigendum est.

Consequens per se patet.—*Antecedens* hisce textibus probatur.

a) *S. Irenaeus:* "Sumpsit Deus limum de terra et formavit hominem. Et quidem multo difficilius et incredibilius est ex non existentibus ossibus et nervis et venis et reliqua dispositione, quae est secundum hominem, facere ad hoc, ut sit, et quidem animalem et rationalem facere hominem, quam, quod factum est et deinceps resolutum est in terram . . . rursus redintegrare" (Adv. Haer. l. 5, c. 3, n. 2; MG. 7, 1129).

b) *Origenes:* "Fit quidem anima, at fingitur corpus; . . . sumens (Deus) lutum e terra efformavit. . . . Non solummodo hominem fecit ut ceteras creaturas, sed et plasmavit eum, proprio ipsius opificio honestans" (In Ps. 118, 73, apud Pitra, Anal. Sacr. III, p. 279).

c) *S. Gregorius Nyssenus:* "Si simpliciter scriptum esset, 'fecit,' cogitares hominem fuisse factum ut feras, ut cete, ut plantas, ut herbas. Quocirca ut te cum agrestibus intelligeres nihil habere commune, Moyses proprium et singulare Dei in te creando artificium

explicavit: sumpsit Deus pulverem de terra. Tunc quid Deus fecerit, dixit; nunc qua ratione fecerit exponit: pulverem sumpsit de terra, hominemque propriis manibus formavit'' (Orat. 2 in hominis procreat. 1,; MG. 44, 278).

d) *S. Basilius:* ''Ego cum faenum audio, faenum intelligo; et plantam, et piscem, et bestiam, et pecus, omnia uti dicta sunt, sic accipio; non enim erubesco evangelium'' (In Hexaem. hom. 9, n. 1; MG. 29, 188); et sic etiam hominis effectionem secundum litteram interpretatur.

e) *S. Chrysostomus:* ''Age nunc ad institutum redeamus, et videamus quidnam etiam aliud nos docere velit beatus ille propheta. Nam ut dixit: 'Hic est liber generationis caeli et terrae; progressus ultra, narrat iterum diligentius hominis formationem. Et quia superius breviter dixerat: 'Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum,' nunc dicit: 'Et formavit Deus hominem, pulverem de terra, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem. Magnum est quod hic dicit, et stupore plenum humanamque transcendens mentem: Et formavit, inquit, Deus hominem, pulverem accipiens de terra. . . . Acceptone de terra pulvere formavit hominem? Etiam, inquit, et non simpliciter, nec quamlibet fortuito terram dicit, sed pulverem; quasi si quis dicat, tenuissimum et vilissimum quod est terra. Magnum tibi et admirabile videtur quod dictum est; verum si cogites quis opifex, neutiquam fidem habere facto recusabis, sed miraberis et adorabis Conditoris potentiam'' (In Gen. hom. 12, n. 4; MG. 53, 102).

Item: ''Accepit enim, inquit, Deus pulverem de terra, et formavit hominem. Manu propria dignatur corpus nostrum formare. Non angelus formandum ministravit; non velut cicadas, sponte humus hominem protulit; non administris potestatibus, hoc illudve facerent, praecepit, sed manu sua opus elaborat, sumpto de terra pulvere'' (De hominis structura, Orat. 2, n. 1; MG. 30, 40).

f) *Tertullianus:* ''Adeo magna res agebatur qua ista materia exstruebatur. Itaque totiens honoratur, quotiens manus Dei patitur; dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. . . . Haec cum ita sint, habes et limum de manu Dei gloriosum, et carnem de afflatu Dei gloriosiorem, quo pariter caro et limi rudimenta deposuit et animae ornamenta suscepit'' (De resurrect. carnis, cc. 6, 7; ML. 2, 802).

g) *S. Hilarius:* ''Habet primo hanc origo hominis dignitatem, quod ei proprium fuit, de se ante tractari ('faciamus'). Verum et in hoc praesenti prophetico dictu ('Manus tuae fecerunt me') ingens humanae originis privilegium continetur. Non enim manus Domini pecora et aquatilia et volatilia fecerunt; nusquam istud Scripturae

tradiderunt. Egregium hoc itaque et praeclarum in homine est, quia a ceteris dignitate operationis excipitur'' (In Ps. 118 (jod) n. 4; ML. 22, 624).

h) *S. Hieronymus:* ''Quod autem dico tale est: credidit quispiam in Conditorem Deum: non potest credere nisi prius crediderit de sanctis ejus vera esse quae scripta sunt: Adam a Deo plasmatum, Evam ex costa illius fabricatam'' (In Epist. ad Philem. v. 4; ML. 26, 609).

i) *S. Augustinus:* ''Quia etsi de terrae pulvere Deus finxit hominem; eadem terra, omnisque terrena materies omnino de nihilo est, animamque de nihilo factam dedit corpori, cum factus est homo'' (De Civ. Dei, l. 14, c. 11, n. 1; ML. 41, 418). Item: ''Jam ergo videamus, ipsa mulieris formatio, quae mystice etiam aedificatio dicta est, quemadmodum facta sit. Natura quippe mulieris creata est, quamvis ex virili, quae jam erat, non aliquo motu jam existentium naturarum. Angeli autem nullam omnino possunt creare naturam; solus enim unus cujuslibet naturae, seu magnae seu minimae, creator est Deus, id est, ipsa Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus'' (De Gen. ad litt. l. 9, c. 15, n. 26; ML. 34, 403).

k) *S. Gregorius Magnus:* ''Quamvis per coaeternum Patri Verbum cuncta creata sunt, in ipsa tamen relatione creationis ostenditur, quantum cunctis animalibus, quantum rebus vel caelestibus, sed tamen insensibilibus, homo praeferatur. Cuncta quippe dixit, et facta sunt (Ps. 148, 5). Cum vero facere hominem decernit, hoc, quod reverenter pensandum est, praemittit, dicens: 'Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram' (Gen. 1, 26), ut videlicet quia rationalis natura condebatur, quasi cum consilio facta videretur. Quasi per studium de terra plasmatur, et inspiratione Conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur, ut scilicet non per jussionis vocem, sed per dignitatem operationis, existeret qui ad Conditoris imaginem fiebat' (Moral. l. 9, c. 49; ML. 75, 900).

118. ARGUMENTUM TERTIUM: ex auctoritate ecclesiastica. —Huc imprimis spectat quod auctores Catholici, qui mitigato Transformismo favebant, admonente ecclesiastica auctoritate, a defensione istius opinionis abstinere debuerunt. Ita *M. D. Leroy,* auctor libri cui titulus, ''L' Évolution restreinte aux espèces organiques,'' quinque annos post librum evulgatum scripsit: ''Certior factus sum hodie thesim meam hic, Romae, examinatam esse ab auctoritate competenti, et judicatum esse eam non posse sustineri, maxime quod attinet corpus humanum, cum conciliari nequeat neque cum dictis S. Scripturae neque cum principiis sanae philosophiae. Filius docilis Ecclesiae . . . declaro me abnegare, retractare, reprobare, quaecumque dixi,

scripsi, in lucem edidi in favorem hujus theoriae'' (cf. La Civiltà Cattolica 1899, Jan. p. 49). Item *P. J. A. Zahm* injunctum fuit a Congr. S. Officii an. 1899, ut opus suum, cui titulus Dogma and Evolution, a mercatu litterario removeret (cf. Fortnightly Review, Jan. 1900, p. 37).

Deinde huc etiam pertinet responsum Commissionis de re Biblica ad quaesitum: ''Utrum speciatim sensus litteralis historicus (trium priorum capitum Geneseos) vocari in dubium possit ubi agitur de factis in iisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt, uti sunt inter cetera . . . peculiaris creatio hominis, formatio primae mulieris ex primo homine . . . ?'' Responsum fuit: ''Negative.''

Denique multum hac in re facit declaratio *Concilii Coloniensis* (a. 1860), nimirum: ''Primi parentes a Deo immediate conditi sunt. Itaque Scripturae Sacrae fideique plane adversantem illorum declaramus sententiam qui asserere non verentur, spontanea naturae imperfectioris in perfectiorem continuo ultimoque humanam hanc immutatione hominem, si corpus quidem spectes, prodiisse'' (p. 1, tit. 4, c. 14; Coll. Lac. t. 5, col. 292).

119. Scholion I: De mente S. Augustini relate ad originem specierum.

Sunt inter Catholicos qui putent *S. Augustinum* docuisse species superiores via naturalis cujusdam evolutionis ab inferioribus derivatas esse, ita ut juxta ejus mentem hujusmodi derivatio etiam respectu primi corporis humani affirmanda sit. Docuit enim, inquiunt, *omnia fuisse in principio simul creata;* alia quidem secundum eorum *esse actuale et completum,* alia vero secundum eorum *rationes causales* vel *seminales.* Priori modo creata sunt materia elementaria, angeli, et anima humana; posteriori autem modo condita sunt plantae, animalia bruta, et corpus humanum (cf. Gen. ad litt. l. 5, cc. 3, 4, 23; l. 6, cc. 15, 18; l. 7, cc. 6, 24; ML. 34, 323 sqq.; ibid. 349 sqq). Utique ex scriptis *S. Augustini* non clare constat, quidnam ipse praecise per istas rationes causales vel seminales intellexerit, aut quomodo earum ope entia organizata postea ex materia anorganica derivata sint; sed hoc non obstante Evolutionismi fautores eum ad sua castra trahere non dubitant.

Solutio hujus quaestionis longa est, quam hic minutatim elaborare haud vacat; qui eam accurate positam cupiat, consulere poterit *cl. Beraza,* De Deo Creante, nn. 975 sqq.; et *cl. Pesch,* III, n. 108. Hic autem sequentia notasse sufficiat. Imprimis Sanctus Doctor ea quae in libro De Genesi contra Manichaeos allegorice interpretatus est, in altero libro De Genesi ad litteram, aperte retractavit; ait enim: ''Nam

et ego contra Manichaeos . . . duos conscripsi libros recenti tempore conversionis meae . . . Et quia non mihi tunc occurrebant omnia quemadmodum proprie possent accipi, . . . ne retardarer, quid figurate significarent ea quae ad litteram non potui invenire, quanta valui brevitate et perspicuitate explicavi. . . . Nunc autem quia voluit Dominus ut ea diligentius intuens atque considerans, non frustra, quantum opinor, existimarem etiam per me posse secundum propriam, non secundum allegoricam locutionem haec scripta esse monstrari'' (De Gen. ad litt. l. 8, c. 2, n. 5; ML. 34, 375, 376). Insuper etiam ea quae in hoc altero opere quodammodo liberius proposuerat, ei jam seni facto haud placuerunt; dicit enim: ''Per idem tempus de Genesi libros duodecim scripsi . . . In quo opere plura quaesita quam inventa sunt: et eorum quae inventa sunt, pauciora firmata; cetera vero ita posita, velut adhuc requirenda sunt'' (Retract. l. 2, c. 24; ML. 32, 640). Porro in eodem opere De Genesi ad litteram sua dicta relate ad formationem hominis ita modificavit: ''Si nulla Scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contradicit'' (l. 7, c. 24; ML. 34, 368); quapropter aliquis prorsus immerito ex istis quasi speculando dictis S. Augustini genuinam de hominis formatione doctrinam inferret.

Denique istae rationes causales seu seminales, quas Sanctus Doctor materiae a Deo inditas esse docet, eum sensum admittunt qui cum formatione hominis per immediatam Dei operationem, vel etiam cum formatione omnium viventium per specialem Dei interventum, nullatenus pugnat. Hunc sensum ita indicat *S. Thomas:* ''Ad quartum dicendum, quod secundum rationes causales in creaturis aliquid dicitur praeexistere dupliciter. Uno modo, secundum potentiam activam et passivam: ut non solum ex materia praeexistente fieri possit, sed etiam ut aliqua praeexistens creatura hoc facere possit. Alio modo, secundum potentiam passivam tantum: ut scilicet de materia praeexistenti fieri possit a Deo. Et hoc modo secundum Augustinum corpus hominis praeexstitit in operibus productis secundum causales rationes'' (Sum. Theol. I, q. 91, a. 2 ad 4). Iterum: ''Ad tertium dicendum, quod sicut Augustinus in eodem libro (cap. 18 ad medium) dicit: 'Non habuit prima rerum conditio, ut femina omnino sic fieret; sed tantum hoc habuit, ut sic fieri posset;' et ideo secundum causales rationes praeexstitit corpus mulieris in primis operibus; non secundum potentiam activam sed secundum potentiam passivam tantum, in ordine ad potentiam activam Creatoris'' (Ibid q. 92, a. 4 ad 3). Igitur rationes causales signant quidem potentiam materiae a Creatore inditam; at potentiam passivam dumtaxat, eam scilicet quae non per evolutionem teleologicam sed solum per immediatam Dei operationem actuari potest. Cf. *La Civiltà Cattolica,* ser. 16, vol. 2, pp. 41 sqq.: ''Sant' Agostino e la generazione spontanea primitiva.''

120. Scholion II: Quid scientiae naturales de origine specierum et praesertim hominis doceant.

Legitimas scientiarum naturalium conclusiones ita summatim exhibet *cl. Muckermann,* vir in istis rebus multum versatus, cujus auctoritas etiam a scientistis jure in dubium vocari nequit: "1. De origine vitae scientia naturalis nihil compertum habet. 2. Neque exploratam habet originem principalium typorum organicorum, eorumve principalium subdivisionum. 3. Nulla habetur evidentia, quae ascendenti specierum organicarum evolutioni favet. 4. Ne vestigium quidem vel mere probabilis argumenti hucusque inventum est, quod hominis ex bruto animali originem suadet. Antiquissima hominis fossilia, antiquissimaque humanae culturae vestigia, veri nominis 'hominem sapientem', uti nunc floret, exhibent.

Attamen, "5. Species et genera systematica, quae vocantur, certe non qua talia creata sunt; sed ex quodam evolutionis sive gradualis sive saltatoriae processu ortum sumpserunt. Mutationes vero quae ultra limites variationis intra humanam speciem observatae progrediuntur, hucusque neque experimentaliter neque historice demonstratae sunt. 6. De causis evolutionis parum scitur. Maxima omnium difficultas in eo invenitur, quo modo explicandae sint origo et constans perduratio novarum proprietatum, necnon teleologica istius processus tendentia. 'Naturalis selectio' Darwiniana non est nisi elementum negativum. De plasmatico adjunctorum influxu utique dubitari nequit; at quousque iste influxus sese extendat, impraesentiarum comperire haud valemus. Theoria Lamarckiana de hereditaria proprietatum acquisitarum transmissione nondum solida probatione stabilita est; nec constat 'formas' vere novas per 'mutationem' oriri posse. Nostra quidem sententia, tum segregatio Mendeliana, tum naturalis selectio Darwiniana, tum formativus adjunctorum influxus, probabiliter inter praecipua elementa reputanda sunt, quibus in posterum evolutionis theoriae constituentur" (Catholic Encyclopedia, art. "Evolution," p. 670).

121. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Deus non facit per se, quod facere potest per causas secundas: *Atqui* potuit per causas secundas evolvere corpus humanum: *Ergo.*

Resp. Deus communiter non facit per se, quod facere potest per causas secundas, *C.* Neque aliquando, ut in casu probato, *N.*

2° *Atqui* neque in hoc casu; nam praecipua ratio, cur id affirmetur, inde petitur, quod secus obvius et naturalis narrationis sensus non servaretur: *Atqui* ratio inde petita parum valet: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Praecipua ratio inde petitur, quod secus obvius et naturalis narrationis

sensus non servaretur, qui tamen sensus juxta primam rectae interpretationis regulam in casu omnino servari debet, ut in ipso argumento ostensum est, *C.* Qui sensus juxta istam regulam in casu non necessario servandus est, *N.* Ad formationem corporis Adami quod spectat, admitti quidem potest obvium et naturalem narrationis sensum quodammodo servari, etsi Deus illud per causas secundas formasset; minime vero iste sensus servaretur relate ad formationem corporis Evae, si Deus illud solum mediate formasse dicatur.

3° Ea quae de productione Evae dicuntur, reduci possunt ad doctrinam de intima conjunctione viri et mulieris, quae praecipue in unione matrimoniali habetur: *Ergo.*

Resp. Ista reductio quodammodo possibilis est, praesupposita formatione Evae ex Adamo, *Tr.* Hac formatione non praesupposita, *N.* Formatio Evae ex Adamo, ad litteram accepta, est quoddam fundamentum physicum intimae relationis viri et mulieris tum respectu matrimonii tum etiam respectu vitae socialis. Unde convenientiam istius formationis ita exponit *S. Thomas:* "Primo quidem ut in hoc quaedam dignitas primo homini servaretur; ut secundum Dei similitudinem esset et ipse principium totius suae speciei, sicut Deus est principium totius universi. . . . Secundo ut vir magis diligeret mulierem, et ei inseparabilius adhaereret, dum cognosceret eam ex se esse productam. . . . Tertio quia mas et femina conjunguntur in hominibus non solum propter necessitatem generationis, ut in aliis animalibus, sed etiam propter domesticam vitam, in qua sunt aliqua opera viri et feminae, et in qua vir est caput mulieris. . . . Quarta vero ratio est sacramentalis. Figuratur enim per hoc quod Ecclesia a Christo sumit principium. Unde Apostolus dicit Ephes. 5, 32: 'Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, et in Ecclesia'" (Sum. Theol. I, q. 92, a. 2).

4° Formatio Evae ex costa Adami supponit Adamum ab initio fuisse monstruosum, quod tamen admitti nequit: *Ergo.*

Resp. Formatio Evae ex costa Adami supponit Adamum ab initio fuisse monstruosum, quod spectat ipsam speciem humanam in eo quodammodo contentam, *N.* Quod spectat individuum hominem, *subd.* Si esset absque ista peculiari relatione ad speciem humanam, *C.* Cum tamen istam peculiarem relationem ad speciem humanam haberet, *N.* Ita fere *S. Thomas* (I, q. 92, a. 3 ad 2); attamen merito cum recentioribus tenetur Adamum a sua formatione eundem numerum costarum habuisse quem et ceteri homines habent, pro costa autem ablata Deum aliam restituisse. Alias ejusdem generis difficultates proponit *Cajetanus* (Comment. in hunc locum), qui narrationem formationis Evae allegorice interpretatur; sed reapse nullius momenti sunt, ejusque allegorica interpretatio ab omnibus rejicitur (cf. *Beraza,* n. 936).

5° Scientiae naturales ea statuunt, quae formationi corporis protoparentum per immediatam Dei operationem directe adversantur: ita fossilia eum perfectionis progressum exhibent, juxta quem corpus humanum ex corpore bruti alicujus animalis evolutum esse videtur; fetus hominis per eas formas intermedias transire ostenditur, quas juxta principia evolutionis humanum corpus in phylogenetica sua formatione percucurrit; multa quoque in hominis corpore inveniuntur organa rudimentaria, quae correspondere videntur organis progenitorum olim plene evolutis, et quae in progressiva istius corporis evolutione ob defectum exercitii nunc fere exstincta sunt: *Ergo* reapse sufficiens ratio adesse videtur, ad obvium et naturalem Mosaicae narrationis sensum derelinquendum.

Resp. Nego assertum, et ad rationes additas dico: Primo, fossilia aliquam utique successionem ad se invicem ordinatam exhibent; non vero eam quae nexum geneticum inter species inferiores ac superiores ostendat. Secundo, fetus hominis per quasdam quidem intermedias formas transire videtur, minime vero eo ordine quo id in objectione asseritur, simulque in propria sua specie semper manet. Tertio, ista organa rudimentaria etiam nunc suum proprium usum habere possunt, etsi nobis non satis compertum. Praeterea, ut jam superius (n. 120) ostensum est, ipsi primi nominis scientistae rationes in objectione pro evolutione corporis humani omnino rejiciunt. Consuli hac in re etiam potest *cl. Alfred Watterson McCann,* "God or Gorilla." New York, 1922; *Adhémar D'Ales,* Dictionnaire Apologétique, art. Homme, t. 2, col. 457 sqq; *Jos. Husslein,* Evolution and Social Progress, 1920; *Thomas Dwight,* Thoughts of a Catholic Anatomist, 1911.

Adversariorum placita, ut nunc proponi solent, in hisce fere libris inveniuntur.—*A. Churchward:* The Origin and Evolution of the Human Race. New York, 1921. *E. G. Conklin:* The Direction of Human Evolution. New York, 1921. *Idem:* Heredity and Environment in the development of Man. Princeton University Press, 1920. *Edwin Grant:* The Evolution of Man. Yale University Press, New Haven, 1922. *Henry F. Osborn:* The Age of Mammals. Macmillan, New York, 1921. *Idem:* Men of the Old Stone Age. Scribners, New York, 1921. *Idem:* The Origin and Evolution of Life. Scribners, New York, 1918. *J. G. Adami:* Medical Contributions to the Study of Evolution. Duckworth, London, 1918. *T. H. Morgan:* The Physical Basis of Heredity. Lippincott, Philadelphia, 1919. *Idem:* A Critique of the Theory of Evolution. *Harris H. Wilder:* Man's Prehistoric Past. Macmillan, New York, 1923. *Ales Hrdlicka:* The Most Ancient Skeletal Remains of Man. Smithsonian Institute, Washington, 1916. *Horatio H. Newman:* Readings in Evolution, Genetics and Eugenics. University of Chicago Press, Chicago, 1921.

ARTICULUS II

De Compositione Hominis

THESIS XI.—Homo constituitur corpore et anima eaque una et rationali, quae ita uniuntur ut anima rationalis sit vere et per se humani corporis forma.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 76, aa. 1–4; *In II Sent.* d. 17, q. 2, a. 1; *Cont. Gent.* l. 2, cc. 56, 58, 73, 75; *Quodl.* 12, a. 10; *De Anima,* aa. 3, 9; Scotus, *De Rerum Principio,* q. 9, a. 2; q. 11, a. 2; Suarez, *De Anima,* l. 1, cc. 1–4; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 1080 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 109 sqq.; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 505 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 26; append. pp. 769 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 88 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 584 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 147 sqq.; Zigliara, *De Mente Concilii Viennensis,* l. 2, c. 3; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2, a. 2.

122. **STATUS QUAESTIONIS.**—Constitutio hominis, sicut quarumlibet aliarum rerum mundanarum, proprie res philosophica est, quae potissimum argumentis ex ratione desumptis probari debet. Attamen, quia simul intime cum rebus fidei connectitur, necnon ipsa quoque Sacra Scriptura multa continet quae hominis naturam illustrant, in tantum theologis etiam incumbit ut hanc quaestionem ex fontibus positivis solvant. Hujus insuper quaestionis solutio haud mediocris momenti est ad vitam humanam recte ordinandam, et ideo ex hoc quoque capite investigetur oportet quaenam hac in re Deus pro sua benignitate revelare dignatus sit. Unde nostra thesis.

123. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Homo dicitur constitui corpore et anima, ideoque vero aliquo sensu est *ens compositum.* Nam compositum omne id dicitur, quod quidem actu unum est, simul tamen e pluribus realiter distinctis coalescit. Potest autem aliquid esse aut unum *per se* aut unum *per accidens,* prout compositum ex unione aut intrinseca aut extrinseca oritur. Porro unum per intrinsecam unionem e pluribus coalescens potest esse aut compositum *substantiale* aut compositum *accidentale,* juxta naturam componentium quae illam unionem ingrediuntur. Si omnia haec componentia sunt in ordine substantiae, ipsum compositum substantiale erit; si vero unum est substantia et aliud accidens, compositum erit accidentale. In thesi est quaestio de ea hominis constitutione, ex qua oritur compositum substantiale idque vere unum per se. Corpus igitur et anima hominis, in quantum dicuntur termini hujusmodi unionis, in se aliquo modo incompleta sunt, sive ratione substantiae, ut communior theologorum et philosophorum sententia fert, sive saltem ratione naturae, ut alii volunt.

b) Corpus in subjecta materia accipitur pro parte hominis materiali, quae in se est *potentia subjectiva per animam actuanda atque specificanda.* Non tamen affirmamus corpus esse materiam primam sensu *Thomistico,* quae accipit ipsum primum suum esse actuale a forma. Quod spectat hanc thesim, admitti potest *forma corporeitatis Scotistarum,* per quam corpus jam independenter ab anima habere dicitur suum esse corporeum actu existens; immo etiam eorum sententia admitti potest, juxta quos substantia materialis est essentialiter simplex, completa in ratione substantiae sed simul respectu unionis cum anima incompleta in ratione naturae. Affirmamus tamen, et hoc quidem ab omnibus necessario admittendum est, corpus ab anima recipere esse suum *specificum;* esse videlicet *vivum* et *sensitivum,* simulque hominem per unionem animae suae et corporis esse *compositum substantiale vere unum per se.*

c) Per animam in hac thesi intelligimus *actum substantialem,* seu substantiam simplicem et aliqua ratione incompletam, per se subsistentem, quae nata est ad corpus in suo esse specifico constituendum. Impraesentiarum igitur non determinamus intimam ac completam istius animae naturam, utrum videlicet sit vere *spiritualis* atque *immortalis;* haec enim in alia thesi infra ponenda determinanda erunt. Assumimus tamen esse in homine animam *rationalem,* quam unicam ejus animam esse contendimus, ut in sequente inciso enucleatius exponetur.

d) Unam igitur dicimus esse animam in homine, quae proinde est *fons et fundamentum omnis vitae humanae,* non modo rationalis verum etiam sensitivae et vegetativae. Unde nostra thesis propugnat *dichotomiam,* seu tenendum esse affirmat hominem duabus dumtaxat partibus essentialibus constare, et quidem in oppositione ad *trichotomiam,* seu doctrinam juxta quam principium sensitivum et intellectivum in homine realiter distinguuntur, ita ut duae animae in homine admittendae sint. Hanc unam hominis animam esse rationalem non explicite probatur; id enim omnes hac in re audiendi ultro admittunt, et reapse ex ipso ordinario hominis modo agendi satis constat. Rationalis autem dicitur anima in quantum est substantia simplex intellectu et libera voluntate praedita.

e) Corpus et anima ita uniuntur, ut anima rationalis sit vere et per se humani corporis forma. Per formam in genere intelligitur quaevis perfectio, quae *sese communicando actuat potentiam aliquam subjectivam.* Potest autem forma esse vel *accidentalis* vel *substantialis,* prout in se est vel accidens aliquod physicum vel substantia aliqua ratione incompleta. In thesi utique agitur de forma *substantiali,* et ideo juxta thesim anima rationalis sese ita communicat corpori, ut cum eo constituat substantiam completam humanam seu ipsum homi-

nem. Unde additur quod sit *vere* et *per se* corporis forma: *vere* quidem, ad excludendam formam improprie dictam, quae influxum aliquem accidentalem in corpus exerceret; *per se* autem, ad excludendam quamlibet aliam animam, puta sensitivam ab ipsa anima rationali realiter distinctam, qua mediante anima rationalis corpus humanum informare diceretur. Ipsum igitur principium rationale per suammet essentiam et immediata corporis humani forma est.

f) *Duo* igitur in hac thesi affirmantur: *Primum,* hominem constare duabus partibus substantialibus, et duabus tantum, nempe corpore ceu parte materiali et anima ceu parte immateriali; *alterum,* hanc unam animam esse subjectum ultimum vitae vegetativae, sensitivae, et intellectivae in homine.

124. **ADVERSARII.**—Materialistae utique omnes hanc thesim impugnant, cum ipsum ejus suppositum negent, hominem videlicet habere animam realiter a corpore organizato distinctam; sed eos hic non consideramus, cum jam in philosophia satis superque refutati sint. Neque reapse hic considerandi sunt *Manichaei* et *Priscillianistae,* qui duplicem animam rationalem, alteram bonam et alteram malam, in homine posuerunt; eorum enim doctrina nunc omnino obsoleta est. Igitur huic thesi, et quidem tum primae tum alteri parti, proprie illi *trichotomiae fautores* adversantur, qui realem distinctionem ponunt inter animam sensitivam et intellectivam, et simul immediatam corporis informationem per animam intellectivam negant. Inter hos autem reputantur *Plato, Philo, Gnostici, Apollinaristae,* et moderni quidem qui hac in re *Guentherum* sequuntur. Plato tamen necnon Philo et Gnostici hic seponi possunt, quia eorum systema nunc nemo defendit; sed de Apollinaristis et Guentherianis haec breviter notanda sunt.

Apollinaris Laodicenus, qui circa medium saeculum quartum floruit, suum systema excogitasse videtur ad ontologicam Christi unitatem defendendam. Ex doctrina Platonis assumpsit hominem tribus partibus essentialibus constitui: corpore, anima, mente. In hoc systemate anima est principium sensitivum rationis expers, ex quo corpus habet quod sit vivum ac sensitivum; mens vero est anima rationalis corpori sensitivo superaddita, vi cujus homo est ens rationale. Verbum assumpsit duas priores partes, minime vero tertiam, cujus igitur munere ipsum Verbum fungebatur. In hac sola hypothesi putavit Christum posse dici vere unum (cf. *Theodoretus,* Haer. fab. comp. l. 4, n. 8; MG. 83, 425, 426). Hanc Apollinaris sententiam, quoad ipsam hominis compositionem, saeculo tertio decimo amplexi sunt quidam theologi quorum doctrinam reprobavit *Concilium Viennense* (an. 1311–1312). Inter hos recensetur *Petrus Joannes Olivi,* ordinis Franciscanorum minorum, de quo tamen etiamnum inter doctos disputatur quidnam praecise hac in re docuerit (cf. infra n. 132).

Guenther vero, quem *Baltzer* aliique praesertim *philosophi Germani* secuti sunt, verbis quidem trichotomiam rejecit, re tamen etsi modificatam redintegravit. Posuit namque in homine spiritum (πνεῦμα), animam (ψυχήν), corpus (σῶμα). Anima est corporis principium vegetandi atque sentiendi, spiritus autem est hominis principium cogitandi. Anima non distinguitur a corpore ut res a re, sed sicut vis qua corpus vivit et sentit; spiritus vero non modo realiter a corpore distinguitur, sed insuper neque natura sua ad corpus ordinatur. Destinatur quidem a Creatore ad aliquam unionem cum corpore ineundam, nihilominus in se est ens pure spirituale sicut angelus; et ideo ista unio non est eo sensu intrinseca, quo anima est vere et per se corporis forma (cf. *Kleutgen,* t. 3, diss. 7, §3, nn. 664 sqq).

Circa unionem animae cum corpore etiam erravit *Cartesius,* juxta quem anima et corpus sunt ab invicem plane independentia. Item *Malebranchius,* qui explicat unionem animae cum corpore per decreta divina, quin ullam realem unionem admittat (cf. Dictionnaire de Théologie Catholique, art. forme du corps humain, col. 567). Etiam *Leibnitzius,* auctor systematis *Harmoniae Praestabilitae,* juxta quem Deus inter animam et corpus eam consonantiam stabilivit, qua in suis operationibus citra omnem realem influxum sibi mutuo respondeant (cf. ibid. loco cupra citato). Denique *Antonius Rosmini,* qui unionem animae et corporis in perceptione quadam reponit, ut ex hac ipsius propositione a *Leone XIII* damnata eruitur: "Forma substantialis corporis est potius effectus animae atque interior terminus operationis ipsius: propterea forma substantialis corporis non est ipsa anima.—Unio animae et corporis proprie consistit in immanente perceptione, qua subjectum intuens ideam affirmat sensibile, postquam in hac ejus essentiam intuitum fuerit" (cf. DB. 1914).

125. **NOTA.**—Prima pars theseos, quatenus affirmat esse saltem unam animam in homine eamque rationalem, est de *fide Catholica;* clare enim in Sacra Scriptura continetur, ut ex argumento patebit, necnon ab Ecclesia fidelibus credenda proponitur. Cf. *Conc. Oecum. VI* (DB. 290) et *Oecum. VIII* (DB. 338). In quantum vero statuit esse unam tantum animam in homine, secundum alios est de fide definita ex *Conc. Oecum. VIII* supra citato, et etiam ex *Conc. Viennensi* (DB. 480); secundum alios tamen non clare constat hanc doctrinam esse definitam, licet hi etiam conveniant eam esse omnino tenendam. Ratio hujus opinionum varietatis ex infra dicendis apparebit.

Altera pars, quae statuit animam rationalem esse vere et per se humani corporis formam, est *de fide definita* ex *Conc. Viennensi.* Hoc enim concilium imprimis reprobat "doctrinam omnem seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animae

rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma," et deinde haereticum declarat quemcumque qui "deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter" (DB. 481; cf. 738).

I. Homo constituitur corpore et anima eaque una et rationali.

126. ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.—Ubicumque Sacra Scriptura sive de hominis ortu sive de ejus dissolutione loquitur, semper *duas et duas tantum partes commemorat, corpus videlicet et animam rationalem:* **Atqui** hoc intelligi nequit nisi in hypothesi quod homo his duabus partibus et his solis constituatur: **Ergo.**

Minor satis liquet; cur enim aliae partes in tali connectione non commemorantur, nisi quia non sunt.—*Major* probatur hisce textibus, qui partim de hominis productione et partim de ejus dissolutione agunt.

a) *Gen. 2, 7:* "Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem;" vel ut textus originalis hoc ultimum incisum ponit, "et factum est istud terrenum (*Haadam*) in animal vivens." Duae igitur partes dumtaxat numerantur, corpus et anima; animam autem illam, qua Adam factus est in animal vivens, fuisse animam rationalem, ex immediate sequentibus (Gen. 2, 20–24) evidenter constat.

b) *Ez. 37, 3 sqq.,* ubi describitur resuscitatio mortuorum. Jam adsunt ossa inter se juncta, nervi, carnes, cutis, "et spiritum non habebant." Dein vero: "Et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt." Iterum igitur duae partes humani compositi numerantur, corpus organizatum et spiritus, et ex ipso spiritu corpora ista dicuntur vitam habere; et illum spiritum fuisse animam rationalem, ex ipso contextu satis patet, cum steterint "super pedes suos, exercitus grandis nimis valde" (v. 10).

c) *Eccle. 12, 7,* ubi de morte hominis dicitur: "Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum." Hic sacer scriptor satis obvie respicit ad verba Geneseos (2, 7), ubi hoc duplex hominis elementum exhibetur; spiritus autem qui ad Deum redit, est evidenter anima rationalis.

d) *Mt. 10, 28,* ubi Christus Dominus ait: "Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam." Iterum duae partes in homine distinguuntur; corpus ut pars materialis, quae creatorum agentium influxui subjacet, et spiritus ut pars immaterialis, in quam solus Deus potestatem habet. Similiter in multis

aliis locis, ubi vel directe vel indirecte de hominis compositione sermo est; cf v. g. Mt. 27, 50; Mc. 15, 37; Lc. 8, 50–55; Jo. 19, 30; Jac. 2, 26.

127. ARGUMENTUM ALTERUM: ex dictis SS. Patrum.— Mens SS. Patrum ex hisce textibus satis colligitur, qui partim *polemice* contra haeresim *Apollinaris* et partim *doctrinaliter* propositi inveniuntur.

a) *S. Justinus:* "Ecquid enim aliud est homo, quam ex anima et corpore animal rationale? An anima singulatim est homo? Nequaquam; sed est hominis anima. Num ergo corpus homo dicetur? Minime; sed hominis corpus dicetur. Quare si neutrum horum singulatim est homo, sed quod ex amborum complexu constat, nominatur homo; si et Deus ad vitam et resurrectionem hominem vocavit, non partem ejus sed totum, hoc est animam et corpus, vocavit" (De Resurrect. 8; MG. 6, 1585). De hoc quidem opere dubitatur num sit *S. Justini*, attamen ad ejus fere tempus pertinet.

b) *S. Athenagoras:* "Nam si omnis communiter hominum natura ex anima immortali constat et corpore, quod cum anima in creatione conjunctum fuit, . . . necesse est omnino, ut cum unum sit ex utrisque animal quod patitur quaecumque anima patitur et corpus, et operatur et perficit quaecumque sensuum aut rationis judicio continentur; necesse est, inquam, ut tota ejusmodi rerum series ad unum aliquem finem referatur" (De Resurrect. Mort. 15; MG. 6, 1004).

c) *S. Irenaeus:* "Non enim est fortius corpus quam anima, quod quidem ab illa spiratur et vivificatur et augetur et articulatur, sed anima possidet et principatur corpus, . . . sed non amittit suam scientiam" (Adv. Haer. l. 2, c. 33, n. 4; MG. 7, 833).

d) *S. Gregorius Nyssenus:* "Ceterum etsi superiore oratione declaratum est triplex esse in vivendi facultate discrimen, . . . nemo tamen idcirco existimet tres in humano opificio animas existere, seorsum certis quasi limitibus circumscriptas, ut naturam hominis ex pluribus animis conflatam putare debeamus. Nam vera et perfecta anima reapse unica quaedam est, intelligens, immaterialis, sed per sensus naturae illi crassae mixta" (De hominis opificio, 15; MG. 44, 176).

e) *S. Asterius Amasenus:* "Compositum animal est homo ex corpore adspectabili et ex anima rationali et incorporea, habens totum quod est" (Hom. 14; MG. 40, 369).

f) *S. Cyrillus Alex.:* "Cum vero divina scriptura dicat ipsum carne passum, satius est nos quoque sic dicere quam in natura humanitatis; quamvis ea locutio, nisi malitiose ab aliquibus ita dicatur, nihil violat mysterii rationem. Quid enim aliud est humanitatis

natura nisi caro animata per animam intelligentem, in qua passum fuisse carne Dominum fatemur?'' (Epist. ad Succensum, 46, 4; MG. 77, 245).

g) *S. Joannes Damascenus:* ''Anima est vivens, simplex et incorporea substantia, corporis oculorum suapte natura sensum fugiens, immortalis, rationis et intelligentiae particeps, organis instructo utens corpore, cui vitam, incrementum, sensum et gignendi vim tribuat, non aliam a se sejunctam mentem habens (mens quippe nihil aliud est quam subtilissima ipsius pars)'' (De Fide Orthod. l. 2, c. 12; MG. 94, 924).

h) *S. Augustinus:* ''Homo non est corpus solum vel anima sola, sed qui ex anima constat et corpore. Cum est utrumque conjunctum simul, habet hominis nomen'' (De Civ. Dei, l. 13, c. 24; ML. 41, 398). Item: ''Sicut ergo dicimus corpora sentientia et corpora viventia, cum ab anima sit corpori sensus et vita, ita et corpora dicimus dolentia, cum dolor corpori nisi ab anima esse non possit'' (Ibid. l. 21, c. 3, n. 2; ML. 41, 710). Item: ''Est ergo (homo) animal rationis capax; verum ut melius et citius dicam, animal rationale'' (Serm. 43, 2; ML. 38, 255).

i) *Gennadius Massil.:* ''Neque duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Jacobus et alii Syrorum disputatores scribunt, unam animalem qua animetur corpus et quae immixta sit sanguini, et alteram spiritalem, quae rationem ministret; sed dicimus unam esse eandemque animam in homine, quae et corpus sua societate vivificet, et semetipsam sua ratione disponat'' (De Eccles. Dogm. c. 15; ML. 58, 984).

128. ARGUMENTUM TERTIUM: ex auctoritate ecclesiastica. Indirecte hanc doctrinam proposuerunt diversa concilia, cum aliam ob causam de humanitate Christi agerent. Ita *Lateranense* sub *Martino I* declarat Verbum incarnatum esse ''venturum iterum cum gloria paterna cum assumpta ab eo atque animata intellectualiter carne ejus'' (DB. 255), id est, cum carne per animam rationalem animata. Item *Conc. Oecum. V:* ''Si quis . . . non confitetur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationabili et intellectuali, . . . A. S'' (can. 4; DB. 216). Simili modo et alia concilia loquuntur (cf. DB. 148, 290).

Unitatem animae in homine ita directe affirmat *Conc. Oecum. VIII* (a. 869–870): ''Veteri et Novo Testamento unam animam rationabilem et intellectualem habere hominem docente et omnibus deiloquis Patribus et magistris Ecclesiae eandem opinionem asseverantibus; in tantum impietatis quidam, malorum inventionibus dantes operam, devenerunt, ut duas eum habere animas impudenter dogmatizare . . . pertentent. Itaque sancta haec et universalis Synodus

. . . talis impietatis inventores et patratores et his similia sentientes magna voce anathematizat . . . " (can. 11; DB. 338). Ockam et quidam alii contendunt hoc canone solos *Manichaeos* damnari, qui ponebant duas animas rationales in homine, alteram bonam et alteram malam; sed vix non certum est canonem latum fuisse contra haeresim *Apollinaris*, quam isto tempore quidam redintegrare satagebant. Unde licet nostra thesis ex hoc canone non sit certe de fide tenenda, satis firmiter tamen inde probatur.

Firmum argumentum, licet forte indirectum, etiam habetur ex definitione *Concilii Viennensis*, animam rationalem esse *vere* et *per se* corporis humani formam; quae tamen definitio infra in altera parte exponetur. Horum autem ratione habita, declaravit *Pius IX* in epistola ad episcopum *Wratislaviensem*, 30 Apr. 1860: "Sententiam, quae unum in homine ponit principium vitae: animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam atque doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime cum Ecclesiae dogmate ita videri conjunctam, ut hujus sit legitima solaque vera interpretatio nec proinde sine errore in fide possit negari" (cf. DB. 1655, nota).

II. Corpus et anima ita uniuntur, ut anima rationalis sit vere et per se humani corporis forma.

129. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex **Sacra Scriptura**.—Ex textibus in praecedente parte (n. 126) allatis constat *unam dumtaxat animam esse in homine, eamque rationalem;* per hanc insuper animam corpus esse *vivum* et *sentiens*, ideoque *in altiore entium specie constitutum:* **Atqui** hujusmodi anima est vere et per se humani corporis forma: **Ergo.**

Major illos textus legenti satis patebit.—*Minor* constat ex conceptu formae substantialis, quippe quae sese materiae communicando eam specifice determinat; et cum una tantum sit anima in homine, haec utique per se humanum corpus specificat.

130. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex doctrina **SS. Patrum**.—SS. Patres non modo docent unam tantum esse animam in homine, scilicet rationalem, verum etiam *hanc unam animam corpori communicare vitam sentiendique facultatem,* necnon *cum corpore unum constituere ens, quod sit animal rationale:* **Atqui** hoc perinde est ac docere animam rationalem esse vere et per se humani corporis formam: **Ergo.**

Major constat ex textibus supra (n. 127) allegatis.—*Minor* patet ex conceptu formae substantialis, ut ad minorem praecedentis argumenti jam dictum est.

131. ARGUMENTUM TERTIUM: ex auctoritate ecclesiastica. *Concilium Viennense* (a. 1311–1312) hanc definitionem statuit: "Porro doctrinam omnem seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholicae inimicam fidei, praedicto sacro approbante Concilio reprobamus: definientes, ut cunctis nota sit fidei sincerae veritas ac praecludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod quisque deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tamquam haereticus sit censendus" (Ex Constit. "De Summa Trinitate et fide catholica;" DB. 481).

Itaque haec altera nostrae theseos pars ad verbum definita est, sed solum quoad ipsum factum, ita ut ultimum subjectum informationis philosophorum disputationibus relictum sit. Attamen ad ipsum factum informationis bene notat *Concilium Coloniense* (tit. 4, cap. 14): "Cum igitur secundum conciliorum decreta anima rationalis vere ac per se sit corporis forma, et cum illorum temporum doctores gravissimi formam illud dicant principium quo corpus vivit, sentimus, movemur et intelligimus . . . dubium esse nequit, e conciliorum mente anima rationali a Deo creata ipsa omnes illas vitae nostrae operationes perfici." Et ideo "cavendum esse a sententia eorum qui a sana doctrina aberrantes praeter animam rationalem in homine aliud quoddam fingunt vitae corporalis principium, quod animam somaticam vocant, sive hoc vitae corporalis principium psychicum seu vegetativum etiam a corpore distinguant, sive unam eandemque cum illo substantiam affirment."

Hac autem cautione concilium *Guentheri* doctrinam reprobat, quam etiam hisce verbis reprobandam declarat *Pius IX:* "Noscimus iisdem libris (Guentheri) laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima rationalis sit vera per se atque immediata corporis forma" (Ex Brevi "Eximiam tuam" ad Card. de Geissel, Archiepisc. Coloniensem, 15 Junii, 1857; DB. 1655).

132. Scholion: De mente Concilii Viennensis.

Convenit apud omnes definitionem *Concilii Viennensis* statutam esse contra errores *Petri Joannis Olivi;* sed multum hinc inde inter doctos disputatur, quinam fuerint *Olivi* errores, et ideo judicium undequaque certum de mente istius concilii proferri nequit. Juxta *Card. Zigliara* et alios quosdam, *Olivi* male explicavit informationem corporis per animam, et ideo, ait ipse *Zigliara,* "mens Concilii Viennensis fuit non directe damnare dualismum animarum in homine, sed

definire naturam unionis animae humanae cum corpore,'' etsi ''consequenter directe animadvertendo in hoc erroneum (unionis) principium, definiendo quod anima rationalis sit per se et immediate forma corporis, concilium unitatem substantialem humanae naturae per ipsum erroneum principium labefactatam defendit, et errori de multiplicitate animarum in homine viam praeclusit'' (cf. op. cit. p. 2, c. 3). Inde autem infert concilium definivisse animam esse formam corporis in sensu *Thomistico,* ita ut sit ex se substantia incompleta in ratione substantiae, actuans corpus ceu substantiam incompletam et determinabilem.

Palmieri vero (cf. De Deo Creante, append. p. 770) et aliis quibusdam visum est *Olivi* docuisse pluralitatem animarum in homine, et consequenter ad hoc eum etiam male explicasse unionem animae rationalis cum corpore. Igitur juxta eos *Concilium Viennense* directe definivit unitatem animae humanae, indirecte vero animae rationalis et corporis unionem. Attamen ex scriptis *Scoti* (De Rerum Principio, q. 9, a. 2, sect. 1, n. 16), qui fuit *Olivi* fere aequalis, vix non certum videtur Olivi primarie errasse circa unionem animae rationalis cum corpore; etenim, ut eum refert *Scotus,* ita loquitur: ''Quantum ad partem intellectivam, unitur corpori unione consubstantiali, non formali, unione intima et fortissima sed non immediata, unione ordinata, sed non secundum habitudinem acquiparantiae, sed inaequalitatis.'' Simul docuit ''quod in anima humana vegetativum, sensitivum et intellectivum sunt tres partes unius animae in eadem materia spirituali seu in eodem supposito animae rationalis unitae.'' Item: ''Dicit autem, quod illae tres partes innituntur uni materiae spirituali, in qua simul sunt communicatae. Unitur autem hujusmodi anima humana corpori per vegetativum et sensitivum formaliter et intime; per intellectivum vero intime, sed nullo modo formaliter'' (Ibid. q. 11, a. 2). Ex his deinde ipse *Scotus* arguit, juxta datam explicationem esse reapse tres animas in homine; quod quidem sequitur, non tamen ipse *Olivi* hoc explicite docuit (cf. *Pesch.* nn. 124 sqq).

Quare dicendum videtur *Concilium Viennense* in supra laudata definitione primarie prae mente habuisse animae rationalis et corporis unionem, et tantum secundarie animae humanae unitatem. Attamen ex hoc nullatenus sequitur illud concilium sua auctoritate firmare voluisse systema *Thomisticum* de materia prima et forma substantiali; hoc enim systema ad eas mere philosophicas doctrinas pertinet, ''super quibus catholicae scholae diversas sententias sequuntur ac sequi possunt, quoniam suprema Ecclesiae auctoritas nunquam pro altera judicium tulit, quod alteram excluderet'' (Litt. jussu *Pii IX,* 5 Junii, 1877, ad Rectorem Universitatis Catholicae Insulensis datae; cf. Mendive,

De Deo Creatore, n. 274). Cf *Beraza,* n. 1203; *Muncunill,* n. 509, nota.

133. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Unitas animae humanae ex Sacra Scriptura probari nequit; multis enim in locis tres hominis partes enumerantur. Ita v. g. I Thess. 5, 23: "Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur;" quo fit ut homo aliquando animalis vocetur, aliquando vero spiritualis (cf. I Cor. 2, 14, 15); immo sermo Dei dicitur pertingere "usque ad divisionem animae ac spiritus" (Hebr. 4, 12): *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: In multis Sacrae Scripturae locis tres hominis partes enumerantur, quarum tamen duae tantum ratione vel virtualiter distinguuntur, *C.* Quae omnes tres realiter ab invicem distinctae ponuntur, *N.* Ita in primo textu allegato, "spiritus" supponitur pro superiore parte principii vitalis, "anima" vero pro ejusdem principii parte inferiore, quin tamen de reali animae et spiritus distinctione aliquid innuatur. Hujusmodi enumerationes saepe ponuntur, ut totum aliquod emphatice indicetur. Ita etiam Lc. 1, 46, 47: "Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo." In altero vero textu (I Cor. 2, 14, 15) homo dicitur "animalis" et "spiritualis" juxta diversas dispositiones ejus, vel juxta diversas inclinationes quas agendo sequitur. In tertio autem textu (Hebr. 4, 12) emphatice annuntiatur infinita Dei omnium rerum scientia; quae etiam non distincta, ac si distincta essent, secundum omnes eorum diversos aspectus simul penitus comprehendit.

2° Item SS. Patres plerumque tria ponunt elementa in homine, quae obvio sensu sunt realiter distincta. Ita v. g. *S. Justinus,* qui ait: "Nam domus est animae corpus, et spiritus domus anima. Tria haec in iis, qui sinceram spem et fidem minime dubiam habuerint in Deo, salvabuntur" (De Resurrect. 10; MG. 6, 1589). Similiter *S. Augustinus,* cum ponit: "Tria sunt quibus homo constat: spiritus, anima et corpus, quae rursus duo dicuntur, quia saepe anima simul cum spiritu nominatur" (De fide et symb. c. 10, n. 23; ML. 40, 193): *Ergo* argumentum ex dictis SS. Patrum non concludit.

Resp. SS. Patres plerumque tria ponunt elementa in homine, quae obvio sensu sunt realiter distincta, quatenus ipsi termini in se solis spectantur, *Tr.* Quantenus etiam contextus, in quo hi termini occurrunt, consideratur, *N.* Ita *S. Justinus* paulo superius (n. 8) jam clare edixerat: "Quid est enim homo nisi animal rationale ex anima et corpore constans?" Et *S. Augustinus* ad verba supra citata

statim addit: "Pars enim quaedam ejusdem (animae) rationalis, qua carent bestiae, spiritus dicitur." Porro aliis in locis SS. Patres sequuntur modum loquendi Sacrae Scripturae, jam supra notatum, secundum quem spiritus significat vel superiorem partem animae, non realiter ab anima distinctam; vel etiam dona supernaturalia hominis naturae a Deo concessa. Ita in textu *S. Justini,* "et spiritus domus anima," terminus "spiritus" significat gratiam sanctificantem. Eodem sensu *Gennadius* interpretatur textum S. Pauli (I Thess. 5, 23), jam in responso ad primam objectionem alio modo explicato; ait enim: "Tertius vero, qui ab Apostolo cum anima et corpore inducitur spiritus, gratiam Spiritus Sancti esse intellegimus" (De Eccl. Dogm. c. 20; ML. 58, 985).

Difficultates quae contra alteram partem theseos adduci solent, in qua parte scilicet probatum est animam rationalem esse vere et per se humani corporis formam, omnes philosophicae sunt, et qua tales hic supponuntur jam alibi solutae.

ARTICULUS III

De Indole Animae Humanae

THESIS XII. — Anima humana est individualis, spiritualis, immortalis.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 75, aa. 2–7; *In II Sent.* d. 19, q. 1, a. 1; *Cont. Gent.* l. 2, cc. 78, 79, 82; *Quodl.* 10, q. 3, a. 2; De Anima, aa. 1, 6, 14; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 19, a. 1, q. 1; Scotus, *In IV. Sent.* 43, q. 2; Suarez, *De Anima,* l. 1, cc. 9, 10; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 535 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 128 sqq.; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 1110 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 92 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 156 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 29; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2, a. 3.

134. **STATUS QUAESTIONIS.**—Postquam probatum est unam esse in homine animam eamque rationalem, quae vere et per se est humani corporis forma, modo inquirimus quaenam sint istius animae proprietates essentiales. Inter has proprietates duae eminere videntur, nempe spiritualitas et immortalitas, quare hae proponuntur in thesi. Isti tamen de animae proprietatibus quaestioni alia quaestiuncula praemitti solet, nimirum, utrum anima sit individualis, ita ut quilibet homo suam propriam habeat animam, an forte omnibus hominibus una sit anima communis. Haec utique quaestiuncula, cum ejus solutio sit satis nota, pure polemica est.

135. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Individualis dicitur anima in hac thesi quatenus pro *numero subjectorum entitative multi-*

plicatur. Itaque contendimus unumquemque hominem suam propriam habere animam rationalem, ita ut sit ens ab omni alio ente realiter distinctum, non modo quatenus est ens sensitivum, verum etiam in quantum est ens rationale. Hinc quilibet homo a ceteris hominibus tum ratione corporis tum ratione animae rationalis realiter distinctus existit.

b) Haec individualis anima est imprimis *spiritualis;* quae quidem spiritualitas tria includit, nimirum, *essentialem simplicitatem, existentiam independentem a materia,* et *actionem aliquam superiorem* quae est saltem *intrinsece* a materia independens. Licet igitur anima, ut in praecedente thesi probatum est, sese communicet corpori ita ut cum eo unum ens constituat, simul tamen manet ab eo realiter distincta; suam namque propriam essentiam atque existentiam habet, quarum formali influxu et sustentatione ipsum corpus actuatur atque existit. Haec animae essentia simplex est, quatenus partibus substantialibus caret, licet facultatibus forte realiter ab ipsius substantia distinctis integretur.

c) Ad actiones vero animae quod attinet, distinguendum est inter actiones *vegetativas* et *sensitivas* ex una parte, et *intellectivas* ex altera parte. Vegetat enim et sentit *totum compositum humanum,* ita ut corpus simul et anima ad istas actiones intrinsece concurrant; ideoque quoad has actiones anima intrinsece a corpore dependet. Intelligit autem anima et vult praecise *quia anima est,* seu quia est ens simplex per se subsistens necnon intellectu et libera voluntate praeditum. Unde quoad has actiones non indiget corpore tamquam conprincipio, sed solum tamquam causa extrinseca sibi materiam subministrante. Quare sub hoc respectu mere extrinsece a corpore pendet. Quomodo vero haec extrinseca animae a corpore dependentia ultimo exponenda atque intelligenda sit, in philosophia dictum est.

d) Non modo spiritualis est anima humana, verum etiam *immortalis.* Ejus autem immortalitas *duplex* est: *intrinseca* et *extrinseca.* Anima est intrinsece immortalis quatenus nullum in se continet principium corruptionis; est enim essentialiter simplex. Extrinsece vero immortalis est, in quantum non datur aliqua causa extra animam quae eam destrueret. Deus quidem posset eam annihilare, dicimus tamen positive constare eum id non esse facturum. Hinc duplex ista immortalitas de anima humana affirmatur in thesi. Minime tamen tenemus animam humanam esse *essentialiter immortalem,* sed ex se solummodo *naturaliter.* Deus enim solus essentialiter immortalis est, quippe qui solus vi suae essentiae necessario existit.

136. **ADVERSARII.**—Primam partem theseos olim impugnabant *Averrhoes* ejusque sequaces, qui docuerunt animam rationalem

esse unam omnibus prorsus hominibus communem. Illi finxerunt in homine *tres* animas: *intellectivam, sensitivam* et *vegetativam.* Concedebant quidem animas sensitivam et vegetativam esse diversas in diversis hominibus, non vero animam intellectivam. Hanc vocabant intellectum separatum, intellectum possibilem, substantiam secundum esse a corpore separatam, formam immortalem non informantem corpus, sed cunctis hominibus assistentem. Hic intellectus secundum eos unitur cum singulis hominibus mediante phantasmate, et pro diversitate phantasmatum in diversis hominibus diversas elicit intellectiones (cf. *S. Thomas,* Opusc. 15, de unitate intellectus contra Averrhoem; Sum Theol. I, q. 76, a. 2). Hunc errorem suscitaverunt quidam *Neo-Aristotelici,* qui damnati sunt in *Concilio Lateranensi V* (a. 1512–1517). Eidem parti etiam adversabantur *Priscillianistae,* qui docebant "animas humanas ex Dei substantia extitisse" (cf. Conc. Bracarense et Toletanum; DB. 235, 31); necnon *Ekardus,* qui intellectum aliquid "increatum et increabile" dicebat (DB. 527), et *Michael de Molinos,* juxta quem anima est ipsa essentia Dei (DB. 1225).

Alteram partem theseos rejiciunt utique omnes *materialismi fautores,* sive crassum materialismum propugnent sive aliqua ratione temperatum; immo hi omnes ipsum reapse suppositum theseos negant, esse videlicet in homine animam realiter a corpore vel ejus organizatione distinctam (cf. *Beraza,* op. cit. nn. 1115 sqq).

Iidem quoque eadem ratione, ut patet, impugnant tertiam partem, in qua affirmatur animae immortalitas. Hanc immortalitatem antiquitus jam negabant *Sadducaei* (Mt. 22, 23; Act. 23, 8), *Samaritani* (Eusebius, Hist. Eccl. l. 4, c. 23), et inter Christianos plurimi haeretici (*S. Joan. Damascenus,* De Haer. 90; MG. 94, 757); et recentius quidam Anabaptistae necnon sat multi ex aliis sectis, qui saltem individualis animae immortalitatem in dubium revocant (cf. *Beraza,* op. cit. nn. 1131, 1132).

137. NOTA.—Singulae tres partes in thesi propositae sunt *de fide tenendae;* et quidem quod anima humana sit individualis et immortalis, definitum est in *Concilio Lateranensi V* (DB. 738); quod vero sit spiritualis implicite definitum est in *Lateranensi IV* (DB. 428), ubi Deus dicitur condidisse naturam "humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam." Hanc autem definitionem contra modernos Rationalistas denuo statuit *Concilium Vaticanum* (DB. 1783). Insuper juxta mentem Ecclesiae tota thesis continetur in *symbolis,* ubi singuli et individui homines profiteri tenentur fidem in vitam aeternam.

I. Anima humana est individualis.

138. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex **Sacra Scriptura.**—Sacra Scriptura docet *animas humanas esse plures pro pluralitate hominum, ita ut singuli suam propriam eamque rationalem animam habeant:* **Ergo** juxta Sacram Scripturam anima humana individualis est.

Consequens ex ipsis terminis constat.—*Antecedens* jam ex illis textibus satis liquet, secundum quos homo bene aut male vivendo animam suam in aeternum salvare aut perdere potest. Ita Sap. 3, 1: "Justorum animae in manu Dei sunt," et 19, 1: "Impiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit." Item, Mt. 25, 21: "Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui," et ibid. v. 30: "Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores; illic erit fletus et stridor dentium." Similiter in sexcentis aliis locis, quae evidentissime ostendunt unumquemque hominem suam propriam rationalem animam habere.

139. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex **doctrina SS. Patrum.**—Ex textibus jam in praecedente thesi (n.127) allatis sufficienter patet individuam hominis naturam duplici parte essentiali constare, corpore videlicet et anima rationali, ita ut tot sint animae rationales quot sunt homines. Item alibi docent *singulorum animas via corporalis generationis ab Adam infici peccato originali, suam quemque animam peccato actuali maculare, justorum animas salvari, iniquorum perdi;* quae omnia doctrinam in thesi propositam evincunt.

II. Anima humana est spiritualis.

140. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex **Sacra Scriptura.**—Juxta Sacram Scripturam anima est *realiter distincta a corpore, cui ratione entitatis suae opponitur, suasque proprias intrinsece a corpore independentes actiones habet*: **Atqui** hujusmodi anima est spiritualis: **Ergo.**

Minor constat; nam complectitur ipsam animae spiritualis definitionem (cf. supra, n. 135 b et c).—*Major hisce textibus probatur.*

a) *Eccle. 12, 7:* "Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum;" ubi pulvis ponitur pro materia corporea, et spiritus pro anima quatenus distinguitur a materia, eique ratione suae entitatis opponitur. Similiter *Mt. 10, 28:* "Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere;" ubi praeter animae distinctionem a corpore etiam exhibetur ejus essentialis simplicitas, quippe quae ratio est cur anima a causis creatis occidi nequeat.

b) *I Cor. 2, 11*: "Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognoscit nisi Spiritus Dei;" ubi anima in contradistinctione ad corpus spiritus dicitur, verum etiam ratione propriae suae actionis Spiritui Dei comparatur. Huc quoque spectant verba Apostoli, *Gal. 5, 17:* "Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; haec sibi invicem adversantur;" ubi extrinseca quaedam animae in suis operationibus dependentia innuitur, ejus tamen intrinseca independentia satis clare indicatur.

141. ARGUMENTUM ALTERUM: ex dictis SS. Patrum.—SS. Patres in ipsa hominis definitione animam ea ratione corpori opponunt, quod sit *vivens, simplex et incorporea substantia, quae intellectu et libera voluntate praedita est:* **Ergo** juxta eos anima humana est spiritualis.

Consequens ex ipsa definitione animae spiritualis satis patet.—*Antecedens* clare constat ex textibus jam supra (n. 127) allegatis. Ita v. g. ex verbis *S. Joannis Damasceni,* qui ait: "Anima est vivens, simplex et incorporea substantia, corporis oculorum suapte natura sensum fugiens, immortalis, rationis et intelligentiae particeps." Et alii ibi citati similiter loquuntur.

III. Anima humana est immortalis.

142. ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.—Sacra Scriptura docet, a) *nullam causam extrinsecam, praeter ipsum Deum, posse animam occidere;* b) animas justorum esse *in pace,* earumque spem esse *immortalitate plenam;* c) justos *vivere in perpetuum,* et damnatos *versari in supplicio aeterno:* **Atqui** haec necessario ostendunt animam humanam esse tum intrinsece tum extrinsece immortalem: **Ergo.**

Minor est evidens; nam cum anima non possit occidi nisi a Deo, evidenter non habet in se principium corruptionis, ideoque intrinsece immortalis est; item cum vivat in perpetuum, Deus eam non destruet, et ideo est etiam extrinsece immortalis.

Major probatur textibus huc spectantibus: a) *Mt. 10, 28:* "Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et corpus et animam perdere in gehennam." b) *Sap. 3, 1-4:* "Justorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis . . . illi autem sunt in pace; et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est." *Mt. 25, 46*: "Et ibunt hi (iniqui) in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam."

143. ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione. — Quoad *justos* haec traditio clare patet ex *symbolis*, ubi profitemur fidem in vitam aeternam; quoad *omnes* vero, tum justos tum injustos, ex *tota occonomia Christiana*, quae in hac de animarum immortalitate fide nititur, evidentissime constat. Item ex scriptis SS. Patrum, qui tum intrinsecam tum extrinsecam animarum immortalitatem iterum atque iterum affirmant. Ita docent corpora post resurrectionem fore per gratiam id quod anima spiritualis est per naturam (*S. Athenagoras*, De Resurrect. Mort. n. 12; MG. 6, 996; *Zeno Veron.* l. 1, tr. 16; ML. 11, 370), solius corporis proprium esse quod sit mortale (*S. Irenaeus*, Adv. Haer. l. 5, c. 13, n. 3 sqq.; MG. 7, 1158; *Const. Apost.* l. 6, c. 11; MG. 1, 936, 937); item notant philosophos gentiles sola rationis lumine immortalitatem animarum agnovisse (*Origenes*, Cont. Celsum, l. 1, n. 7; MG. 11, 668). Cf. *Suarez, De Anima*, l. 1, c. 10, nn. 11 sqq.

144. Omnes tres partes theseos etiam ex *ratione* probantur, quatenus ipsa experientia constat unumquemque hominem suam propriam agere vitam, superiores animae operationes esse simplices, ideoque ex simplici principio profluentes, unicuique innatum esse immortalitatis instinctum, seu ineluctabile immortalitatis desiderium per naturam ex ipso Deo profluens; hoc tamen argumentum jam in philosophia expositum est, et ideo illud hic indicasse sufficiat.

145. Corollarium: Quod homo prae creaturis irrationalibus sit imago Dei.

Cum Deus mundum libere creaverit, et quidem secundum ideas praeconceptas, facile patet in omnibus creaturis aliqualem Dei repraesentationem inveniri; et hoc quidem jam superius (n. 82) ostensum est. Haec autem Dei in creaturis repraesentatio vel plus vel minus perfecta esse potest, prout in eis exprimitur vel *sola Dei causalitas* vel simul etiam quodammodo *ipsa ejus specifica natura*. Illud habetur in omnibus creaturis, cum omnes a Deo tamquam a causa efficiente, exemplari, et finali productae sint, ideoque ejus esse, veritatem, et bonitatem quodammodo participant; hoc vero de solis rationalibus affirmari potest, quippe *quae solae Dei vitae intellectualis ejusque immortalitatis participes sunt*. Quare in Sacris Litteris de creaturis irrationalibus solum refertur quod a Deo productae sint; de homine vero quod ad Dei imaginem et similitudinem factus fuerit (Gen. 1, 26, 27), quodque ei datum fuerit dominium super cuncta quae Deus fecerat in terra (Ibid. 26, 29, 30).

Est igitur homo prae creaturis irrationalibus *imago Dei*; haec tamen imago *mere analoga et valde imperfecta* est. Nam ad propriam et perfectam alicujus imaginem non modo requiritur ut habeatur similitudo in natura specifica aut quasi specifica, eaque ex archetypo expressa,

verum etiam ut haec similitudo sit orta vi actionis ex sua formali ratione assimilantis terminum principio a quo procedit; et ita quidem ut impleat illud cujus est imago, quo fit ut nihil desit imagini quod inest ei de quo expressa est. Hac autem propria et perfecta ratione solus Unigenitus Filius Dei imago dici potest. Cf. *Beraza,* nn. 274, 275.

Ad imaginem vero analogam et imperfectam sufficit, a) ut adsit similitudo inter imaginem et rem cujus dicitur imago; b) ut haec similitudo derivata sit ex illa re tamquam ex suo archetypo; c) ut haec similitudo sit saltem in signo speciei, seu in aliquo accidente speciei proprio. Ita imago hominis, photographice producta, ex ipso tamquam exemplari seu archetypo ejus similitudinem exhibet, et quidem in signo speciei seu secundum figuram. Hoc fere modo homo, secundum divinum exemplar factus, exhibet Dei similitudinem; utique non secundum figuram, cum Deus figuram non habeat, sed secundum intellectum, liberam voluntatem, aliaque hujusmodi, ratione quorum in sua specie Deo quodammodo assimilatur. Cf. *S. Thomas,* I, q. 93, a. 6.

Per intellectualem suam igitur naturam, homo Deum singulari modo imitatur, et secundum hanc prae inferioribus creaturis Dei imago est. Unde ad rem *S. Augustinus*: "Non distas a pecore nisi intellectu. Noli aliunde gloriari. De viribus praesumis? a bestiis vinceris; de velocitate praesumis? a muscis vinceris; de pulchritudine praesumis? quanta pulchritudo est in pennis pavonis! Unde ergo melior es? Ex imagine Dei. Ubi imago Dei? In mente, in intellectu" (In Jo. tr. 3, n; ML. 35, 1398).

Insuper sicut homo est imago Dei unius, ita etiam dici potest imago Dei trini, seu ipsius Trinitatis. Hanc Trinitatis imaginem alii auctores in aliis hominis perfectionibus reposuerunt. Ita *S. Augustinus* docet hominem esse Trinitatis imaginem quatenus in eo est mens, notitia, et amor; vel etiam quatenus in eo distinguuntur memoria, intelligentia, et voluntas (De Trinitate, 11. 9, 14). *S. Thomas* ita arguit: "Aliquis effectus repraesentat solam causalitatem causae, non autem formam ejus, . . . et talis repraesentatio dicitur esse repraesentatio vestigii; . . . Aliquis autem effectus repraesentat causam quantum ad similitudinem formae ejus, . . . et haec est repraesentatio imaginis. Processiones autem divinarum personarum attenduntur secundum actus intellectus et voluntatis. Nam Filius procedit ut verbum intellectus; Spiritus Sanctus, ut amor voluntatis. In creaturis igitur rationalibus, in quibus est intellectus et voluntas, invenitur repraesentatio Trinitatis per modum imaginis, in quantum invenitur in eis verbum conceptum et amor procedens" (Sum. Theol. I, q. 45, a. 7). Ex hac tamen imagine, prout in homine invenitur, existentia mysterii Trinitatis independenter ab ejus revelatione nullatenus inferri potest; est enim imago mere analoga et valde imperfecta. Immo etiam qua-

tenus per dona supernaturalia in suo ordine multum augetur et tandem per visionem beatificam ad summam perfectionem adducitur, analoga semper et imperfecta manet.

146. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Spiritualitas animae non videtur ex dictis SS. Patrum solide probari; nam Tertullianus docuit animam esse corpus, substantiam corporeis conditionibus subjectam (De Anima, c. 7; ML. 2, 656); S. Hieronymus dicit quidem eam esse incorpoream, sed statim addit: "Secundum crassiorem dico nostri corporis substantiam" (In Matth. c. 10; ML. 26, 68); in libro De Ecclesiae Dogmatibus (c, 12) dicitur omnem creaturam corpoream esse: *Ergo* non unanimi consensu spiritualitatem animae docuerunt.

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: Concedi potest Tertullianum hac in re errasse, licet S. Augustinus (De Gen. ad litt, l. 10, c. 24, nn. 40, 41) eum mitius interpretari conetur; sed unius errore universalis traditio non labefactatur. Ad alios autem quod spectat, ille terminus, "corpus" vel "corporeum," relate ad animam improprie accipiendus est; quatenus scilicet anima vel tamquam ens reale opponitur enti fictitio, vel cum simplicissimo Deo comparatur. Nam S. Hieronymum certe docuisse animam esse vere spiritualem, omnes ultro fatentur; alius vero auctor suam mentem orthodoxe explicat, cum ait: "Ex eo autem corporeas esse credimus intellectuales creaturas, quod localiter circumscribuntur" (Ibid. c. 12).

Ceterum tota haec difficultas, quae etiam quoad alios quosdam scriptores movetur, ita exponitur a *S. Augustino:* "Cum de re constat, non est opus certare de nomine. Si corpus est omnis substantia vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur id, quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima; item si solam illam placet incorpoream appellare naturam, quae summe incommutabilis et ubique tota est, corpus est anima, quoniam tale quid ipsa non est; porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine sistitur vel movetur, non est corpus anima" (Epist. 166, 2, 2; ML. 33, 710). Similiter *S. Joannes Damascenus*: "Alioqui enim quidquid cum Deo confertur, qui solus nulli comparari potest, crassum et materiale invenitur" (De Fide Orthod. l. 2, c. 3; MG. 94, 868).

2° Operari sequitur esse: *Atqui* animae operatio materialis est: *Ergo* etiam ipsius esse.

Resp. Operari supremum sequitur esse, *C.* Etiam operari inferius, *subd.* Sequitur esse compositi, *C.* Etiam esse ipsius formae, *iterum subd.* Quatenus ista forma cum altera parte compositi intrinsece unita est, *C.* Quatenus ista forma per se subsistit, *N.* Anima una cum corpore istas inferiores actiones ponit, et in tantum ipsius natura

per eas indicatur; simul tamen per se subsistit, et in suis superioribus actionibus intrinsece a corpore non pendet (cf. n. 135 c).

3° Corpus et anima constituunt ens unum per se: *Atqui* corpus et spiritus non possunt constituere ens unum per se: *Ergo* anima non est spiritus.

Resp. Corpus et anima constituunt unum per se, quatenus anima actuat et specificat corpus per modum formae substantialis, *C.* Quatenus per impossibile ipsum esse animae diceretur fieri ipsum esse materiae, *N.* Anima communicat quidem suum esse corpori seu materiae; simul tamen illud esse realiter, licet non actualiter, distinctum manet.

4° Sacra Scriptura docet hominem esse pulverem et in pulverem reverti (Gen. 3, 19, 20): *Ergo* ejus anima neque spiritualis est neque immortalis.

Resp. Sacra Scriptura docet hominem ex parte esse pulverem, et secundum hanc partem in pulverem reverti, *C.* Totum hominem esse pulverem et in pulverem reverti, *N.*

5° *Atqui* totum hominem; nam in Ecclesiaste (3, 19, 20) dicitur: "Unus interitus est hominis et jumentorum, . . . omnia pergunt ad unum locum; de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur": *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Imprimis omnino certum est Ecclesiasten hisce verbis noluisse docere mortalitatem animae humanae; nam inferius (12, 7) ipse dicit: "Memento creatoris tui in diebus juventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis, . . . et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum." Neque admitti potest eum de animae immortalitate dubitasse, licet verbis in objectione allegatis subjungat: "Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum" (3, 21). Nam tale dubium simul stare nequit cum absoluta affirmatione quod "spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum" (12, 7). Unde textus in objectione citatus non dogmaticam sed potius exegeticam difficultatem proponit.

Hanc autem exegeticam difficultatem alii auctores aliter solvunt. S. Hieronymus istum textum ita interpretatur: "Si autem videtur haec esse distantia, quod spiritus hominis ascendat in caelum, et spiritus pecoris descendat in terram, quo istud certo auctore cognovimus? Quis potest nosse, utrum verum an falsum sit quod speratur? Hoc autem dicit (Ecclesiastes) non quod animam putet perire cum corpore, vel unum bestiis et homini praeparari locum, sed quod ante adventum Christi omnia ad inferos pariter ducerentur. . . . Clausa

erant caelestia, et spiritum pecoris hominisque aequalis vilitas coartabat. Et licet aliud videretur dissolvi, aliud reservari, tamen non multum intererat perire cum corpore, vel inferni tenebris detineri'' (Comment. in Eccl.; ML. 23, 1041). Alias interpretationes videsis apud cl. Beraza, loc. cit. n. 1147.

6° Plures scriptores ecclesiastici et quidam Patres docere videntur animam humanam non esse immortalem nisi per gratiam Dei, ideoque damnatorum animas in nihilum redituras fore; ita fere *Arnobius* (Adv. Gent. l. 2, nn. 14, 30; ML. 5, 831, 857), *Tatianus* (Orat. adv. Graec. n. 13; MG. 6, 833, 834), *S. Justinus* (Apol. I, n. 21; Dial. n. 5; MG. 6, 361, 485), *S. Irenaeus* (Adv. Haer. l. 2, c. 34, n. 3; MG. 7, 836); *Ergo* argumentum ex Patribus non multum valet.

Resp. Concedendum videtur *Arnobium* hac in re errasse; scripsit tamen istum librum adhuc catechumenus, cum doctrinam Ecclesiae nondum esset satis edoctus. *S. Justinus* vero et *S. Irenaeus* non docent animas damnatorum absolute perire, sed potius eas vita aeterna privari. Ita *S. Justinus* ait: ''Nos immortalitatem eos consequi solos didicimus, qui Deum vitae sanctitate et virtute propius contingunt; qui autem improbe vivunt nec immutantur, eos igne aeterno credimus puniri'' (Apol. I, n. 21; MG. 6, 361); et *S. Irenaeus*, licet dicat: ' Ingrati juste non percipient a Deo in saeculum saeculi longitudinem dierum'' (Adv. Haer. l. 2, c. 34, n. 3; MG. 7, 836), tamen etiam docet: ''Quibuscumque enim dixerit Dominus: Discedite a me, maledicti, in ignem perpetuum, isti erunt semper damnati; et quibuscumque dixerit: Venite, benedicti Patris mei etc., hi semper percipient regnum et proficient'' (Ibid. l. 4, c. 28; MG. 7, 1062).

Denique ad *Tatianum* quod attinet, satis dubium est quid sibi voluerit; dicit enim: ''Non est immortalis per se ipsam, O Graeci, anima, sed mortalis. Potest tamen eadem non mori. Moritur enim et dissolvitur cum corpore, si veritatem ignoret; postea autem resurget in fine mundi una cum corpore, mortem per supplicia in immortalitate accipiens. Rursus autem non moritur, etiamsi solvatur ad tempus, si Dei cognitione instructa sit.'' Videtur igitur negare naturalem animae immortalitatem; attamen in eodem textu (n. 16) supponit etiam malorum hominum animas non penitus cum corpore interire. Ceterum ex unius alteriusve scriptoris errore hac in re, argumentum patristicum nullatenus infirmatur.

ARTICULUS IV

De Origine Singularum Animarum

THESIS XIII.—Singulae animae humanae a Deo creantur; et quidem eo instanti quo cum corpore conjungendae sunt.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 18, aa. 2, 3; *In II Sent.* d. 18, q. 2; *Cont. Gent.* l. 2, cc. 83, 88, 89; *De Potent,* q. 3, a. 9; *Opusc.* 2, c. 94; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 18, a. 2, qq. 2, 3; Pesch, *Praelect.* III, nn. 141 sqq.; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 986 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 28; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 111 Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 187 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 548; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2, a. 4; *Zeitschrift fuer katholische Theologie,* Innsbruck, 1883, pp. 196 sqq.

147.—STATUS QUAESTIONIS. — Primam animam humanam a Deo fuisse creatam, ab ipso Ecclesiae exordio omnes uno ore profitebantur; sed de singularum animarum ortu non aeque unanimis semper erat Catholicorum sententia. Nonnulli enim, difficultatibus dogmaticis gravati, ad *Traducianismum* vel *Generationismum* confugerunt, censentes animas posterorum Adae via generationis a propriis suis parentibus derivari. Et hujus quidem sententiae vestigia in modernis quibusdam scriptoribus inveniuntur; quapropter singularum animarum origo modo investigetur necesse est.

148. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) In hac thesi *nihil dicitur de animabus protoparentum,* quippe quas, ut jam supra (nn. 113 sqq.) ostensum est, ipsa Sacra Scriptura testatur fuisse immediate a Deo conditas; proinde hic solum *ceterorum hominum* animas a Deo creari affirmamus. Cum autem creare proprio sensu significet producere rem ex nihilo sui et subjecti, hoc termino omnis animarum derivatio ex praeexistente materia eo ipso excluditur. Quare parentes generando prolem ejus animam *nulla immediata* causalitate attingunt, sed solus Deus ejus auctor existit. Concurrunt tamen parentes ad productionem animae prolis *dispositive, quatenus sua actione disponunt materiam ut apta sit ad animam recipiendam, et juxta institutum naturae exigat* ut anima rationali informetur.

b) Haec autem dispositio materiae per generativam actionem inducta, licet *proxime in solo prolis corpore absolvatur,* sufficit tamen ut parentes *proprie dicantur generare prolem,* et non solum prolis corpus. Nam ad istam materiae dispositionem, vi legis naturalis a Deo statutae infusio animae necessario sequitur, et ideo parentum actio in productionem *totius suppositi* tendit. Hoc igitur sensu in omni generatione humana vere habetur *productio viventis a vivente in similitudinem*

naturae ex principio conjuncto, quae productio ex definitione universaliter accepta vera ipsius prolis generatio dicenda est.

c) Dicuntur autem singulae animae creari *eo instanti quo cum corpore conjungendae sunt.* Hoc igitur inciso excluditur *omnis animarum praeexistentia*, sive animae praeexistentes dicantur ex natura sua ordinari ad corpus informandum sive non; et etiam excluditur *transmigratio animarum*, quae quidem aliquam animarum praeexistentiam necessario involvit. Attamen *ipsum instans temporis*, quo anima a Deo creata corpori infundatur, non determinatur in thesi; sed solum affirmatur animae creationem et ejus in proprium corpus infusionem esse *tempore simul.* Hinc teneri potest vel sententia modernorum, juxta quam anima creatur et corpori infunditur in ipsa corpusculi conceptione passiva; vel etiam defendi potest sententia fere omnium theologorum medii aevi, quae posuit utrumque locum habere solum post elapsas aliquot a conceptione passiva hebdomadas. Illa prior tamen sententia probabilior est atque verior.

149. ADVERSARII.—Primae parti theseos opponuntur omnes *Emanatismi* et *Traducianismi* fautores, qui vel animas humanas esse ipsius Dei substantiam dicunt, vel eas via generationis a parentibus derivari contendunt. Illam priorem sententiam antiquitus propugnabant *Manichaei, Gnostici, Priscillianistae*, et omnes utique *Pantheistae* (cf. Theodoretus, Haer. fab. comp. l. 1, n. 7 sqq.; MG. 83, 353 sqq); recentius etiam *Ekard* (cf. DB. 527), et *de Molinos* (cf. DB. 1225). Hanc alteram vero sententiam, praeter antiquos quosdam haereticos, tuebantur nonnulli Patres et scriptores ecclesiastici; aliter tamen et aliter. *Luciferiani* enim haeretici, et probabiliter etiam *Tertullianus* (cf. De Anima, cc. 19, 27, et Adv. Valent. c. 25; ML. 2, 578, 681 sqq.) censebant animam derivari ex traduce materiali, ideoque eam esse corpoream (cf. *S. Augustinus*, De haer. ad Quodvultdeum, n. 81, et Epist. 190, 4, 14; ML. 42, 45; 33, 861). Inter modernos huic sententiae favere videtur *Rosmini*, qui animae sensitivae evolutionem in animam intellectualem non repugnare docuit (cf. DB. 1910, 1911).

Alii vero, inter quos numerandus videtur *S. Augustinus* (cf. Epist. 190, c. 4, n. 15; ML. 33, 861), *S. Gregorius Nyssenus* (De Opif. Hom. c. 29, MG. 44, 198), *Macarius* (Hom. 30, n. 1; MG. 34, 721), *Rufinus* (Apol. ad Anast. n. 6; ML. 21, 626), putabant animam prolis procreari ex traduce spirituali, modo tamen intellectui humano impervio. Neque omnes hanc animae derivationem ut certam propugnant, sed eam pro rerum occasione ut probabilem amplectuntur. Ita *S. Augustinus* eam tuebatur ut aliqua ratione ostendere posset, quomodo animae parvulorum peccato originali inficerentur. Quare ait: "Unde illa de animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam non oppugnat, sit et mea; si oppugnat, non sit et tua" (Epist. 166 ad Hier-

onymum, n. 25; ML. 33, 731). Sententiam *Leibnitzii* expositam videas apud *Beraza,* n. 1033.

Inter recentiores Generatianismo favebant quidam ex *Novatoribus,* ut *Lutherus* ejusque discipuli sat communiter (cf. Realencyklopaedie 18, p. 130), quos secuti sunt *De Wette, Doederlein, Bretschneider,* alii. Inter Catholicos Generatianismum proponunt vel saltem ei favent *Oischinger, Dom B. Gravina, Hermes* (cf. *Hurter,* Theol. Dogm. t. 2, n. 280). Huc fere accedit sententia quam quondam tuebatur sed postea in Indice positam retractavit *Frohschammer,* animam prolis scilicet generari a parentibus, non ex traduce sive corporali sive spirituali, sed per vim quasi creativam ipsis a Deo inditam.

Alteri parti theseos, quae de tempore creationis animarum ponitur, olim adversabantur *Platonici, Gnostici, Priscillianistae, Manichaei, Origenistae.* Ex his alii asserebant simplicem animarum praeexistentiam, alii vero insuper affirmabant illarum animarum lapsum in peccatum, easque propter hoc peccatum luendum in corpora materialia intrudi. Hoc altero sensu praeexistentiam animarum docebant *Priscillianistae* (cf. Conc. Bracarense, DB. 236), et etiam *Origenes* (De Principiis, l. 1, c. 7, n. 4; MG. 11, 173) ejusque sequaces (cf. DB. 203). Simplici praeexistentiae aliquando etiam favisse videtur *S. Augustinus,* qui ait: "Credatur ergo, si nulla Scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem humani ratio causalis in elementis mundi, anima vero jam ipso crearetur, sicut primitus conditus est dies, et creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, hoc est, inspirando, formato ex limo corpori insereret" (De Gen. ad litt. l. 7, c. 24; ML. 34, 368).

150. **NOTA.**—Quoad primam partem *S. Thomas* posuit, "haereticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine" (Sum. Theol. I, q. 118, a. 2); alii tamen mitius judicant. Ita e. g. *Gregorius de Valentia* doctrinam Generatianismi "certe erroneam" censet (I, disp. 6, q. 8), et *Estius* eam "maxime temerariam" putat (In 2, d. 17). Unde haec pars non est quidem de fide tenenda, attamen ad minimum dici debet doctrina Catholica omnino certa.

Altera pars theseos, in quantum opponitur doctrinae Origenistarum de animarum praeexistentium lapsu in peccatum, *fide tenenda est;* damnatio enim istius doctrinae a *Vigilio* Papa explicite confirmata fuit (cf. DB. 203 nota). In quantum vero haec pars opponitur simplici animarum praeexistentiae, est *doctrina Catholica ab omnibus tenenda,* cum anima "et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata, et multiplicanda sit" (Conc. Later. V; DB. 738).

I. Singulae animae humanae a Deo creantur.

151. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scripturam corpus humanum desumptum est *de terra,* anima autem data est a Deo; magisque quam parentibus nostris obtemperare debemus Deo, quia *ipse Pater spirituum est:* **Atqui** haec indicare videntur singulas animas humanas creari a Deo: **Ergo.**

Minor non est quidem omnimode certa, cum textus allegandi absolute de mediata animarum creatione intelligi possint; tamen eam esse valde probabilem negari nequit, et in hac re solum probabile argumentum ex Sacris Litteris colligi posse concedimus.—*Major* hisce textibus probatur.

a) *Eccle. 12, 7*: "Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum." In hunc textum *S. Hieronymus* ita commentatur: "Ex quo satis ridendi sunt, qui putant, animas cum corporibus seri et non a Deo, sed a corporum parentibus generari. Cum enim caro revertatur in terram et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, manifestum est, Deum patrem esse animarum, non homines" (In Eccle. Comment. 12, 7; ML. 23, 1112).

b) *Hebr. 12, 9*: "Patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus et reverebamur eos; non multo magis obtemperabimus Patri spirituum et vivemus?" Juxta obvium et naturalem hujus textus sensum, Deus supponitur immediatus animarum creator (cf. *Estius,* Comment. in hunc locum).

152. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex traditione.—SS. Patres, nonnullis utique exceptis sed his pro maxima parte solum de re dubitantibus, tam *doctrinaliter* quam *polemice* firmiter tenebant *singulas animas humanas a Deo creari*: **Atqui** hujusmodi SS. Patrum consensus solidum suppeditat argumentum: **Ergo.**

Minor satis liquet, praesertim cum illud dubium quorumdam Patrum non ex ipsa hujus doctrinae natura sed ex extrinsecis quibusdam difficultatibus tunc nondum plane solutis ortum haberet, ut jam superius (n. 149) ostensum est.—*Major* hisce textibus probatur.

a) *S. Irenaeus*: "Sed quemadmodum unusquisque nostrum suum corpus per artem Dei sumit, sic et suam habet animam. Neque enim sic pauper neque indigens Deus, ut non unicuique corpori propriam donaret animam quemadmodum et proprium characterem" (Adv. Haer. l. 2, c. 33, n. 5; MG. 7, 833).

b) *Const. Apost.* l. 5, c. 7: "Qui in utero hominem ex semine exiguo format, et animam ex non ente creans ipsi indit; . . . idem et omnes homines ad vitam revocabit, utpote quos fecit" (MG. 1, 849).

c) *S. Athanasius*: "Unusquisque nostrum genitus est homo ex homine, non quod anima rationalis alteram animam rationalem gen-

uerit, quamvis homo sit ex anima rationali et corpore compositus'' (Dial. 4, n. 6; MG. 28, 1260).

d) *S. Gregorius Naz.*: ''Non totius hominis homo pater est, ut dici solet, sed tantum carnis et sanguinis, quorum utrumque peribit. Anima autem Dei omnipotentis spiraculum est, extrinsecus incidens in terrestre figmentum'' (Carm. in laud virgin. vv. 392-395; MG. 38, 968).

e) *S. Cyrillus Alex.*: ''Gignitur enim a carne caro proculdubio, et ille rerum omnium opifex modo et ratione quam ipse novit, ut animata sit, efficit; sed tamen mulier quae peperit, etsi carnis tantummodo sit origo, totum hominem enixa creditur, ex anima inquam et corpore, quamvis ad existentiam animae nihil a seipsa contulerit'' (Adv. Nestorium, l. 1, c. 4; MG. 76, 37).

f) *Auctor Dialogorum,* qui *S. Caesarius Nazianzenus* reputatur: ''Homo organum generat, animam autem immittit Deus. Nusquam enim in Scriptura dictum est: Producat mulier animam viventem; neque quod Eva concipiens aut Sara aut Elisabeth produxerit animam, sed quod genuerit infantem puerum'' (Dial. 2, 102; MG. 38, 968):

g) *Theodoretus:* ''Nam et ex praestitutis corporibus animalium corpora effingit, et ex iis quae non sunt, animas creat, non cunctorum quidem animalium, sed hominum dumtaxat'' (Graec. affect. curat. serm. 4; MG. 83, 924).

h) *S. Primasius:* ''Idcirco autem omnipotentem Deum, (Apostolus) patrem spirituum, id est creatorem animarum appellat non corporum, cum omnium creator sit, quia corpus nostrum ex semine paterno et materno conficitur, anima vero semper a Deo ex nihilo creatur'' (In Epist. ad Hebr. 12, 9; ML. 68, 778).

i) *Lactantius:* ''Illud quoque venire in quaestionem potest, utrumne anima ex patre, an potius ex matre, an vero ex utroque generetur. Sed ego in eo jure ab ancipiti vindico: . . . corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque; de animis animus non potest, quia ex re tenui et incomprehensibili (sc. spirituali) nihil potest descendere. Atque serendarum animarum ratio uni ac soli Deo subjacet, . . . ex quo apparet, non a parentibus dari animas, sed ab uno eodemque omnium Deo Patre'' (De Opif. Dei ad Demetr. c. 19; ML. 7, 73).

k) *S. Hilarius:* ''Si (haeretici) intelligerent sacramentum carnis assumptae, intelligerent etiam sacramentum ejusdem et hominis Filii et Dei Filii. Quasi vero si tantum ex Virgine assumpsisset corpus, assumpsisset quoque ex eadem et animam: cum anima omnis opus Dei sit; carnis vero generatio semper ex carne sit'' (De Trin. l. 10, n. 20; ML. 10, 358).

l) *S. Ambrosius:* "Quia ex nullo homine generantur animae" (De Noe et arca, l. 1, c. 4, n. 9; ML. 14, 366). Item *Pseudo-Ambrosius:* "Quotidie ergo Deus majestatis in plasmatis jam corporibus animas facit et immittit" (De Trin. c. 18; ML. 17, 530).

m) *S. Hieronymus:* "Satis ridendi sunt, qui putant, animas cum corporibus seri et non a Deo, sed a corporum parentibus generari" (cf. supra, n. 151 a). Item: "Quotidie Deus fabricatur animas, cujus velle fecisse est, et conditor esse non cessat" (Cont. Joan. Hierosol. n. 22; ML. 23, 373). Item *Pseudo-Hieronymus:* "Qui ergo animas ex una propagari asserunt, et non in corpora juxta exemplum primi hominis a Deo quotidie fieri, anathema sint" (Epist. 37, n. 9; ML. 30, 265).

n) Ita etiam *Prudentius* (Apoth. adv. Ebion. vv. 915–918; ML. 59, 994), *Genadius* (De Eccl. Dogm. c. 14; ML. 58, 984), *S. Anastasius II* (Epist. ad Episc. Gall. 1; DB. 170), alii. Ad dubitantes autem quod attinet, illi fere omnes innixi inveniuntur auctoritate *S. Augustini,* qui tamen ipse de animarum creatione ad *S. Hieronymum scripsit:* "Si inveneris quod te quaerere admonui, quod ipse adhuc, fateor, non inveni, defende quantum potes, atque assere animarum infantium ejusmodi esse novitatem, ut nulla propagine ducantur; et nobiscum quod inveneris fraterna dilectione communica" (Epist. 190, c. 4, n. 14; ML. 33, 861). Quare neque *S. Augustinus* neque ejus hac in re sequaces serio contra nostram thesim adduci possunt. Cf. Zeitschrift fuer katholische Theologie, Innsbruck, 1883, pp. 197 sqq.

153. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex auctoritate ecclesiastica. Tum Romani Pontifices tum etiam concilia hanc doctrinam sive directe sive indirecte iterata vice proposuerunt, ita ut nunc jam absque temeritate negari non possit, quod quidem ex declarationibus modo ponendis luculenter apparebit.

a) *Anastasius II,* in epistola ad episcopos Galliae, ait: "Laudavimus fratris et coepiscopi nostri Arelatensis sollicitudinem, qua nobis, ut arbitramur, necessariam materiam praedicationis ingessit contra haeresim, quam intra Gallias affirmat exortam, qua putant hoc rationabili se assertione suadere, quod humano generi parentes, ut ex materiali faece tradunt corpora, ita etiam vitalis animae spiritum tribuant. Quos debet fraternitas vestra a vana falsaque persuasione revocare. . . . Sanae igitur acquiescant doctrinae, quod ille indat animas, qui vocat ea quae non sunt, tamquam sint. . . . Itaque, dilectissimi, ego absens corpore, spiritu vero praesens vobiscum, ita redargui volo, qui in novam haeresim prorupisse dicuntur, ut a parentibus animas tradi generi humano asserant, quemadmodum ex faece materiali corpus infunditur, ut sciant secundum apostolicam praedicationem se quidem jam mortuos" (*Thiel,* Epist. Roman. Pontificum, I, 634 sqq).

b) *Leo IX* in symbolo Petro Antiocheno episcopo inter alia proposuit: "Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam et absque baptismate originali peccato obnoxiam credo et praedico" (DB. 348).

c) *Benedictus XII* Armenis cum Ecclesia reconciliandis praecepit, ut damnarent errorem a quibusdam in iis locis sparsum, nimirum, "animam humanam filii propagari ab anima patris sui, sicut corpus a corpore et angelus etiam unus ab alio" (DB. 533). Responderunt vero Armenorum episcopi: "Hic error, quod anima propagetur ab anima patris sui sicut corpus a corpore . . . semper fuit excommunicatus in ecclesia Armenorum, et maledictus sit" (Mansi, 25, 1193).

d) *Leo X,* in Bulla "Apostolici Regiminis" in *Concilio Lateranensi V* edita, definiendo animam esse immortalem simul docet eam multiplicari pro corporibus quibus infunditur; et ideo saltem indirecte affirmat animam prolis ab extrinseco seu a Deo provenire (cf. DB. 738).

e) *Alexander VII,* in Bulla "Sollicitudo Omnium Ecclesiarum," laudat pietatem fidelium qui sentiunt B. V. Mariae "animam in primo instanti creationis et infusionis in corpus fuisse . . . a macula originalis peccati servatam immunem" (DB. 1100); qua igitur laudatione indirecte affirmat doctrinae de animarum creatione veritatem.

f) *Concilium Coloniense* statuit: "Dubium esse nequit e conciliorum mente anima rationali, a Deo creata, ipsa omnes illas vitae nostrae operationes perfici" (P. I, tit. 4, cap. 14; Coll. Lac. 293); hac autem declaratione animarum creationem indirecte affirmari satis patet.

g) In *Concilio Vaticano* paratum erat schema constitutionis dogmaticae de doctrina Catholica, in quo legitur: "Adam vero ipse primus dicitur formatus a Deo, pater orbis terrarum (Sap. 10, 1), quippe a quo cuncti qui incolunt terram, naturali generatione descendant carne de carne nascente, cui anima a Deo in singulis de novo creata infunditur" (Coll. Lac. t. 7, tit. 5, 555). Unde liquido constat juxta mentem Ecclesiae doctrinam de singularum animarum creatione ab omnibus tenendam esse; quam insuper conclusionem omnes fere theologi, tam veteres quam recentiores, strenue defendunt (cf. Beraza, op. cit. nn. 1009).

154. ARGUMENTUM QUARTUM: ex ratione.—Hoc argumentum jam propositum est in philosophia; potest tamen sic breviter in mentem revocari: Experientia constat animam humanam esse *finitam,* et ideo non est essentia Dei aliqualiter per emanationem in hominem derivata; estque *spiritualis* et dividi nequit, quapropter neque ex materiali neque ex spirituali traduce propagari potest. Non ex traduce *materiali,* quia transitus a materia in spiritum non est possibilis; non ex traduce *spirituali,* quia spiritus non habet partes quae ad modum traducis abscindi possint.

II. Animae humanae creantur eo instanti quo cum corpore conjungendae sunt.

155. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Sacra Scriptura docet, a) hominem *ab initio fuisse valde bonum*, primum peccatum commissum esse *post creationem protoparentum*, ante nativitatem suam homines *nihil aut boni aut mali agere;* b) animam humanam *ex natura sua ordinari ad unum ens cum proprio corpore constituendum:* **Atqui** haec ostendunt animas humanas suis corporibus non praeexistere: **Ergo.**

Minor satis patet; nam eo quod animae in ipsa conjunctione cum corpore dicuntur bonae, quodque homines ante suam nativitatem nihil mali egerint, et primum peccatum post protoparentum creationem commissum sit, necessario excluditur praeexistentia quam haeretici et Origenistae docuerunt; eo autem quod homines ante suam nativitatem nihil boni egerint, et quod anima ex sua natura ordinatur ad unum ens cum proprio corpore constituendum, jam nulla prorsus ratio praeexistentiae habetur; et insuper ipsa rerum congruitas postulat ut ea quae simul ex propria sua ordinatione unum aliquod ens constituunt, etiam simul producantur.

Major hisce textibus probatur: a) *Gen 1, 31:* "Viditque Deus cuncta quae fecerat; et erant valde bona." Item, *Rom. 5, 12:* "Per unum hominem (Adamum) peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt." Item, *Rom. 9, 11:* "Cum enim nondum nati fuissent (Jacob et Esau) aut aliquid boni egissent aut mali;" unde Apostolus evidenter supponit homines ante nativitatem suam nihil aut boni aut mali agere, ideoque nullum peccatum commisisse.

b) *Gen. 2, 7:* "Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem." Ex ipsa igitur animae et corporis unione oritur hominis vita, quod quidem fieri nequit nisi quatenus anima sua natura ad corpus informandum ordinatur. Cf. quae hac de re jam superius (nn. 126 sqq.) dicta sunt.

156. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex doctrina SS. Patrum.—SS. Patres doctrinam de praeexistentia animarum, praesertim ut a *Priscillianistis* atque *Origenistis* proponebatur, tamquam *stultam* et *absurdam* rejecerunt. Ita v. g. *S. Gregorius Nazianzenus:* "Vereor ne absurda etiam ac praepostera cogitatio cuiquam obrepat, tamquam anima alibi usquam versata sit, ac deinde corpori huic adstricta fuerit, . . . sed quoniam hoc existimare nimis stultum et absurdum est atque ab ecclesiastica fide et doctrina alienum" (Orat. 37, n. 15; MG. 36, 300). Item *S. Cyrillus Alexandrinus,* qui plurimis argumentis istum

errorem expugnans, sic tandem concludit: "Istiusmodi nugas adversus Ecclesiae dogmata, et vanas fabulas simpliciorum auribus ingerentes, jure audient: Vae qui prophetant de corde suo et prorsus non vident" (In Jo. l. 1, c. 9; MG. 73, 133). Similiter loquuntur *S. Hieronymus* (Epist. 120, n. 1; MG. 22, 1085), *S. Gregorius Nyssenus* (De hominis opif. c. 28; MG. 44, 233), et alii communiter.

157. *Confirmatur* haec pars *auctoritate ecclesiastica* et ex *consensu omnium theologorum.* Imprimis enim tamquam haereticus damnatus est error *Origenis* et *Priscillianistarum,* secundum quem animae ante earum conjunctionem cum corpore erant spiritus in peccatum lapsi (cf. DB. 203, 236); dein vero in *Concilio Lateranensi V* anima humana declarata est non modo pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicata, verum etiam multiplicanda; et ideo pro singulis corporibus de novo creanda, ita ut antea non extiterit (DB. 738). Theologos hac in re semper consensisse, satis notum est.

158. **Corollarium: Quod animarum transmigratio, seu metempsychosis, prorsus rejicienda sit.**

Ex thesi modo probata necessario sequitur animarum in alia et alia successive corpora transmigrationem omnino rejiciendam esse. Si enim anima corpori ab ea informando non praeexistit, utique semel creata in alia corpora transmigrare nequit. Animarum transmigrationem, quae etiam *metempsychosis, metensomatosis, palingenesia* audit, olim non modo multae gentiles nationes verum etiam quaedam haereticorum sectae tuebantur, et partim adhuc tuentur. Inter haereticos, qui hunc errorem docuerunt, numerantur *Manichaei, Priscillianistae, Cathari, Origenistae.* De *Priscillianistis* ita loquitur *S. Augustinus:* "Hi animas dicunt ejusdem naturae atque substantiae cujus est Deus, ad agonem quendam spontaneum in terris exercendum per septem caelos et per quosdam gradatim descendere principatus, et in malignum principem incurrere, a quo istum mundum factum volunt, atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari" (De Haer. ad Quodvultdeum, n. 70; ML. 42, 44). Ad hunc errorem, quatenus repetitas animarum incorporationes, seu "reincarnationes" quas vocant, significat, valde propensi sunt eumque restaurare nituntur satis multi moderni, praesertim inter eos qui Spiritistarum sectis adhaerent.

159. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES.**

1° Ipsa Sacra Scriptura docere videtur animam prolis a parentibus generari; nam dicit de Abraham (Gen. 12, 5); "Tulitque Sarai uxorem suam, . . . et animas quas fecerant in Haran;" *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: Anima in illo textu supponitur pro toto homine, ideoque de origine istarum anima-

rum nihil dicitur. Non enim Abraham aliique tulerunt ipsas animas in se spectatas, sed filios filiasque quos genuerant. Simili modo etiam intelligi debet alius textus (Gen. 46, 26) qui contra hanc thesim adduci solet, nimirum: "Cunctae animae quae ingressae sunt cum Jacob in Aegyptum, et egressae sunt de femore illius." Utique cum Jacob in Aegyptum non ingressae sunt animae sed homines; et eodem sensu de femore illius egressi sunt homines, non vero solum animae.

2° Argumentum ex traditione non multum valet; nam teste *S. Hieronymo, "Tertullianus, Apollinaris,* et maxima pars occidentalium autumant, ut quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima" (Epist. 126, n. 1; ML. 22, 1085): *Ergo* traditio animas a Deo creari universalis dici nequit.

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: Plurimos haereticos docuisse animam nasci ex anima, quomodo corpus ex corpore, *C.* Plurimos etiam Catholicos, *subd.* Plurimos animae ex anima propagationem absolute docuisse vel defendisse, *N.* Plurimos eam dubitante animo proposuisse, iterum *subd.* Ante Pelagianorum haeresim exortam, *N.* Post illam haeresim exortam, adhuc *subd.* Propter intrinsecam istius propagationis probabilitatem, *N.* Propter extrinsecas difficultates cum animarum creatione connexas, *C. S. Hieronymum* rem multum exaggerasse historice constat; nam antequam Pelagiani peccatum originale negare coeperunt, inter Catholicos praeter *Tertullianum* vix ullus invenitur qui animas ex traduce derivari docuerit; postea vero, duce *S. Augustino,* satis multi ad hanc derivationem propensi erant, sed unice quia non perspectum habebant quomodo absque ea animae possent peccato originali inquinari. Cf. quae hac de re optime notant theologi *Concilii Vaticani* (Adnot. in primum schema const. de doctrina Catholica, n. 37; Coll. Lac. t. 7, col. 546).

3° Parentes vere generant hominem: *Atqui* homo constat corpore et anima: *Ergo* etiam animam generant.

Resp. Parentes vere generant hominem, quatenus ita disponunt materiam ut vi legis universalis a Deo statutae exigat animae creationem, *C.* Quatenus actione sua generativa omnem hominis partem immediate attingant, *N.* Cf. superius dicta (nn. 148 a et b).

4° Si Deus singulas animas crearet, dicendus esset adulteris et fornicariis cooperari, eorum videlicet actionibus complementum ponendo: *Atqui* hoc nefas est dicere: *Ergo.*

Resp. Si Deus singulas animas crearet, dicendus esset adulteris et fornicariis cooperari, in quantum illi ponunt actum mere physicum in suo termino animae creationis exigitivum, *C.* In quantum praecise ponunt actum moraliter deordinatum, ita ut Deus esset istius deordi-

nationis particeps, *N.* In hoc non habetur major inconvenientia quam in divino concursu ad quemlibet alium actum physicum, qui ex libera hominis determinatione moraliter malus est. Huic difficultati jam apte respondit *S. Hieronymus,* qui ait: "Quasi vitium sementis in tritico sit quod furto dicitur esse sublatum, et non in eo qui frumenta furatus est; ideirco terra non debeat gremio suo semina confovere, quia sator immunda ea projecerit manu" (Apol. adv. libros Rufini, l. 3, n. 28; ML. 23, 478).

5° Filii assimilantur parentibus non solum secundum dispositiones corporis, verum etiam secundum dispositiones animae: *Atqui* hoc nullatenus intelligitur nisi quatenus animae dicuntur a parentibus propagari: *Ergo.*

Resp. Concedo majorem, et nego minorem. Nam dispositiones animae plerumque a dispositione corporis pendent; et ideo cum parentes sua actione generativa prolis corpus ad animam recipiendam disponant, mediante corporis dispositione etiam quasdam animae dispositiones praedeterminare possunt. Attamen hoc hereditatis factum, etiam quoad corpus, periti nondum satis exploratum habent.

6° Ipsa Sacra Scriptura testatur (Gen. 2, 2) Deum septimo die ab opere creationis quievisse: *Ergo* eum nunc animas creare dici nequit.

Resp. Ipsa Sacra Scriptura testatur Deum septimo die requievisse "ab universo opere quod patrarat," *C.* Ab omni omnino opere, *N.* Unde ipse Dominus noster ait: "Pater meus usque modo operatur, et ego operor" (Jo. 5, 17). Ob textum in objectione allegatum olim nonnulli etiam Catholici, inter quos Nemesius (De Nat. Hom. c. 2) Emesanus episcopus, putaverunt Deum in initio omnes animas simul creasse; sed ex dictis satis patet hanc rationem esse prorsus futilem. De ipsa autem hac sententia merito quaerit *S. Hieronymus:* "An in thesauro habeantur Dei olim conditae animae, ut quidam ecclesiastici stulta persuasione confidunt?" (Epist. 126, n. 1; ML. 22, 1085).

ARTICULUS V

De Unitate Originis Familiae Humanae

THESIS XIV.—Totum genus humanum ab uno stipite, Adamo, originem trahit.

Cf. Schanz, *Christian Apology,* vol. I, c. 13; Guibert, *In the Beginning,* c. 5, pp. 212 sqq.; Thein, *Christian Anthropology,* cc. 11–13; *Answer to Difficulties of the Bible,* c. 10; Prichard, *Researches into the Physical History of Mankind;* Quatrefages, *Unité de l'Espèce humaine;* Beraza, *De Deo Creante,* nn. 872 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 153 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 27; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 64 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,*

nn. 526 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore*, nn. 179 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature*, p. 2, c. 2, thes. 2.

160. **STATUS QUAESTIONIS.** — Deum voluisse ut Adamus et Eva multiplicarentur et implerent terram, eamque sibi subjicerent, tot verbis in Sacris Litteris refertur. Inde tamen non necessario sequitur nullos nunc esse, vel olim fuisse, homines in terra qui ex alio stipite ortum habuerint. Potuit enim Deus non unum dumtaxat par hominum sed plura creare, quorum dein unumquodque suos inter tot diversas gentes terrae posteros haberet. Ad hanc igitur quaestionem solvendam, num scilicet ex *uno solo stipite totum genus humanum ortum sit, praesens nostra thesis ponitur.*

161. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Per totum genus humanum hic intelligimus *omnes omnino homines, qui vel nunc sunt vel unquam fuerunt.* Quare excluduntur tum *Praeadamitae* qui vocantur, tum *Coadamitae.* Praeadamitarum hypothesis *duplici sensu* accipi potest: *Primo,* quod ante Adamum alii homines exstiterint, quorum series ante Adamum cessaverit, et tum demum creatus sit Adam, a quo universum praesens genus humanum propagatum sit; *secundo,* quod series eorum hominum, qui ante Adamum exstiterunt, perseveraverit jam existentibus Adamo ejusque posteris. Coadamitarum hypothesis communiter ita intelligitur, quod praeter Adamum, cujus productio in Sacris Litteris narratur, in diversis regionibus terrae diversi stipites vel simul vel successive conditi fuerint, e quibus deinde multae illae et diversae gentes atque nationes, quae terram nunc incolunt, originem traxerint. *Utramque hypothesim prorsus rejiciendam esse,* nos in hac thesi contendimus.

b) Unde ad nostram thesim probandam non sufficit ut ostendatur *omnes homines ad eandem speciem pertinere,* sed insuper evinci debet eos *ex Adamo vinculo consanguinitatis colligari.* Ex hac quidem consanguinitate identitas speciei necessario sequitur, sed non e converso; Deus enim plures stipites ejusdem speciei creare potuisset, quorum posteri nunc terram implerent. Simul tamen etiam identitas speciei necessario defendenda est, cum ex eodem stipite diversae hominum species derivari non possint. Sat magna inter Adami posteros apparet *stirpium varietas,* quam tamen varietatem non obstare contendimus quominus Adamus et Eva omnium hominum protoparentes dicantur. Hujus varietatis ortus, ejusque stabilitas, explicatu sat difficiles sunt; nullum tamen factum certe stabilitum proferri potest, quod in nostra hypothesi non aliquam rationabilem explicationem admittat. Et hoc quidem, spectata argumentorum vi, quibus ipsa thesis probatur, plane sufficere facile patet.

162. **ADVERSARII.**—Hanc thesim olim impugnavit *Isaac de la Peyrère,* Calvinista, qui tamen postea ad fidem conversus suam sententiam mutavit, eamque ipse solidis argumentis refutavit (an. 1657). Posuerat ille hominem, qui in primo capite Geneseos (vv. 26, 27) secundum imaginem Dei creatus dicitur, diversum esse ab Adamo, cujus creatio in secundo capite (v. 7) refertur. Ab illo primo homine ante Adamum creato originem traxerunt gentiles; ab Adamo vero ortum habuerunt diversae Hebraeorum stirpes. Unde homines post Adamum in terra versantes, partim ex Adamo et Eva a Deo immediate conditis, partim vero ab aliis hominibus jam ante Adami creationem existentibus, originem duxerunt. Huic sententiae ea similis est, cui recentius (1873) patrocinatus est *J. Fabre d'Envieu,* in libro cui titulus, Les origines de la terra et de l'homme, d'après la Bible et d'après la science. Hic contendit alios quidem homines ante Adamum exstitisse, eos tamen omnes jam ante Adami creationem exstinctos fuisse, sive in illa universali perturbatione quam *Restitutionistae* propugnant, sive aliqua alia causa nobis ignota. Quare omnes homines post Adamum in terra versantes ab Adamo stipite originem traxerunt.

Thesim etiam omnes illi impugnant, qui *Polygenistae* vocantur. Hi pro maxima parte contendunt diversas hominum stirpes specie inter se differre, ita ut earum ab uno stipite derivatio impossibilis dicenda sit. Hinc contendunt has diversas stirpes a diversis protoparentibus propagatas fuisse, sive isti protoparentes a Deo creati sive naturali evolutione producti dicantur. Hoc alterum utique omnes *Materialistae* affirmant. Inter Polygenistas eminent *Voltaire, J. Virey, Gerdy, Haeckel, Burmeister, Morton, Nott, Gliddon, Pouchet.* Cf. *Morton,* "Crania Americana," *Nott* and *Gliddon,* "Types of Mankind," *Pouchet,* "Plurality of the Human Race," *Winchell,* "Pre-Adamites." Hic ultimus, *A. Winchell* (Pre-Adamites, Chicago, 1890), fere rediit ad sententiam olim a *de la Peyrère* propositam atque retractatam.

163. **NOTA.**—Quatenus haec thesis opponitur variis *Coadamitarum* fautoribus, sive hominis creationem admittant sive ejus evolutionem propugnent, doctrina in ea contenta *de fide tenenda est;* tum ex Sacris Litteris (cf. Gen. 3, 20; Act. 17, 26), tum ex jugi Ecclesiae magisterio (cf. Conc. Trid. sess. 5, can. 1, 2, 3, 4; DB. 788–791). Quatenus vero solum *Praeadamitarum* fautoribus opponitur, qui scilicet affirmant Praeadamitas jam ante Adami creationem omnes exstinctos fuisse, thesis proponit *certam* et *communem sententiam.* Ad Coadamitas quod spectat, hic canon in *Concilio Vaticano* jam praeparatus erat, licet propter concilii prorogationem ad definitionem non perventum fuerit: "Si quis universum genus humanum ab uno protoparente Adam ortum esse negaverit, A. S."

164. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex **Sacra Scriptura**.—Juxta Sacram Scripturam, a) illi homines qui in capite primo Geneseos (vv. 26, 27) dicuntur secundum imaginem Dei creati, *iidem sunt cum Adamo et Eva* quorum creatio in capite secundo (vv. 7, 21, 22) narratur; b) ante Adamum et Evam *nulli fuerunt homines in terra;* c) Adamus dicitur *pater orbis terrarum,* et Eva *mater cunctorum viventium;* d) Ab Adamo *Noe ortum duxit,* et ex *filiis Noe* divisae sunt gentes in terra post diluvium; e) per *Adamum* venit peccatum in mundum, et *hoc peccato omnes homines peccatores* constituti sunt; f) in *Adamo omnes mortui sunt,* et in *Christo omnes resurgent;* g) ex *uno Adamo* Deus fecit *omne genus hominum* inhabitare super universam faciem terrae: **Atqui** haec necessario indicant totum genus humanum ab uno stipite, Adamo, originem traxisse: **Ergo.**

Minor probatione non indiget, dummodo quis ipsos terminos in majore positos mature considerare velit.—*Major* secundum divisiones in ea indicatas hisc textibus probatur.

a) Imprimis enim *Gen. 2, 4:* "Istae sunt generationes caeli et terrae, quando creata sunt, die quo fecit Dominus Deus caelum et terram," Moyses manifeste redit ad ea quae capite primo narraverat, quaedam magis enucleate exponens quae in prima hebdomada facta sunt. Dein vero *capite quinto* (*vv. 1, 2*) dicit: "Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum: masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis;" quibus verbis evidentissime illum hominem exhibet, de quo sermo est in primo capite (vv. 26–28), et simul aperte dicit eum esse illum Adamum cujus productio in secundo capite (v. 7) narratur, cujusque simul et Evae filios, Cain, Abel, Seth, in secundo, tertio et quarto capite commemorat.

b) *Ante Adamum* "homo non erat qui operaretur terram" (Gen. 2, 5), et *post ejus creationem* "Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus" (Gen.2, 20).

c) Unde Adamus dicitur *pater orbis terrarum;* nam de Sapientia legitur: "Haec illum qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit" (Sap. 10, 1); Eva autem *mater cunctorum viventium,* id est hominum: "Et vocavit Adam nomen uxoris suae, Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium" (Gen. 3, 20).

d) *Ab Adamo ortum duxit Noe,* ut constat ex Gen. 5, 1–30, ubi tota series generationum ab Adamo usque ad Noe contexta habetur; *ex filiis vero Noe gentes divisae sunt in terra,* quia Gen. 10, 32 legitur: "Hae familiae Noe juxta populos et nationes suas. Ab his divisae sunt gentes in terra post diluvium."

e) *Per Adamum venit peccatum in mundum,* et *hoc peccato omnes homines peccatores constituti sunt;* dicit enim Apostolus: "Propterea sicut per unum hominem (Adamum, ut ex contextu patet) peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt" (Rom. 5, 12).

f) *In Adamo omnes mortui sunt, et in Christo omnes resurgent;* idem enim Apostolus ait: "Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur" (I Cor. 15, 21, 22).

g) *Ex uno Adamo Deus fecit totum genus hominum habitare super universam faciem terrae;* nam in Actibus Apostolorum legitur: "Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, . . . Deus qui fecit mundum et omnia quae in eo sunt, . . . Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae" (Act. 17, 22–27); hoc autem "uno" significari Adamum, ex textu sub praecedente littera allegato satis patet. Quare etiam ex solo hoc textu nostrum argumentum confici posset.

165.—ARGUMENTUM ALTERUM: ex doctrina SS. Patrum.— Cum nemo sit qui neget omnes SS. Patres in nostram doctrinam consensisse, hos paucos dumtaxat speciminis causa allegasse sufficiat.

a) *S. Ambrosius:* "Nec illud otiosum, quod non de eadem terra de qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adae costa facta sit mulier; ut sciremus unam in viro et muliere corporis esse naturam, unum fontem generis humani. Ideo non duo a principio facti vir et mulier, neque duo viri, neque duae mulieres; sed primum vir, deinde ex eo mulier. Unam enim naturam volens hominum constituere Deus, ab uno principio creaturae hujus incipiens multarum et disparium naturarum eripuit facultatem" (De Parad. n. 48; ML. 14, 298).

b) *S. Augustinus:* "Quoniam unusquisque homo humani generis pars est, et sociale quiddam est humana natura, magnumque habet et naturale bonum, vim quoque amicitiae; ob hoc ex uno Deus voluit omnes homines condere, ut in sua societate, non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur" (De Bono Conjug. c. 1, n. 2; ML. 40, 373). Item: "In ipso exordio Adam et Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Judaeorum" (In Jo. tr. 9, n. 10; ML. 35, 1463).

c) *Theodoretus:* "Ne quis autem opinetur alio pacto Graecos nasci, alio Romanos, et alio Aegyptios Persasque et Massagetas, et Scythas, et Sauromatas aliam sortitos esse substantiam; docuit qui mundi originem nostram conscripsit, cum unum de terra virum Creator formasset, deque ejus latere mulierem formasset, horum ex copula

conjugali universum orbem terrarum implevisse, natis inde filiis ac nepotibus genus humanum propagantibus'' (De Graec. Affect. Curat, serm. 5; MG. 83, 944).

166. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex ratione theologica.— Fide tenendum est *omnes homines*, Beata Virgine ejusque Filio exceptis, *nasci infectos culpa originali*, quam *generatione ex Adamo contrahunt:* **Atqui** haec doctrina communem omnium originem ex Adamo supponit: **Ergo.**

Major infra in alia thesi probabitur.—*Minor* satis patet, cum hereditarium peccatum necessario vinculum cognationis supponit. Unde *Concilium Tridentinum* ait: ''Nam, sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant'' (Sess. 6, c. 3; DB. 795).

167. Ex sola ratione haec thesis utique probari nequit; potest tamen ostendi omnium hominum specifica unitas, ita ut penitus evertatur argumentum quod quidam moderni ex stirpium diversitate contra unitatem originis proferre conantur. Ea enim inter omnes omnino homines habetur corporis mentisque similitudo, ea quoque inter diversas stirpes indefinita fecunditas, quae simul stare non potest nisi cum omnium specifica unitate. Ceterum hisce diebus omnes fere primi nominis scientistae specificam diversarum stirpium unitatem ultro admittunt. Ad alia vero argumenta, quae sive ex principiis rationis sive ex factis historicis contra nostram thesim proferri solent, infra in solutione difficultatum respondebitur.

168.—**Scholion**: **De antiquitate generis humani.**

Quaestio de antiquitate generis humani hucusque soluta non est, et probabiliter hisce in terris nunquam solvetur. Solvi enim deberet vel ex Sacra Scriptura, vel ex Palaeontologia, vel ex historicis populorum monumentis. Jam vero apud fere omnes in confesso est Sacram Scripturam hujusmodi solutionem non suppeditare; licet enim in Sacris Litteris series generationum ab Adam usque ad Noe et a Noe usque ad Abraham exhibeantur, istae tamen series manifeste continuae ideoque completae non sunt. Unde factum est ut secundum diversos textus diversae quoque annorum computationes inventae sint. Ita secundum textum Samaritanum ab Adamo usque ad Christum numerantur 4429 annorum; secundum textum Hebraicum, 4128; secundum textum LXX virorum 5608. Igitur ab Adamo usque ad praesens tempus respective, 6351, 6050, 7530 annorum. Neque tamen inter hos numeros vera humani generis duratio contineri videtur, cum ex factis historice sat certis probabiliter saltem 8,000 vel etiam 10,000 annorum admittendae sint. Cf. *Beraza,* op. cit. n. 1064.

Ad Palaeontologiam quod spectat, sedulo distinguendum est inter facta scientifice stabilita et illationes inde per fas et nefas deductas. Ipsa facta scientifice certa indicare videntur humanum genus fere 10,000 annorum in terris exstitisse; nam "cum apud Aegyptios et Babylonios jam c. 4000 ante Christum 'cultus atque humanitas' floruerit (Zschokke 358, Schoepfer 578, Schanz I, 755), terram c. 5,000 ante Christum diluvio inundatam, et primum hominem c. 7,000 ante Christum creatum esse censemus" (*Hetzenauer*, Comment. in libr. Genesis, p. 181). Ex his tamen aliisque quibusdam factis sat certis, nonnulli evolutionis fautores inferre haud dubitant antiquitatem generis humani ad 100,000 annorum vel etiam ultra extendendam esse; quae utique illatio pure arbitraria est. Cf. *Guibert,* In The Beginning, c. 6, pp. 254–299; Catholic Encyclopedia, vol. XV., pp. 706 sq.

Denique ad historica populorum monumenta quod attinet, res valde incerta est; inscriptiones enim, ad quas hac in re fere unice recurrendum est, sicut etiam orales populorum traditiones, chronologiam plerumque aperte fabulosam exhibent; vel quatenus veritate historica nixae videntur, antiquitatem generis humani vix ultra terminum supra assignatum extendunt (cf. *Wieger,* Textes Historiques, t. 10, pp. 15 sqq). Itaque solutio hujus quaestionis ex omni parte incerta manet; attamen "certi sunt denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum."

169.—SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° In Sacra Scriptura Cain, filius Adae, legitur; a) signari a Deo ne occidatur ab omni qui invenerit eum; b) uxorem ducere; c) civitatem aedificare (cf. Gen. 4, 14–17): *Atqui* haec supponunt praeter Adamum ejusque familiam jam alios fuisse homines in terris: *Ergo.*

Resp. Concedo majorem, et nego minorem. Nam Adamus, qui brevi post occisionem Abel, centesimum trigesimum annum agens, genuit Seth, potuit jam multos alios filios atque nepotes habere; hoc autem dato, omnia puncta in objectione proposita facile explicantur. Ad rem *S. Augustinus*: "Numquid quia eosdem filios et filias non nominat (Scriptura) ideo intelligere non debemus per tam multos annos, quibus tunc in saeculi hujus prima aetate vivebant, nasci potuisse plurimos homines, quorum coetibus condi possent etiam plurimae civitates?" (De Civ. Dei, l. 15, c. 8; ML. 41, 446).

2° Si omnes homines ab uno Adamo propagati sint, dicendum est fratres quosque suas sorores in matrimonium duxisse: *Atqui* hujusmodi incestus legi naturae repugnat: *Ergo.*

Resp. Concedo majorem, et distinguo minorem: Ista conjunctio matrimonialis repugnat primariis legis naturae principiis, *N.* Secun-

dariis, *subd.* Quae tamen repugnantia sub datis adjunctis per Dei voluntatem removeri potest, *C.* Quae semper et necessario viget, *N.* De hac difficultate *S. Augustinus* ait: "Cum igitur genus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere, et conjugis ejus ex viri latere, marium feminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur; nec essent alii homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent; viri sorores suas conjuges acceperunt. Quod profecto quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente" (De Civ. Dei, l. 15, c. 16; ML. 41, 457).

3° In epistola ad Romanos (5, 13) legitur: "Usque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset:" *Atqui* ista lex Adamo data est: *Ergo* jam ante Adamum erant homines in terra.

Resp. Concedo majorem, et nego minorem. Nam per istam legem intelligenda est lex Mosaica, cum textui allegato statim addatur: "Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae."

4° Unitas originis unitatem linguae primitivae involvit: *Atqui* non omnes linguae, quibus homines nunc utuntur, ab una primitiva derivatae sunt: *Ergo.*

Resp. Concedo majorem, et distinguo minorem: Et hoc jam satis ex eo explicari potest quod causa praeternaturalis in linguarum evolutione intervenerit (cf. Gen. 11, 7-9), *C.* Et hoc non potest dicta ratione explicari, *N.* Ceterum ad hanc difficultatem bene animadvertit *cl. Pesch*: "*Diversitates linguarum* quod attinet, hucusque non potuit quidem positive probari omnes linguas ex una communi radice prodiisse, sed quo majores notitia comparativa linguarum progressus facit, ad eo minorem numerum diversitates linguarum reducuntur. Itaque in hac quoque re non solum nullum positivum argumentum contra unitatem allatum est, sed etiam plurima sunt, quae huic unitati faveant. Praeterea non raro, ubi maxima apparet physiologica varietas, linguae hominum sunt intime cognatae, et e contra, ubi homines secundum physicam constitutionem simillimi sunt, linguae valde differunt. Ergo diversitas linguarum nullo modo indicat diversitatem speciei" (Op. cit. n. 159).

5° Ipsa hominum multitudo, jam antiquitus valde magna, obstare videtur quominus omnes ab uno stipite derivati sint: *Ergo.*

Resp. Nego antecedens. Nam mathematica computatione facile ostenditur etiam ex una familia, naturali utique fecunditate supposita, post quingentos annos plus quam 2000 millionum hominum oriri posse; qui igitur sufficerent ad totum ferme orbem terrarum implendum.

6° Si ex uno tantum stipite, ideoque in uno determinato loco, totum genus humanum ortum habuisse dicatur, nullatenus intelligitur quomodo etiam in longissimis regionibus perantiqua hominum fossilia inveniantur: *Ergo.*

Resp. Nego antecedens, ejusque suppositum. Nam imprimis diversae terrae regiones non adeo ab invicem distant, vel insuperabilibus obstaculis ab invicem separantur, ut etiam antiquissimis temporibus homines non sat facile ab una regione in alias transmigrare possent; quod quidem ipsi quoque periti hisce diebus ultro admittunt. Dein vero, quod dicta hominum fossilia spectat, supponuntur quidem a nonnullis esse perantiqua, sed haec suppositio adhuc probata non est.

SECTIO IV

De Supernaturali Hominis Elevatione

ARTICULUS I

De Genuino Naturalis et Supernaturalis Conceptu

ASSERTUM.—Naturale in genere est illud quod, posita creatione, est enti debitum; supernaturale in genere est illud quod, etiam supposita creatione, est enti prorsus indebitum.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 21, a. 1 ad 3; I. II. q. 111, a. 1 ad 2; III, q. 2, a. 1; *Quaest. Disputat. de Verbo Incarnato,* a. 1; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 29, a. 1, q. 1; Ripalda, *De Ente Supernaturali,* disp. 1, 14; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 31; Muncunill, *De Creatore,* nn. 206 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 163 sqq.; Hurter, *Theologiae Dogmaticae Compendium,* II, nn. 313; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 122 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 662 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2, s. 1.

170. Generalis definitio supra posita, et quidem quoad utrumque incisum, expositione potius quam probatione indiget; quapropter illud assertum non per modum theseos elaborandum sed per terminorum analysim stabiliendum videtur. Unde primo investigabimus quidnam in subjecta materia nomine *naturalis* veniat, dein vero quidnam nomine *supernaturalis* intelligendum sit. Alterum enim altero illustratur, et ita quidem ut ex notione naturalis in notionem supernaturalis quodammodo perducamur.

171. *Naturale,* utpote nomen a natura derivatum, illud generatim significat *quod ad aliquam naturam refertur,* et hac ratione nomen relativum est. Nomen vero naturae a *nascendo sumitur,* ideoque etymologice significat *originem* seu *nativitatem;* quare naturale etymologice idem audit ac *originale,* seu id quod cum origine entis connectitur. Jam vero cum origine alicujus entis aliquid connecti potest vel mere *historice* vel insuper *ontologice.* Quod priori sensu naturale est, seu quod mere *historice* cum origine hominis connectitur, ad praesentem quaestionem non pertinet; quia naturale hoc modo acceptum non opponitur supernaturali, cum etiam supernaturalia dona a nativitate haberi possint. Restringitur ergo nostra inquisitio ad illud quod *ontologice* naturale dici solet.

172. Ontologice naturale accipitur sensu *lato* et *presso*, seu *improprie* et *proprie*. Sensu *lato* ontologice naturale vocatur *omne donum Dei quod naturam creatam aliqua ratione perficit*, ideoque hoc sensu naturale includit omnia quoque dona supernaturalia, quippe quae singula naturam creatam perficere nata sunt. Hoc iterum ad praesentem quaestionem non pertinet, quia nunc toti in eo sumus ut inter naturale et supernaturale distinguamus; et ideo de eo solo quaerimus, quod *presso sensu ontologice naturale vocatur*.

173. Hoc autem presso sensu ontologice naturale simpliciter *naturale* dicitur, estque *omne id quod entis creati capacitati aut exigentiae, et quidem juxta ipsius naturae institutum, commensuratur;* seu est *omne id quod enti creato ratione ipsius naturae ejusve operationis debitum est*. Hoc autem debitum *triplici* sensu accipitur, prout aliquid debitum est a) *constitutive*, sicut partes essentiae; b) *consecutive*, sicut proprietates ad essentiam consequentes; c) *exigitive*, sicut omnia ista quae requiruntur ne ipsa essentia ejusque vires frustra sint. Inter haec ultima numerantur speciatim finis enti ex propria natura proportionatus, media apta ad hunc finem consequendum, integritas organorum, objecta facultatum, adjuncta sub quibus facultates debito modo circa propria objecta versari possunt, et generalis concursus Dei.

174. Ad illud primum membrum supra positae divisionis quod attinet, facile patet illud posse in subjecta materia seponi; quia in nostra inquisitione praesupponimus creationem, ideoque rerum essentiam seu omne id quod est *constitutive* debitum. Quare naturale magis proprie dicitur id quod est *a natura distinctum*, quodque vel *consecutive* vel *exigitive* debitum est. In concreto autem "sic naturalis est finis, ejusque assecutio, cum natura rite operatur. Naturalis est integritas organorum, ut vires se exercere possint; naturalis est Dei concursus, sine quo actio est impossibilis; naturalis est operatio aliarum causarum, quae necessariae sunt ut vires agere possint. Naturalia sunt objecta facultatum, eorumque assecutio; naturales, cum activitas exercetur, sunt termini activitatis, illud nempe est naturale quod fieri potest per vires proprias; naturalia sunt ea subjecta, in quae vires suas natura exercere potest et debet. Naturalis est coexistentia et societas cum aliis ejusdem perfectionis sive specificae sive genericae vel inferioris perfectionis, sine quibus vires quaedam, vel gradus quidam virium explicari non possent. Tandem naturalis est coexistentia cum entibus superioribus, et generatim naturale est subjici aliis causis et ab iis id recipere, cujus propria passivitas est capax, et quod ipsae causae secundum vires proprias efficere possunt, ut corporibus naturale est ab Angelis moveri. Hinc patet naturale latius patere quam essentiale" (*Palmieri*, op. cit. thes. 31, n. 5).

175. Modo dicta primarie quidem ad *singulas naturas* referuntur, ita ut naturale sit quidquid ad alicujus naturae potentiam activam et passivam revocari possit; simul tamen etiam extendi possunt ad *naturam universam,* quippe quae singulis naturis simul sumptis integratur. Hac autem extensione facta, habetur *ordo naturalis.* Ordo igitur naturalis comprehendit omnia entia creata, simulque fines hisce entibus praestitutos, media necessaria ad hos fines assequendos, entium conservationem ex parte Dei, divinum quoque concursum ad naturaliter agendum, necnon Dei providentiam qua haec entia omnia et singula ad finem unicuique debitum perducantur. Hinc quidquid huic ordini, sive ex parte *singulorum entium sive* ex parte *universitatis rerum,* aut *consecutive* aut *exigitive* debitum est, id omne et solum *proprio* sensu naturale est.

176. Supernaturale e contra est omne id quod vel *aliquam particularem naturam* vel *totum ordinem naturalem* excedit, et ideo "opponitur naturali non quidem contradictorie sed per excessum oppositione contraria." Hinc non est aliquid debitum illi cui inest vel confertur, sed est respectu ejus *donum omnino gratuitum.* Ad hujusmodi donum *nulla prorsus exigentia* in natura sibi relicta habetur, neque *potentia activa* ad illud acquirendum, neque demum *potentia passiva respectu agentis finiti;* habetur tamen in natura *potentia passiva respectu Dei,* quippe qui naturam a se conditam sibique perfecte subjectam supra naturalem ejus exigentiam atque capacitatem perficere valet. Haec potentia passiva vocari solet *potentia obedientialis,* quam utique solus Deus actuare valet. In quonam praecise haec potentia obedientialis consistat, et quotuplex sit, infra accuratius exponetur.

177. Supernaturale *tripliciter* dividi solet, nimirum in illud quod est *simpliciter* supernaturale, in illud quod est supernaturale *secundum quid,* et in illud quod est supernaturale *quoad modum.* Simpliciter supernaturale etiam *entitative* supernaturale dicitur, et est illud quod *ipsamet sua entitate* totum ordinem naturalem excedit, prout iste ordo supra (n. 175) expositus est. Hujusmodi donum in *termino* est *visio Dei intuitiva,* in *via* autem est *gratia sanctificans* qua ens rationale ad illam visionem ut ad finem suum supernaturalem ordinatur. Hac gratia sanctificante ens rationale ad *ipsum ordinem supernaturalem elevatur atque in eo constituitur,* et ita elevatum atque auxiliis gratiae actualis eidem ordini proportionatis adjutum, ad supra dictum finem entitative supernaturalem, propria operatione assequendum, gratuita Dei largitate paratum existit. *Totus* igitur *hic ordo,* complectens scilicet ipsum finem, principium elevans naturam creatam, media positive ad finem conducentia, assecutionem finis per operationem naturae elevatae, et specialem denique Dei concursum, *simpliciter* supernaturalis est.

178. Supernaturale vero *secundum quid* illud dicitur, quod quidem non excedit *totum ordinem naturalem,* superat tamen *aliquam istius ordinis naturam particularem,* secundum specificam ejus capacitatem atque exigentiam. Hoc igitur alicui enti creato naturale est, non tamen illi cujus naturalem capacitatem et exigentiam excedit. Unde quia praeter hujusmodi entis naturam est, communiter *praeternaturale* vocatur. Ita v. g. immortalitas naturaliter convenit enti spirituali, quippe quod essentialiter simplex est; excedit tamen naturam entis essentialiter compositi, cum omne ens compositum natum sit ut tandem in sua componentia dissolvatur. Quare si Deus tali enti immortalitatem conferat, ista immortalitas est donum praeternaturale.

179. Denique supernaturale *quoad modum* in se est donum *naturale,* non solum in quantum totus ordo naturalis consideratur, verum etiam respectu *ipsius entis cui confertur.* Hujusmodi supernaturale esset v. g. facultas visiva per miraculum homini ea a nativitate carenti restituta. Ipsa facultas in se spectata homini naturalis est, modus tamen quo hic et nunc confertur est supernaturalis; miraculum enim homini indebitum est, utpote ejus naturalem exigentiam excedens. In omni igitur supernaturali habetur *aliquis excessus supra naturam entis creati;* et quidem in simpliciter supernaturali excessus quoad *substantiam rei supra totum ordinem naturalem,* in supernaturali secundum quid excessus quoad *substantiam rei supra ordinem naturalem alicujus determinatae speciei,* in supernaturali quoad modum excessus non quoad substantiam rei sed quoad *modum effectionis qui alicui specificae naturae naturalis est.* Unde duo priora dicuntur respective supernaturale et praeternaturale quoad substantiam; ultimum vero semper supernaturale quoad modum.

180. Cum supernaturalis notione necessario connexa est notio *potentiae obedientialis,* ut jam superius (n. 176) indicatum est. Recipit enim creatura illud ad quod nullam naturalem capacitatem habet, praecise in quantum omnimode subjacet et perfecte obedire nata est omnipotenti Dei voluntati in eam agenti. Hac de re ait *S. Thomas*: "In qualibet creatura consideratur duplex potentia passiva: una quidem per comparationem ad agens naturale; alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu in quem reducitur per agens naturale, et haec consuevit vocari potentia obedientiae in creatura" (Sum. Theol. III, q. 11, a. 1). Eam ita definit *Ripalda*: "Aptitudo rerum creatarum ut pro arbitrio agentis superioris nempe Dei ejusque auxilio indebito ipsis munus impleant, quod nativa virtute et concursu sibi debito non possent. Haec potentia omnibus inest creaturis" (De Ente Supernaturali, disp. 24). *Entitative* haec potentia *naturalis* est, quia in se

identificatur cum ipsa natura limitata et a Deo dependente; *terminative* vero *supernaturalis* sit necesse est, quia a solo Deo et quidem in ordine ipsa natura superiore actuari valet.

181. Quibus igitur de genuino naturalis et supernaturalis conceptu expositis, modo breviter notare juvat quorundam sententias hac in re longe a veritate aberrantium. Et imprimis quidem plurimi moderni *Rationalismo* infecti, etsi nomen plerumque retinent, ipsam rem tamen omnino destruunt. Alii enim per supernaturale intelligunt quidquid est *supersensibile* vel immateriale; alii supernaturale vocant quidquid *a Deo producitur;* alii denique naturale cum *finito* et supernaturale cum *infinito* confundunt. Sunt etiam quibus supernaturale idem est ac bonum *morale* et *liberum,* naturale vero solum id quod ex naturae determinatione procedit. Hi omnes, ut ex supra dictis satis patet, ipsum naturalis et supernaturalis conceptum prorsus pervertunt.

182. Aeque fere perverse, licet ob aliam rationem, de supernaturali locuti sunt *Lutherus* ejusque sequaces; hi enim omnia Dei dona, etsi *objective* supernaturalia, *subjective* tamen naturalia esse dicebant. Ita v. g. ipse *Lutherus,* de originali justitia disserens, ait: "Quare statuamus justitiam non esse quoddam donum quod ab extra accederet separatumque a natura hominis, sed fuisse vere naturalem, ut natura Adae esset diligere Deum, credere Deo, cognoscere Deum" (In cap. 3 Genesis; cf. *Moehler,* Symbolism, p. 30). Dicuntur haec dona naturalia, quia ita Deus ipsam hominis naturam constituit, ut absque eis nec bene esse nec quicquam boni facere possit. Hanc autem Lutheri aliorumque Novatorum doctrinam moderni quoque Protestantes, qui aliqualem adhuc supernaturalis conceptum retinent, fere communiter propugnant (cf. Realencyklopaedie, 6, 549 sqq.).

183. Huc etiam spectat perversa doctrina *Michaelis Baii,* qui quidem supernaturalia dona admittit, eorum tamen supernaturalitatem seu gratuitam collationem ex *positiva naturae lapsae indignitate* repetit. Juxta eum, ut etiam explicite docet, ipse finis supernaturalis, gratia sanctificans, et auxilia gratiae actualis, naturae *innocenti* ex sua institutione debita erant, ideoque simpliciter *naturalia* dicenda sunt. Etenim: "Cum itaque constet justitiam, de qua disserimus, sic primo homini in sua creatione fuisse collatam, ut in illo esset, et in omnes ejus posteros generatione transiret cum ceteris animae ejus corporisque dotibus, eo modo quo peccatum originis cum suis effectibus transit in omnes Adae posteros, ob quod natura filii irae dicimur; mirum est quomodo quisquam dubitare queat an sit homini naturale quod tam evidenti ratione probatur ad primam ejus nativitatem debere pertinere" (De Prima Hominis Justitia, c. 6).

Post vero Adae peccatum commissum, eadem dona naturae peccatrici *supernaturalia* evaserunt, propter positivam videlicet istius naturae indignitatem ex peccato sequentem. Hoc ipse ita exponit: "Eo modo quo sanitas corporis gratia est, cum neque viribus naturae, neque opera medici reparari potest, sed sola Creatoris beneficentia redditur; non quod res sit supernaturalis, aut naturali hominis integritati superaddita, sicut prophetia, gratia sanitatum, et alia multa, quibus sine malo caremus, sed quod ipse efficiendi modus atque ratio secundum nativam operandi consuetudinem in rebus creatis non inveniatur, sed ex superiore quodam et insolito atque occulto divinae sapientiae consilio proveniat" (Ibid. c. 10).

184. Huic Baianae doctrinae addictissimus fuit *Cornelius Jansenius,* eam tamen aliis quodammodo terminis exposuit; dicit enim supernaturalitatem donorum inde repetendam esse, quod non sint debita naturae operibus, licet *ipsi naturae* debita sint. "Considerandum est, inquit, gratiae propriissime dictae solummodo, secundum doctrinam Scripturarum et Augustini, repugnare opus creaturae, cui illa debetur. Hoc est enim quod Apostolica doctrina tradit. 'Si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.' Qua de causa sexcentis locis Augustinus sola opera velut gratiae destructiva submovet e gratuita vocatione et justificatione peccatoris: 'Si autem gratia, utique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata'" (De Statu Naturae Purae, l. 1, c. 20). Unde etiam animam, corpus, facultates, aliaque dona pure naturalia gratias vocat; quia licet ipsi naturae debita, tamen naturae operibus debita non sunt.

185. Corollarium: De variis statibus humanae naturae relate ad gratiam.

Ex modo dictis satis patet varios assignari posse status, in quibus homo a Deo creatus poni potuisset. Status in subjecta materia significat *permanentem quamdam hominis conditionem,* tum respectu *perfectionum* quibus donatus est, tum etiam respectu *finis* necnon *mediorum* ad hunc finem assequendum. Hujusmodi autem status theologi satis communiter *quinque* distinguunt, nimirum a) Statum *Naturae Purae,* b) Statum *Naturae Integrae,* c) Statum *Naturae Innocentis,* d) Statum *Naturae Lapsae et Reparatae,* e) Statum *Naturae Lapsae non Reparatae;* quibus nonnulli addunt Statum *Naturae Elevatae sed non Integrae.* Hos autem status ita breviter explicare licet.

a) Status *Naturae Purae* consistit in possessione cujuslibet boni humanae naturae debiti, et in absentia omnis boni indebiti. In hoc igitur statu homo haberet finem naturalem, media naturalia ad hunc assequendum, et legem naturalem ab ipso servandam; simul tamen

subditus esset ignorantiae, concupiscentiae, infirmitatibus et morti, nec ullum haberet jus strictum ad auxilium ex se efficax et ad perseverantiam finalem. Hic status de facto nunquam exstitit, ideoque mere possibilis est; attamen juxta Pelagianos nostri protoparentes in hujusmodi fere statu constituti erant.

b) Status *Naturae Integrae* includit quidquid positivum est in statu naturae purae, et insuper immunitatem a concupiscentia, ab ignorantia, infirmitatibus et morte. Quare hic status esset in se naturalis, ita tamen ut ei superaddita essent dona quaedam praeternaturalia, ad quae scilicet ex se nullum jus haberet. Neque hic status qua talis unquam exstitit; exstiterunt tamen ista dona praeternaturalia in statu naturae innocentis, de quo mox dicendum erit.

c) Status *Naturae Innocentis,* qui etiam Status Originalis Justitiae dicitur, iterum includit quidquid positivum est in statu naturae purae, sed insuper complectitur integritatem naturae, seu illa dona praeternaturalia de quibus in praecedente paragrapho, necnon destinationem ad finem supernaturalem, gratiam sanctificantem tamquam principium elevans humanam naturam ad ordinem divinum, virtutes infusas, gratias actuales, specialem Dei concursum, aliaque hujusmodi cum supernaturalis finis assecutione connexa. Hic status existebat a protoparentum creatione usque ad Adae lapsum in peccatum. Dicitur autem Status Naturae Innocentis, quia simul cum peccato subsistere non poterat; et vocatur Status Justitiae Originalis, quia ab ipsa sua origine homo justus constitutus est.

d) Status *Naturae Lapsae et Reparatae* ille status est in quo nos nunc versamur; hic igitur in eo consistit quod homo quidem remanet destinatus ad finem supernaturalem, nihilominus propter Adae lapsum in peccatum ipse ex sua nativitate peccator est et per se incapax existit illum finem attingendi, quam ob causam hic status dicitur Naturae Lapsae; quia vero homo per Adamum in peccatum lapsus per Christum respectu gratiae ad supernaturalem finem necessariae reparatus est, inde hic status simul etiam Naturae Reparatae vocatur. Differt tamen a Statu Naturae Innocentis in eo, quod dona praeternaturalia homini in hac vita non fuerint restituta.

e) Status *Naturae Lapsae non Reparatae* in omnibus cum statu modo exposito conveniret, ipsa tamen naturae reparatione exclusa. Unde in hoc statu homo utique destinatus maneret in finem supernaturalem, sed nulla media haberet ad hunc finem consequendum. Etsi igitur nullum grave peccatum personale committeret, tamen ad Deum in caelo fruendum pervenire non posset; si vero committeret hujusmodi peccatum, eo ipso in aeternum damnatus esset. Hic status de facto nunquam exstitit, quia Deus statim post Adae lapsum Redemptorem promisit, et ita quidem ut per ejus merita praevisa exinde omnes

homines salvi fieri possent. Alius denique status quem quidam theologi insuper distinguunt, et qui utique possibilis esset, in eo consisteret quod homo ad supernaturalem finem destinaretur, mediisque aptis instrueretur ad hunc finem consequendum, absque tamen privilegiis naturae integrae supra descriptis. Cf. *Suarez,* De Gratia, prolegomenon 4, de statibus naturae humanae; *Mazzella,* De Deo Creante, nn. 652 sqq.

ARTICULUS II

De Gratia Protoparentibus Collata

THESIS XV.—Protoparentes per infusionem gratiae sanctificantis in sanctitate et justitia constituti fuerunt.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 95, a. 1; *In II Sent.* d. 29, q. 1. a. 2; *Quodl.* 1, a. 8; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 29, a. 2, qq. 1, 2; Suarez, *De Opere Sex Dierum,* l. 3, c. 17; Bellarminus, *De Gratia Primi Hominis,* cc. 3, 5-7; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 48; Hurter, *Compendium,* II, nn. 326 sqq.; Pesch, Praelect. III, nn. 169 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 694 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 173 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 194 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2, s. 2, a. 2.

186. **STATUS QUAESTIONIS.**—Iis omnibus absolutis quae ad hominis productionem ejusque naturalem constitutionem spectant, praelibatis quoque nonnullis de genuino naturalis et supernaturalis conceptu, jam nunc quaerendum est in *quonam statu homo positus fuerit a Creatore suo.* Potuit enim Deus hominem in statu naturae suae debito relinquere, vel potuit eum ad superiorem statum elevare, qui omni prorsus creaturae indebitus esset. Quid igitur hac in re Deus fecerit, in praesenti thesi determinamus.

187. **TERMINORUM EXPOSITIO.** — a) Per gratiam in *genere* intelligitur quodlibet *donum indebitum;* hujusmodi autem donum *late* sumptum potest esse vel *naturale* vel *supernaturale,* prout in ambitu naturae continetur vel eum excedit. Naturale donum dici potest gratia *duplici* sensu: *Primo* quidem, in quantum ipsa rerum constitutio a Deo libere facta est, et hoc sensu quidquid existit est Dei gratia, scilicet donum ex parte Dei indebitum. *Altero* vero sensu donum naturale dici potest gratia, in quantum, ipsa rerum constitutione praesupposita, alicui naturae altior perfectionum naturalium gradus confertur quam ipsa per se exigit. Ita homo in ordine naturali indiget intellectu, potest autem Deus ei conferre intellectum vel minus vel magis perfectum; iste igitur *excessus* perfectioris intellectus supra intellectum minus perfectum gratia dici potest, ordinis utique naturalis. Attamen haec gratiae acceptatio *impropria* est, et in subjecta materia non consideratur nisi relate ad quasdam difficultates infra solvendas.

b) Gratia autem *stricto* sensu, ut illud nomen in hac thesi sumitur, est donum Dei supernaturale, juxta hujus termini definitionem jam superius (nn. 176 sqq.) datam. Porro donum supernaturale referri potest vel ad *actus salutares ponendos,* et dicitur gratia *actualis;* vel ad *facultates supernaturaliter operativas,* quo casu vocatur *virtus infusa;* vel denique ad *intrinsecum ipsius animae statum,* respectu cujus tunc nominatur gratia *sanctificans* vel etiam *habitualis.* De sola hac ultima gratia, scilicet sanctificante, est quaestio in thesi.

c) Infusio gratiae sanctificantis simultanea est cum ejus productione in anima suscipientis, et revera in ipsa hac productione consistit, Est enim gratia sanctificans in se spectata, saltem juxta communiorem theologorum sententiam, *accidens physicum absolutum,* quod nonnisi in proprio suo subjecto eique inhaerendo existit. Secundum alios haec gratia, licet sit accidens aliquod, a Deo creatur; secundum alios vero ex obedientiali animae potentia a Deo educitur; sed haec videtur esse lis de verbis potius quam de re. Nam ex una parte, gratia sanctificans fit cum dependentia ab anima quam informat, et sic ejus fieri ad eductionem revocari potest; ex altera tamen parte, nulla habetur in anima naturalis capacitas hanc gratiam suscipiendi, et hanc ob causam ejus productio latiore sensu creatio dici solet.

d) Hujus autem gratiae cum anima *unione,* ipsa anima evehitur ad ordinem propria sua natura *essentialiter* superiorem, et quidem *analogice* divinum; ita ut homo per eam constituatur *sanctus* seu *ontologice Deo dicatus,* filius Dei adoptivus, heres beatitudinis supernaturalis. Hac ratione dicitur in thesi protoparentes per infusionem gratiae sanctificantis in sanctitate et justitia fuisse constitutos; id enim hic per sanctitatem et justitiam intelligimus, quod homo sit habitualiter bene ordinatus relate ad Deum finem suum ultimum supernaturalem. Dicuntur autem protoparentes fuisse in sanctitate *constituti* potius quam *creati,* quia de ipso instanti infusionis gratiae inter theologos disputatur, ut in sequente thesi exponetur. Hic igitur unice contendimus Adamum et Evam ante eorum lapsum in peccatum habuisse gratiam sanctificantem, qualis ea nunc in Christo regeneratis confertur. Insuper sufficit ut hoc ostendatur respectu solius Adami, quippe qui caput totius generis humani existebat.

188. **ADVERSARII.**—Doctrinae in thesi propositae hoc sensu olim *Pelagiani* adversabantur, quod docerent justitiam originalem cum natura innocenti necessario cohaerere, vel cum ea identificari, ideoque hominem esse rectum et ordinatum ad regnum caelorum per ipsamet constitutiva sua naturalia. Hos fere secuti sunt *Lutherus* ejusque sequaces, ut jam supra (n. 182) ostensum est. Eis vero eatenus adnumerandi sunt *Baius* et *Jansenius* (cf. superius nn. 183, 184), quatenus dicunt originalem justitiam debitam fuisse naturae innocenti; in hoc

tamen ab eis differunt, quod admittunt eam esse donum divinum ab ipsis humanae naturae constitutivis distinctum.

Hanc thesim directe impugnaverunt *Aegidius Romanus, Petrus Paludanus, Eusebius Amort,* aliique nonnulli scholastici, juxta quos protoparentes non habuerunt gratiam sanctificantem ante peccatum (cf. *S. Thomas,* In II Sent. d. 29, q. 2). Thesim utique etiam negant omnes *Rationalistae,* qui scilicet dona vere supernaturalia non admittunt.

189. NOTA.—Thesis praecise ut jacet *de fide tenenda est;* implicite enim definita est a *Concilio Tridentino,* quod de peccato originali agens statuit: "Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, . . . A. S." (Sess. 5, can. 1; DB. 788). Hanc autem sanctitatem et justitiam in Adamo ex infusione gratiae sanctificantis provenisse, sicut id modo etiam in nobis contingit, ex mente concilii satis patet (cf. ibid. can. 2-5; DB. 789-792). Videbis etiam *Concilium Arausicanum II* (can. 2; DB. 175).

Quatenus vero thesis implicite affirmat gratiam sanctificantem, ideoque originalem sanctitatem et justitiam, esse donum Dei stricto sensu supernaturale, ita ut nulli prorsus creaturae ex se debita sit, proponit *doctrinam Catholicam adeo certam ut opposita ad minimum falsa dicenda sit.* Hoc eruitur ex propositionibus *Baii, Paschasii Quesnellii* et *Synodi Pistoriensis* ab Ecclesia damnatis, quae omnes vel una vel alia ratione donum originalis justitiae naturae innocenti debitum fuisse affirmant (cf. DB. 1021, 1023, 1385, 1516). Hanc tamen supernaturalitatem in ipsa hac thesi non ex professo probamus; sed de ea infra in scholio, quae necessaria esse videntur, breviter proponemus.

190. ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.—Protoparentes in ea sanctitate et justitia constituti fuerunt, *quae nobis per Christum restitutae sunt:* **Atqui** juxta Sacram Scripturam nobis per Christum restitutae sunt sanctitas et justitia quae per infusionem gratiae sanctificantis habentur: **Ergo** protoparentes per infusionem gratiae sanctificantis in sanctitate et justitia constituti fuerunt.

Major imprimis ex ipsa notione *restitutionis* patet; illud enim quod restitui dicitur, jam antea habitum fuisse agnoscitur: non autem habebatur sanctitas et justitia a nobis, quia nos "eramus natura filii irae, sicut et ceteri" (Ephes. 2, 3); ergo a protoparentibus ante peccatum, quorum nos post illud peccatum commissum filii sumus. Unde Christus proprie dicitur *novus Adam* (I Cor. 15, 45), quia sicut primus Adam toti humano generi fuit causa perditionis, ita Christus eidem generi factus est causa restitutionis justitiae (Rom. 5, 18-21). Unde etiam ipse Deus dicitur voluisse "instaurare (recapitulare) omnia in

Christo" (Ephes. 1, 10). Haec autem recapitulatio in eo consistit, quod sicut Adam fuit primum caput generis humani, ita Christus novum "caput est ecclesiae, ipse salvator corporis ejus" (Ephes. 5, 23). Insuper homines per Christum dicuntur *renovari* (II Cor. 4, 16; Ephes. 4, 23), quod est reduci ad statum primae novitatis. Ex his igitur luce clarius est protoparentes eam sanctitatem et justitiam ante peccatum habuisse, quae nobis per Christum restitutae sunt.

Minor argumenti praecipue ex epistola ad Romanos constat. Nam "sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi (id est omnes, οἱ πολλοί), ita per unius obedientiam justi constituentur multi. . . . Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu. . . . Non enim accepistis spiritum servitutis in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. . . . Si autem filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi" (Rom, 5, 19; 8, 1, 15, 17). Ea autem justitia qua homines constituuntur filii Dei adoptivi et heredes regni caelestis, sicut et coheredes Christi, habetur per infusionem gratiae sanctificantis; quod quidem in tractatu de gratia probari solet, et ideo hic assumi potest. Similiter etiam S. Petrus docet per Christum maxima et pretiosa nobis promissa donata fuisse, "ut per haec, inquit, efficiamini divinae consortes naturae" (II Petr. 1, 4). Consortio autem divinae naturae, etsi mere analoga, absque dono stricte supernaturali cuilibet creaturae impossibilis est; hoc vero donum merito gratia sanctificans reputatur, cujus collatione hanc "charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus" (I Jo. 3, 1).

191. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex doctrina **SS. Patrum.**— SS. Patres a) satis communiter interpretantur Gen. 1, 26, 27; Ephes. 1, 22; Eccle. 7, 30 *de gratia sanctificante protoparentibus data;* b) aliquando directe asserunt *Adamum fuisse in gratia et sanctitate constitutum;* c) docent nos per Christum restitutos esse in *statum gratiae nobis per Adamum amissum:* **Atqui** haec nostram thesim manifeste evincunt: **Ergo.**

Minor quoad secundum et tertium punctum evidens est; ad primum vero punctum quod attinet, licet ipsi textus, quos Patres de gratia interpretantur, forte de naturali rectitudine intelligi possint, ex interpretatione tamen data mens SS. Patrum clare constat; quod quidem ad nostrum argumentum sufficit.—*Major* secundum puncta supra indicata hisce textibus probatur.

a) *SS. Patres interpretantur Gen. 1, 26, 27 de gratia sanctificante.* Ita *S. Gregorius Nyssenus*: "Hujus boni quod exsuperat omnem vim comprehendendi, nos homines olim participes eramus; ac tantum in natura nostra bonum illud, quod superat omnem cogitationem

et intellectum, ut alterum illud esse humanum bonum videretur exquisitissima et plenissima assimilatione atque imitatione ad imaginem primarii et originalis exemplaris formatum. . . . Quod ad imaginem caelestis factum erat, in terram reductum est; cui regnum destinatum erat, in terram redactum est" (De Beat. Orat. 3; MG. 44, 1226). "Revertamur igitur omnes ad illam divinam gratiam, in qua Deus ab initio creavit hominem dicens: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram" (De Opif. Hom. c. 30; MG. 44, 255).

Item *S. Basilius*: "Homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est, sed per peccatum anima ad vitiosas cupiditates impulsa deformavit imaginis pulchritudinem. . . . Revertamur igitur ad gratiam initio nobis concessam, ex qua excidimus per peccatum, . . . ut vitae divinae similitudinem adepti et perpetuo in aeterna illa beatitudine mansuri" (Serm. Ascet. n. 1; MG. 31, 870).

Et *Tertullianus*: "Restituitur homo (per baptismum) Deo ad similitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat. . . . Recipit enim illum Dei spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed postea amiserat per delictum." (De Bapt. 5; ML. 1, 1205).

Similiter *S. Leo Magnus*: "Si fideliter atque sapienter creationis nostrae intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem conditum, ut imitator sui esset auctoris; et hanc esse naturalem (id est, prima origine collatam) dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinae benignitatis forma resplendeat. Ad quam quotidie nos utique reparat gratia salvatoris, dum, quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo" (De Jejun. serm. 1, c. 1; ML. 54, 168).

b) *SS. Patres directe asserunt Adamum fuisse in gratia et sanctitate constitutum.* Ita *S. Irenaeus,* qui Adamum loquentem inducit: "Quoniam eam, quam habui a Spiritu Sancto, sanctitatis stolam amisi per inobedientiam, et nunc cognosco quod sum dignus tali tegumento (foliis ficus), quod delectationem quidem nullam praestat, mordet autem et pungit corpus" (Adv. Haer. l. 2, c. 23, n. 5; MG. 7, 963). Item *S. Cyrillus Alex.*: "Adam erat in paradiso servans donum, et insignia divina imagine creatoris per Spiritum Sanctum inhabitantem" (In Jo. l. 2, c. 1; MG. 73, 206). Et. *S. Cyprianus:* "Adam contra praeceptum caeleste cibi lethalis impatiens in mortem incidit, nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit" (De Bono Patientiae, c. 19; ML. 4, 634). Similiter *S. Joannes Damascenus*: "Hunc igitur hominem summus opifex masculum condidit, divinam ei gratiam suam impertiens seque per eam ipsi communicans" (De Fide Orthod. l. 2, c. 30; MG. 94, 975).

c) *SS. Patres docent nos per Christum restitutos esse in statum gratiae nobis per Adamum amissum.* Ita *S. Irenaeus*: "Qui infructuosi sunt justitia, si diligentiam percipiant et velut insertionem accipi-

entes Verbum Dei, in pristinam veniunt hominis naturam, eam, qua secundum imaginem et similitudinem factus est Dei'' (Adv. Haer. l. 5, c. 10, n. 1; MG. 7, 1148).

Item *S. Cyrillus Alex.*, qui in Gen. 2, 7 commentans ait: ''Simul ubi creatoris ineffabilibus nutibus posita est in existentia humana natura, etiam relatione ad Spiritum ornata est. Inspiravit enim in faciem ejus Spiritum vitae, quia, puto, non aliter splendorem sanctitatis et domesticitatis ad Deum habere homo potest, nisi participatione Spiritus Sancti ornetur. Quare cum Unigenitus homo factus esset et orbatam pristino et antiquo bono hominis naturam invenisset, iterum ei hoc restituere motus est, et ex propria plenitudine sicut ex fonte hausit et dixit: Accipite Spiritum Sanctum, corporali et sensibili insufflatione naturam Spiritus valde bene adumbrans'' (De Trin. Dial. c. 4; MG. 75, 907).

Et *S. Augustinus*: ''Quomodo ergo, inquiunt, renovari dicimur, si non hoc recipimus, quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur? Hoc plane recipimus secundum quendam modum, et non hoc recipimus secundum quendam modum. Non itaque immortalitatem spiritualis corporis recipimus, quam nondum habuit homo, sed recipimus justitiam, ex qua per peccatum relapsus est homo. . . . Renovamur igitur spiritu mentis nostrae (Ephes. 4, 23) secundum imaginem ejus qui creavit nos, quam peccando Adam perdidit'' (De Gen. ad litt. l. 6, c. 24, n. 35; ML. 34, 358). ''Hanc imaginem, in spiritu mentis impressam, perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam justitiae'' (Ibid. c. 27, n. 38; ML. 34, 355). Etiam *S. Hieronymus*: ''Signati sumus Spiritu Sancto, ut et spiritus noster et anima exprimantur signaculo Dei, et illam recipiamus imaginem et similitudinem ad quam in exordio conditi sumus'' (In Eph. 4, 30; ML. 26, 514).

192. **ARGUMENTUM TERTIUM: ex auctoritate ecclesiastica.** —Doctrinam a *Concilio Tridentino* statutam jam superius (n. 189) indicavimus; eadem autem doctrina ulterius illustratur ex damnatione propositionum quarundam *Baii et Quesnellii*, quae quidem directe non ipsum donum gratiae sed ejus supernaturalitatem negant. Ita *Baius*, prop. 21: ''Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est et non supernaturalis'' (DB. 1021); et prop. 24: ''A vanis et otiosis hominibus secundum insipientiam philosophorum excogitata est sententia, quae ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et in Dei filium adoptatus'' (DB. 1024). Item prop. 35 *Quesnellii*: ''Gratia Adami est sequela creationis, et

erat debita naturae sanae et integrae'' (DB. 1385). Haec deinde doctrina, denuo a *Synodo Pistoriensi* (prop. 16) proposita, damnata est a Pio VI ut ''falsa, alias damnata in Baio et Quesnellio, erronea, favens haeresi Pelagianae'' (DB. 1516).

Huc accedit declaratio *Concilii Coloniensis* (an. 1860), nimirum: ''Cum Concilio Tridentino docemus primum hominem in sanctitate et justitia fuisse constitutum. Qui status justitiae originalis erat supernaturalis minimeque debitus naturae humanae. . . . Dona autem supernaturalia sunt illa, quibus humana natura ad altiorem ordinem elevatur, i. e. perfectionem aliquam recipit, quae ejus vires proindeque id, quod exigere ipsa quodammodo potest, transcendit. . . . Supernaturalis proin dicenda est gratia illa sanctificans, qua homo adeo supra condicionem suam elevabatur, ut filius Dei esset per adoptionem, fieretque idoneus qui felicitatem illam consequeretur, quae, cum in Dei cognitione intuitiva consistat, omnem hominis facultatem naturalem transcendit'' (P. 1, tit. 4, c. 15; Coll. Lac. col. 215).

193. **Corollarium: De supernaturalitate gratiae protoparentibus collatae.**

Licet in thesi modo stabilita non ex professo probatum sit gratiam protoparentibus collatam esse stricte supernaturalem, tamen ex argumentis in probatione theseos allatis id manifeste sequitur. Imprimis enim tum ex Sacris Litteris tum etiam ex doctrina SS. Patrum dilucide apparet illam gratiam identicam esse cum gratia sanctificante quam Christus nobis promeruit; gratia autem sanctificans nobis a Christo promerita stricte supernaturalis est, cum per eam constituamur adoptivi filii Dei, heredes regni caelestis, coheredes Christi (Rom. 8, 15-17), necnon efficiamur consortes divinae naturae (II Petr. 1, 4). Item, quod tamen fusius in tractatu de gratia ostendetur, gratia sanctificans est intrinseca hominis ordinatio in via ad terminum, ita ut via et terminus sint in eodem ordine dignitatis; jam vero terminus est intuitiva et propria Dei cognitio homini per Deum communicata, quae omnis creaturae naturalem capacitatem et exigentiam longe excedit, ideoque stricte supernaturalis est.

Hanc gratiae supernaturalitatem SS. Patres quoque explicite docent. Ita v. g. *S. Athanasius,* qui ait: ''Deus non solum eos homines fecit, sed et filios Dei dixit, tamquam si illos genuisset. Est autem Dei benevolentia, quod quorum sit conditor, horum post per benevolentiam patrem se facit, quod tum contingit, cum creati homines, ut ait Apostolus, Spiritum Filii ejus clamantem: Abba, Pater! in suis cordibus suscipiunt. . . . Nec enim alio modo possunt fieri filii, cum ex natura sint creati, nisi Spiritum ejus, qui est naturalis et verus Filius, acceperint'' (Cont. Arian. Orat. 2, n. 59; MG. 26, 271). Similiter *S.*

Cyrillus Hier.: "Ut filius sis, non per naturam habes, sed per adoptionem filii appellationem consequeris" (Catech. 3, n. 14; MG. 33, 466).

Dignitatem ob hanc gratiam tamquam formalem ejus effectum ita extollit *S. Gregorius Nyssenus:* "Huic tali ac tantae rei (naturae divinae), quae nec videri potest, nec audiri, nec existimari, homo qui pro nihilo in mundo existimatur, cinis, faenum, vanitas, familiaris efficitur, in filii locum a Deo universorum assumptus. Quid gratia illa dignum est invenire ad gratiarum actionem? Quam vocem, quam cogitationem, quem animi motum, per quem gratia insuperabilis celebretur? Excedit suam naturam homo, immortalis factus ex mortali, incorruptibilis ex corruptibili, sempiternus ex caduco, et in summa deus ex homine evadens. Nam dignus habitus qui Dei filius fiat, habebit omnino in se Patris dignitatem atque omnium paternorum bonorum heres existit. O liberalitatem divitis Domini!" (De Beatitudinibus Orat. 7; MG. 44, 1280).

194. Scholion I: Num protoparentes in ipso instanti creationis gratiam sanctificantem acceperint.

De hac quaestione duplex habetur inter theologos sententia: altera affirmans, altera negans. Sententiam negativam post *Hugonem Victorinum* propugnant *Lombardus* (II Sent. d. 24), *Alexander Halensis* (Sum. p. 2, q. 29, m. 1, a. 7 ad 1), *S. Bonaventura* (In II Sent. d. 29, a. 2, q. 2), *Scotus* (In II Sent. d. 29, q. unica, n. 7), quos plurimi *Scotistae* sequuntur. Eorum autem praecipua ratio in hoc reponitur, quod "Deus secundum legem communem requirit aliquam praeparationem et dispositionem a parte nostra ad hoc, quod infundat alicui gratiam, sive in eo cui infundit, ut in adulto, sive in alio adjuvante, secundum quod contingit in parvulo" (*S. Bonaventura,* loco citato). "Unde secundum hanc opinionem in statu innocentiae distinguuntur duo tempora: quoddam enim fuit tempus in quo habuit (Adam) tantum naturalia; quoddam vero, in quo habuit et naturalia et gratuita" (Ibidem). Non tamen excludunt sed potius affirmant integritatem naturae, necnon auxilium aliquod supernaturale, ope cujus protoparentes sese ad gratiam sanctificantem recipiendam disponere poterant.

Sententiam vero affirmativam, videlicet protoparentes in ipso instanti creationis gratia sanctificante ornatos fuisse, tuentur *S. Thomas* ejusque sequaces, necnon recentiores theologi fere omnes (cf. *Suarez,* De Opere Sex Dierum, l. 3, c. 17, n. 9). Ipse *S. Thomas* in Commentario (II d. 4, a. 3 et d. 29, q. 1, a. 2) negativam sententiam communiorem dicit, sed in Summa (I, q. 95, a. 1) affirmativam absolute proponit, et hanc rationem assignat: "Sed quod fuerit (primus homo) etiam conditus in gratia, ut alii dicunt, videtur requirere ipsa rectitudo primi status, in qua Deus hominem fecit, secundum illud Eccle. 7, 30:

Deus fecit hominem rectum. Erat enim haec rectitudo secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animae corpus. Prima autem subjectio erat causa et secundae et tertiae. Quamdiu enim ratio manebat Deo subjecta, inferiora ei subdebantur. Manifestum est autem quod illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem non erat naturalis; alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in daemonibus data naturalia post peccatum manserint. Unde manifestum est quod et illa prima subjectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiae'' (Sum. Theol. I, q. 95, a. 1).

Quare juxta *S. Thomam* ipsa gratia sanctificans est quasi radix integritatis naturae, unde quodlibet praeternaturale donum istius status quodammodo pullulare concipitur; non quidem propter nexum physicum ipsique gratiae intrinsecum, sed potius propter nexum moralem ex rei congruitate enatum. Verum oppositae sententiae patroni rem magis mechanice concipiunt, secundum quod gratia sanctificans et integritas naturae sola extrinseca Dei voluntate connexae fuerint.

Ad SS. Patrum auctoritatem hac in re quod attinet, licet neutram sententiam modo expositam prae altera absolute evincat, magis tamen favere videtur doctrinae a *S. Thoma* ejusque discipulis propugnatae. Imprimis enim plurimi simpliciter affirmant gratiam seu sanctitatem Adamo collatam esse in ipsa creatione. Ita v. g. *S. Basilius,* qui de ipsa Adami formatione loquens ait: ''Spiritus Verbo vivo ordinatus ad creandum, virtus vivens et natura divina, ineffabilis ex ineffabili ore procedens ineffabiliter secundum inspirationem in hominem immissus (Gen. 2, 27)), a Christo secundum typum corporaliter (id est, signo corporali) acceptum restitutus est'' (Adv. Eunom. l. 5; MG. 29, 727). Similiter *S. Cyrillus Alex.*: ''Ipse (Moyses) nos docuit per Spiritum ad imaginem divinam sigillatum esse (Adamum). . . . . Simul enim et vitam creaturae Spiritus immisit et suos characteres secundum Deum impressit'' (In Jo. l. 2, c. 1; MG. 73, 203). Item *S. Hieronymus*: ''Signati sumus Spiritu Sancto, ut et spiritus noster et anima exprimantur signaculo Dei, et illam recipiamus imaginem et similitudinem ad quam in exordio conditi sumus'' (In Ephes. 4, 30; ML. 26, 514).

Hanc deinde ob causam plerique Patres gratiam protoparentibus datam vocant naturalem, quippe quae eorum originem comitabatur. Ita *S. Augustinus,* qui dicit hoc agere Spiritum gratiae, ''ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis'' (De Spiritu et Littera, c. 27, n. 47; ML. 44, 229); et *S. Leo Magnus,* docens statum originalem gratiae esse nostri generis ''naturalem dignitatem'' (De Jejun. serm. 10, c. 1; ML. 54, 168) necnon *S. Caelestinus,* ad episcopos Galliarum scribens ''in praevaricatione Adae omnes homines naturalem

possibilitatem et innocentiam perdidisse'' (Epist. 21, c. 4; ML. 50, 530).

Accedunt etiam rationes congruentiae, quarum praecipuam ita proponit *cl Pesch* (III, n. 181): ''Deus enim omnes res produxit in statu perfecto ad prosequendum fructuose eum finem, ad quem destinatae erant. Homines autem destinati erant ad finem supernaturalem. Ergo Deus produxit eos in statu gratiae sanctificantis, quae necessaria est ad finem supernaturalem fructuose prosequendum. Quare omnes concedunt posteros Adami, nisi peccatum intercessisset, nascituros fuisse in gratia sanctificante. Quod autem posteris concessurus erat, hoc Deus non negavit in creatione primis parentibus. Porro ob eundem respectum finis supernaturalis Deus secundum SS. Patrum doctrinam angelos creavit in gratia, 'simul iis et condens naturam et largiens gratiam,' ut ait S. Augustinus (De civ. Dei, l. 12, c. 9, n. 2; ML. 41,357). Ergo idem censendum est de Adamo.''

Ad rationem vero pro negativa sententia allata, quod videlicet Deus in adultis ad receptionem gratiae sanctificantis praerequirat positivam aliquam dispositionem, ita respondetur: Imprimis haec providentiae regula nunc post humanum genus jam conditum quidem viget, sed undenam probatur eam etiam debuisse vigere in ipso hominis exordio? Immo ex rationibus congruentiae in praecedente paragrapho pro opposita sententia adductis, contrarium omnino admitendum est. Dein vero aliquis bonus voluntatis motus, etsi non formalis praeparatio ad gratiam recipiendam, etiam in ipsa creatione jam adesse potuit. Nam, ut ait *S. Thomas,* ''cum motus voluntatis non sit continuus nihil prohibet etiam in primo instanti suae creationis primum hominem gratiae consensisse'' (Sum. Theol. I, q. 95, a. 1 ad 5). Hanc rem fusius explicat *Suarez* (op. cit. l. 3, c. 19).

Haec igitur affirmativa sententia, etsi non est de fide, certa tamen et nunc etiam communis est. Tempore *Concilii Tridentini* utraque sententia suos defensores habebat; quapropter in canone 1 sessionis 5, superius (n 189) citato, loco ''creatus,'' ut in schemate legebatur, Patres substituendum decreverunt ''constitutus'' fuerat. Ita refert *Pallavicini* (Hist. Conc. Trid. l. 7, c. 9, n. 1). Postea vero nostra sententia sensim sine sensu communior et denique communis evasit.

195. Scholion II: De protoparentum virtutibus infusis.

Quae hac de re satis constare videntur, ad sequentia revocari possunt: a) Ex facto probato, quod videlicet protoparentes ornati erant gratia sanctificante, sponte sequitur *eos habuisse virtutes infusas;* ut enim in tractatu de gratia probari solet, istae virtutes gratiam sanctificantem semper comitantur, licet realiter ab ea distinguantur.

b) Virtutes infusae sunt vel *theologicae* vel *morales,* prout aut ipsum Deum pro objecto suo specificante habent, aut aliquam rationem finitam ad Deum ordinatam. Item istae virtutes *per se* possunt adesse in anima vel quoad *habitum solum* vel simul quoad *habitum et actum.* Protoparentes habuerunt omnes virtutes quoad *habitum;* non vero omnes etiam quoad *actum.* Quaedam enim virtutes tales sunt, ut earum actus perfectioni primi status repugnet, "ut patet de paenitentia, quae est dolor de peccato commisso, et de misericordia, quae est dolor de miseria aliena. Perfectioni autem primi status repugnat tam dolor quam culpa et miseria. Unde hujusmodi virtutes erant in primo homine secundum habitum et non secundum actum. Erat enim primus homo sic dispositus, ut, si peccatum praecessisset, doleret; et similiter, si miseriam in alio videret, eam pro posse repelleret" (*S. Thomas* I, q. 95, a. 3). Cf. etiam *Suarez* (De Opere Sex Dierum, l. 3, c. 11).

c) Sunt qui difficultatem moveant quoad *fidem* in Adamo, loco cujus ponunt cognitionem quamdam specialem, quam ita explicat *S. Bonaventura*: 'Quadruplex est modus cognoscendi Deum: videlicet per fidem, per contemplationem, per apparitionem et per apertam visionem. Et primum est gratiae communis, secundum est gratiae excellentis, tertium gratiae specialis et quartum gloriae consummantis. . . Primum igitur et ultimum genus cognitionis statui innocentiae non competebat: primum, propter cognitionem aenigmaticam, et propter hoc, quod cognitio fidei ut plurimum est ex auditu, secundum quod innuit Apostolus; ultimum vero ibi esse non poterat propter summam perfectionem; ideo homini non exhibebatur, sed potius in praemium promittebatur. Media vero duo, scilicet contemplationis et apparitionis, utrique statui communia esse potuerunt, maxime cognitio contemplationis, quae in utroque statu est" (In II Sent. d. 23, a. 2, q. 3).

Attamen virtus fidei protoparentibus in statu innocentiae certe vindicanda est, quia "sine fide impossibile est placere Deo" (Hebr. 11, 6); "justus autem ex fide vivit" (Rom. 1, 17), et "dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus" (II Cor. 5, 6, 7); insuper "fides est sperandarum substantia rerum" (Hebr. 11, 1); haec autem non nobis tantum sed etiam protoparentibus ante peccatum applicanda sunt, quia et ipsi placuerunt Deo, justi erant, peregrinabantur a Domino, sperabant vitam caelestem, et ideo tum virtutem tum actum fidei habebant.

Hujus vero fidei possibilitatem, tum quoad angelos tum quoad primum hominem, ita exponit *S. Thomas*: "Illa sola manifestatio excludit fidei rationem, per quam redditur apparens vel visum id de quo principaliter est fides. Principale autem objectum fidei est veritas prima, cujus visio beatos facit et fidei succedit. Cum ergo angelus ante confirmationem et homo ante peccatum non habuerit illam beatitudinem,

qua Deus per essentiam videtur, manifestum est quod non habuit sic manifestam cognitionem, quod excluderetur ratio fidei'' (Sum. Theol. II. II, q. 5, a. 1).

d) Fides autem supernaturalis *revelationem* supponit, cum propter auctoritatem Dei revelantis praestetur; unde necessario assumendum est Adamo fuisse quasdam veritates a Deo revelatas, vel mediate per angelos vel immediate per ipsum Deum. ''Inter objecta hujus fidei certe erat Deus ut remunerator in ordine supernaturali, probabilius mysterium SS. Trinitatis, et secundum sententiam satis communem Patrum et theologorum etiam mysterium incarnationis (cf. *Suarez,* De opere sex dierum l. 3, c. 18). . . . Hoc ultimum eo magis admittendum videtur, si vera est sententia eorum, qui dicunt incarnationem futuram fuisse independenter a peccato Adami'' (*Pesch,* op. cit. n. 185).

196. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Inter dona protoparentibus collata non enumeratur gratia sanctificans: *Ergo* eis immerito vindicatur.

Resp. Inter dona protoparentibus collata in Vetere Testamento non enumeratur gratia sanctificans, *Tr.* Neque in Novo Testamento, *subd.* Non explicitis terminis haec enumeratio ibi invenitur, *C.* Neque terminis aequivalentibus istam gratiam Adamo collatam affirmantibus, *N.* Nam ex nostris argumentis contrarium constat. Transmissum est primum membrum distinctionis, quia licet nostra thesis ex solo Vetere Testamento non invicte probetur, tamen non desunt textus ex quibus probabile aliquod argumentum derivari possit. Hujusmodi sunt Gen. 1, 26, 27 et Eccle. 7, 30, quorum utrumque plurimi Patres de gratia sanctificante interpretantur (cf. superius, n. 191 a).

2° Ex Novo Testamento solum probatur justitiam nobis per Christum restitutam esse: *Atqui* justitia non necessario includit donum supernaturale intrinsecum ab ipsa natura distinctum: *Ergo.*

Resp. Ex Novo Testamento solum probatur justitiam nobis per Christum restitutam esse, id est, justitiam vi cujus sumus adoptivi filii Dei, heredes beatitudinis supernaturalis, et consortes divinae naturae, *C.* Justitiam ad quam hujusmodi effectus formales et privilegia stricte supernaturalia non consequuntur, *N.*

3° *Atqui* isti effectus et privilegia rem non probant; nam haec omnia haberi possunt per meram imputationem justitiae Christi, ideoque per extrinsecam denominationem: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Haec omnia haberi possunt per meram imputationem justitiae Christi, id est, per participationem justitiae Christi, ita ut vere justi consti-

tuamur, ideoque non mere nominemur sed et simus filii Dei, ejusque naturae consortes, *C.* Id est, per mere externam accessionem justitiae Christi, qua nativa nostra vilitas quodammodo contegatur, ideoque nominemur quidem quin tamen vere simus filii Dei, aut ejus naturae consortes, *N.* Haec tamen accuratius in tractatu de gratia exponentur.

4° S. Paulus (I Cor. 15, 45–48) dicit: "Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam (Christus) in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de caelo, caelestis": *Ergo* primus Adam non in sanctitate et justitia constitutus est.

Resp. Concedo antecedens et textum, sed nego consequens. Nam in textu non instituitur antithesis inter absentiam gratiae in Adamo et ejus praesentiam in Christo, sed inter statum corporis Adami creati et corporis Christi post resurrectionem; est enim in contextu sermo de statu resurgentium. Christi corpus post resurrectionem glorificatum erat, ideoque spiritualizatum seu spiritale; quo sensu igitur Christus factus est in spiritum vivificantem, et homo de caelo caelestis. Adami autem corpus post creationem glorificatum nondum erat, unde erat corpus animale; et hoc sensu Adamus factus est in animam viventem, homo de terra terrenus (cf. *S. Thomas,* I, q. 95, a. 1 ad 1).

ARTICULUS III

THESIS XVI.—Protoparentes ante lapsum integritate naturae, seu immunitate a concupiscentia, donati fuerunt.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 95, a. 2; *De Verit.* q. 26, a. 8; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 30, a. 1, q. 1; Scotus, *In II Sent.* d. 19, q. unica; Suarez, *De Opere Sex Dierum,* l. 3, c. 12; Bellarminus, *De Gratia Primi Hominis,* c. 5; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 49; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 721 sqq.; Pesch, *Praelect.* nn. 187 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 177 sqq.; Hurter, *Compendium,* nn. 329 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 199 sqq.; Pohle-Preuss, *God, the Author of Nature,* p. 2, c. 2, s. 2, a. 2.

197. **STATUS QUAESTIONIS.**—Gratia sanctificans elevat humanam naturam ad ordinem superiorem, eam tamen quoad elementa ipsius constitutiva non immutat. Quare ex collatione hujus gratiae per se nihil sequitur respectu *inclinationum naturalium,* quae hominis propriae sunt; sive in ordine sensibili sive in ordine intellectuali. Fieri igitur potuit, ut protoparentes etiam *ante peccatum* subjecti essent iisdem passionibus atque miseriis, quibus eorum posteri modo gravantur; in quantum scilicet ex ipsa humana natura sequerentur. Potuit tamen Deus eorum conditionem quoque aliter ordinare, ita ut per

donum aliquod ipsis indebitum ab omni passionum perturbatione seu concupiscentia immunes essent. Quid igitur Deus hac in re de facto ordinaverit, ex fontibus positivis nunc inquirendum est.

198. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) Ad hanc thesim praesupponitur protoparentes creatos fuisse in statu *aetatis adultae*, ita ut jam a primo instanti suae existentiae plenum rationis usum haberent. Unus alterve hoc olim quidem negavit, sed id nunc ab illis omnibus ultro admittitur, qui ceteroquin ipsam hominis creationem tuentur; immo Sacra Scriptura hanc veritatem aperte docet, cum inter alia enarret Adamum jam ante Evae creationem animalibus diversis aptum nomen imposuisse (Gen. 2, 19, 20).

b) Per integritatem naturae hic *eam inter facultates superiores et inferiores harmoniam* intelligimus, quae ex perfecta appetituum subordinatione respectu rectae rationis oritur; ita ut homo integras suas vires a Deo receptas ad perfecte in ordine morali ambulandum pro nutu suae voluntatis adhibere possit. Haec autem integritas *objective* in immunitate a concupiscentia consistit, quae proinde nunc accuratius explicari debet.

c) Concupiscentia imprimis accipi potest vel sensu *proprio* vel sensu *improprio*. Hoc altero sensu accepta, concupiscentia significat *ipsas facultates appetitivas*, quibus homo bona prosequitur et a malis sese avertit. Quia vero homo est ens compositum ex spiritu et corpore, inde *duplicem* habet appetitum, *spiritualem* et *sensitivum*. Appetitus sensitivus circa bona vel mala sensibilia seu materialia versatur; appetitus vero spiritualis partim circa *pure spiritualia* et partim circa *quasi intermedia* bona versari natus est. Est enim anima humana non modo spiritus sed simul etiam corporis forma, et qua talis ex ipsamet sua natura ferri potest in bona rebus materialibus contigua, ut sunt *honores, dignitates, fama, potestas, divitiarumque splendores*. Uterque autem hic appetitus, seu concupiscentia *improprie* accepta, quatenus nempe ipsas appetitivas facultates significat, protoparentibus *non modo post sed etiam ante peccatum* competebat. Igitur de immunitate ab hac concupiscentia non est quaestio in thesi.

d) Concupiscentia proprie dicta iterum *dupliciter* accipitur, nempe sensu *latiore* et sensu *strictiore;* et in utroque sensu vel *habitualis* est vel *actualis*. Quatenus sensu *latiore* accipitur, concupiscentia *habitualis* in eo consistit, quod facultates appetitivae ex sua natura in objecta ipsis propria inclinantur, ita ut spontanee in suos actus transire possint; qua *actualis* vero, eadem haec concupiscentia est ipse ille spontaneus facultatum actus. Tum illa facultatum inclinatio tum hic earum actus humanae naturae consentanea sunt, ideoque in se bona; et *in quantum bona*, competebant protoparentibus ante peccatum.

Quare neque de immunitate ab hac concupiscentia quaestio est in nostra thesi.

e) Sensu autem *stricto* accepta, proprie dicta concupiscentia insuper includit *quamdam inordinationem respectu rationabilis voluntatis;* et hoc quidem *duplici* modo. Vel enim habetur in facultatibus appetitivis *permanens quaedam dispositio,* ratione cujus semper in eo sunt ut rectae rationis dictamen aut praevertant aut etiam contra illud in suos actus prorumpant; vel *ipsi hujusmodi actus* jam de facto contra dictamen rectae rationis indeliberate ponuntur, aut etiam recta ratione renitente jam positi persistunt. Quatenus solum illa inordinata inclinatio vel dispositio adest, haec concupiscentia dicitur *habitualis;* quatenus vero ipsi inordinati actus contra rectae rationis dictamen indeliberate ponuntur, eadem haec concupiscentia *actualis* vocatur. Utraque dicitur fomes peccati; quia ex propria sua natura incitat liberam voluntatem ad peccatum committendum. Ab hac autem concuspiscentia dicimus protoparentes ante peccatum fuisse immunes.

f) Unde protoparentes ante peccatum habebant quidem facultates appetitivas; in istis facultatibus etiam aderant inclinationes ad propria sua objecta; spontanee quoque prodire poterant in proprios actus; sed nullus ex eis proficisci poterat actus *contra dictamen rectae rationis, neque proxima in eis habebatur dispositio ad talem actum.* Hinc quotiescumque objectum proprium sive voluntati sive sensui proponebatur, spontaneitas quidem actionis aderat; ipsi tamen actus poni non poterant, nisi recta ratio eos implicite saltem dictaret. Proinde in illo statu summa erat eorum voluntatis libertas; caro subjecta erat spiritui, sicut et ipse spiritus subjectus erat Deo. Quare superior pars animae in partem ejus inferiorem, sicut etiam in sensus, non politicum dumtaxat sed despoticum dominium habebat; ita ut omnes eorum motus adeo ab ejus nutu penderent, ut ab ea pro lubitu excitari atque semel excitati etiam frenari possent.

g) Ad hanc thesim firmiter stabiliendam, sufficit ut probetur in protoparentibus ante peccatum non fuisse *inordinatum appetitum sensitivum,* cujus videlicet motus citra deliberationem et imperium voluntatis aut excitari aut semel excitatus persistere posset. Nam circa bona spiritualia homo non patitur inordinatos concupiscentiae motus, nisi in quantum illa bona sub sensibili ratione apprehenduntur et appetitum sensitivum afficiunt. Et ipse appetitus sensitivus illis objectis maxime excitatur, ex quibus delectatio carnalis oritur; unde si ostendatur protoparentes ab hujus delectationis concupiscentia fuisse immunes, per se jam sequitur eos ab omni alia quoque veri nominis concupiscentia immunes fuisse. Attamen proferemus argumenta quibus hoc alterum etiam explicite probatur.

199. **ADVERSARII.**—Hanc thesim olim impugnabant *Pelagiani,* et recentius *Sociniani, Liberales Protestantes,* necnon utique *Rationalistae;* qui omnes simpliciter negant protoparentes ante peccatum fuisse a concupiscentia immunes. Praeter hos indirecte huic thesi etiam adversantur *Baius* et *Jansenius,* eorumque sequaces, qui scilicet contendunt donum integritatis debitum esse naturae innocenti; hi igitur non illud donum negant, sed ejus supernaturalitatem infitiantur (cf. superius, nn. 183, 184).

200. **NOTA.**—Thesis proponit doctrinam inter theologos *omnino communem,* et *adeo certam ut absque ingenti temeritate negari nequeat.* Immo forte posset dici de fide ex jugi Ecclesiae magisterio, quod *Concilium Tridentinum* (sess. 5, can. 5; DB. 792) indicare videtur. Declarat enim "hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum (Rom. 6, 12) appellat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato (Adami) est et ad peccatum inclinat." Ideo juxta mentem Ecclesiae, protoparentes ante peccatum ab hac concupiscentia immunes erant.

201. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex **Sacra Scriptura.**—In Genesi haec tria aperte declarantur: a) protoparentes *ante* peccatum de sua nuditate *non erubuisse;* b) eos *post* peccatum suam nuditatem *cum rubore animadvertisse;* c) causam hujusce animadversionis fuisse *eorum inobedientiae peccatum:* **Atqui** haec simul sumpta clare evincunt protoparentes ante peccatum a concupiscentia fuisse immunes: **Ergo.**

Major hisce textibus constat: a) "Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant" (Gen. 2, 25); "et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata. Et cum audissent vocem Domini Dei . . . abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Vocavitque Dominus Deus Adam, . . . qui ait: Vocem tuam audivi in paradiso; et timui eo quod nudus essem, et abscondi me" (Gen. 3, 6-10); c) Cui dixit: Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo praeceperam ne comederes, comedisti?" (Ibid. 11).

Minor jam ex eo satis constat, quod ipsum factum, Adamum scilicet et uxorem ejus sub datis adjunctis non erubuisse, tamquam quid singulare notatur—"uterque nudus, et non erubescebant;" implicite igitur sacer scriptor affirmat eis hoc praeter ordinariam humanae naturae legem contigisse. Insuper hanc eorum conditionem non momentaneam sed ex se permanentem fuisse indicat, cum ejus cessationem

ex solo inobedientiae peccato repetat.—"Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo praeceperam ne comederes, comedisti?" Unde si protoparentes non peccassent, immunes permansissent a motibus inordinatis, propter quos homines bene morati erubescentia afficiuntur.

Et re quidem vera, absque dono immunitatis a concupiscentia ipsum factum, quod protoparentes sub istis adjunctis non erubuerint, simpliciter explicari nequit. Nam nuditas ex ipsa rei natura hominum concupiscentiam vehementer excitat, et propter hanc excitationem necessario in eis erubescentiam producit. Nisi igitur quis dicere velit, protoparentes fuisse caecos, vel mentis hebetudine laborasse, vel fuisse moribus jam perditis—quae utique omnia et singula valde absurda sunt—non aliam istius facti explicationem inveniet, nisi quod Adam et uxor ejus ante peccatum a concupiscentia fuerint immunes.

202. *Confirmatur* hoc argumentum scripturisticum ex doctrina S. Pauli, qui imprimis docet per unum hominem (Adamum) peccatum in hunc mundum intrasse, illudque peccatum in omnes transiisse, ita ut nunc in toto mundo regnet (cf. Rom. 5, 12, sqq); deinde monet fideles ne hujus peccati concupiscentiis obediant (cf. Rom. 6, 11, 12); denique hanc concupiscentiam, quae sic per Adami peccatum in hunc mundum intravit, appellat peccatum; non solum quia ad peccatum inclinat, sed etiam quia ex peccato est; quapropter et ipse "venumdatus est sub peccato" (cf. Rom. 7, 14 sqq). Itaque concupiscentia, quae nunc regnat in mundo, est ex peccato Adami; et ideo Adamus ante peccatum ab hac concupiscentia immunis erat. Cf. *Palmieri,* op. cit. thes. 49, n. 2, pp. 417 sqq.

203.—ARGUMENTUM ALTERUM: ex doctrina SS. Patrum.—SS. Patres, secundum et tertium Geneseos caput exponentes, doctrinam in thesi propositam consonanter tuentur, ut ex hisce textibus satis apparet.

a) *S. Ambrosius:* "Antea nudi erant, sed non sine virtutum integumentis. . . . Ergo postquam se spoliatos illa simplicitate et sinceritate viderunt integrae incorruptaeque naturae, quaerere mundana et manufacta coeperunt, quibus nuda suae mentis operirent" (De Paradiso, c. 3; ML. 14, 256).

b) *S. Augustinus:* "Sicut scriptum est: Nudi erant, et non confundebantur; non quod iis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa praeter arbitrium commovebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat" (De Civ. Dei, l. 14, c. 18; ML. 41, 425). Item: "Erant ergo ambo nudi; verum est, omnino nuda erant corpora duorum hominum in paradiso conver-

santium. Nec pudebat eos; quid enim puderet, quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suae? Quae illos poena peccati post perpetrationem praevaricationis secuta est, usurpante inobedientia prohibitum, et justitia puniente commissum. Quod antequam fieret, nudi erant, ut dictum est, et non confundebantur; nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur; nihil putabant velandum, quia nihil senserant refrenandum'' (De Genesi ad Litt. l. 11, c. 1, n. 3; ML. 34, 430).

c) *S. Joannes Chrysostomus*: ''Usque ad illam (praevarication-em) quasi angeli versabantur in paradiso, non concupiscentiis flagrantes, non ab aliis affectionibus infestati, . . . neque vel vestimentorum amictu ibi egebant. Erant enim, inquit, ambo nudi, et non erubescebant. Peccato enim et praevaricatione nondum praesente, gloria, quae superne venerat, vestiti erant, et ideo non erubescebant; post transgressionem autem praecepti introgressa est et erubescentia et nuditatis agnitio'' (In Gen. hom. 15, n. 4; MG. 53, 123). Item: ''Mandati praevaricatio ut supervenit, vestem illam novam et admirabilem, gloriae inquam ac supernae benevolentiae, qua induti erant, abstulit, et nuditatis sensum praebuit'' (Hom. 16, n. 1; MG. 53, 126).

d) *S. Cyrillus Alex.*: ''Mens (Adae) tota et semper in Dei visione erat, corpus autem in tranquillitate et quiete, absque omni turpi voluptate; non enim erat in eo absurdorum motuum tumultus. Cum vero cecidit in peccatum et corruptioni patuit, inde irrepserunt in carnis naturam voluptates impurae et nata est in membris nostris saeva lex. Natura igitur morbum peccati contraxit per inobedientiam unius, id est Adami'' (In Epist. ad Rom. c. 5, n. 18; MG. 74, 789).

e) *S. Joannes Damascenus*: ''Etsi (Adam et Eva) nudi erant corpore, tegebantur divina gratia. Nullum erat iis corporale operimentum, sed erat iis vestis incorruptionis; quantum enim per obedientiam familiares erant Deo, tantum vesti incorruptionis. Postquam inobedientes fuerunt, procul facti sunt a tegente illos gratia. Nudati sunt excessu ad Deum et contemplatione; viderunt sui corporis nuditatem, expetiverunt vitae oblectamenta; detrusi sunt ad tenuem et inopem vitam'' (Hom. in ficum arefactam, n. 3; MG. 96, 580).

204. *Confirmatur* haec thesis ex unanimi theologorum consensu, qui praeter argumenta superius data, aliud quoque ex rationibus congruentiae petere solent. Ita v. g. *Suarez*: ''Prima, ut proprium Dei opus perfectum esset, et pro capacitate hominis viatoris consummatum. Secunda, ut facili negotio posset homo vitare omnia peccata, si vellet. Tertia, ut in quodam felici statu viveret, nam sine dubio ex hujusmodi pugna, et inordinatis motibus appetitus sentientis, multum minueretur illius status felicitas et perfectio'' (Op. cit. l. 3, c. 12, n. 9).

205. Scholion I: Quod donum integritatis sit supernaturale.

Quod SS. Patres protoparentum integritatem donum supernaturale existimaverint, ex eorum dictis in argumento allegatis satis patet. Repetunt illud namque ex ipsa gratia, qua Adamus et Eva in paradiso vestiti erant. Dicunt insuper illud donum per peccatum fuisse amissum, dum ex altera parte docent omnia hominis naturalia post peccatum integra permansisse. Nec minus clare ejusdem doni supernaturalitatem docet ipsa Ecclesia, ut liquet ex damnatione propositionis 26 *Baii,* quae sic legitur: "Integritas primae creationis non fuit indebita naturae humanae exaltatio, sed naturalis ejus conditio" (DB. 1026; cf. 1516). Insuper ipsa ratio idem suadet. "Nam quia motus in parte sensitiva prius adest quam in parte intellectuali, et quia hic motus naturaliter oritur proposito objecto, motus sensitivus ex natura rei et praevenit appetitum rationalem et potest eo repugnante adesse. Ergo immunitas ab hoc motu praeveniente et repugnante est donum supernaturale" (*Pesch,* op. cit. n. 196). Quia tamen hujusmodi motus puris spiritibus inesse non possunt, inde immunitas ab eis non superat totum ordinem naturalem, sed solum ordinem humani compositi; quapropter donum praeternaturale vocari solet.

206. Scholion II: In quonam donum integritatis objective consistat.

Hac de re theologi non omnino inter se conveniunt, quod ita ponit *Suarezius*: "Conveniunt theologi ad hunc effectum (integritatis) necessarium fuisse aliquod peculiare donum humanae naturae additum: quid vero, vel quale fuerit, varie et obscure explicant. Nam Durandus in 2, dist. 20, quaest. 2, sentit hoc factum esse per donum infusum appetitui sensitivo, quo omnino ad unum determinabatur, sentitque fuisse distinctum a virtutibus quatenus in appetitu sensitivo esse possunt. In quo tamen non satis definite loquitur, nam sub disjunctione ait tale donum includere alias virtutes formaliter vel virtualiter; et hanc partem videtur sequi Molina, in tract. de opere sex dierum, disp. 27; e contrario vero Scotus, eadem dist. 29 sentit illum effectum factum esse per habitum voluntati infusum sine dono appetitus sensitivi, quamvis censeat probabile etiam in appetitu fuisse hujusmodi donum, ut uterque appetitus posset modo praeternaturali operari. Voluntas quidem efficacius imperando, et cum majori delectatione volendo honestum quam naturaliter possit, et appetitus delectabilius obediendo voluntati, etiam a propria sensibili delectatione sine repugnantia abstinendo; qui modus operandi non est illi conveniens ex sola naturali subordinatione ad voluntatem. At vero Cajetanus 1, 2, a. 2, prius dicit hoc donum ultra pure naturalia addidisse vigorem rationis, seu superioris partis animae ad conservandum statum rationi

in nullo dissonum, quem vigorem dicit resultare ex conjunctione ad justitiam originalem, quamvis non addat per se aliquid distinctum ab ipsa. Sicut cogitativa est perfectior in homine ex conjunctione ad animam rationalem sine aliqua re addita'' (Op. cit. l. 3, c. 12, n. 11).

His autem explicationibus ut insufficientibus sepositis, ipse prosequitur: ''Superest ergo ut quartus modus verus sit, nimirum partim per intrinsecos habitus et actus, partim per specialem Dei providentiam et protectionem hoc donum in primo statu collatum hominibus fuisse. Haec pars concluditur ex dictis a sufficiente partium enumeratione. . . . Praeterea sumi potest etiam a simili ex D. Thoma, 1 p. quaest. 94, art. 4 ad 5, ubi similiter ait hominem in illo statu ab omni errore praeservatum fuisse, partim per internam scientiam et prudentiam, partim quia ei divinitus subventum fuisset. Et similiter quaest. 97, art. 2 ad 4, dicit potuisse hominem tunc praeservari a morte, partim propria ratione, partim divina providentia: ergo idem in praesenti dici debet, est enim eadem vel major ratio. Indicatur etiam ab Augustino 14 de Civitate Dei, c. 19, quatenus ait eas partes animae, quae a nobis vitiosae seu inordinatae sunt, non ita fuisse in paradiso ante peccatum. 'Non enim, ait, contra rectam voluntatem ad aliquod movebantur, unde necesse esset eas ratione tanquam frenis regentibus abstinere. Nam quod nunc ita moventur, et ab his qui temperanter, juste et pie vivunt, alias facilius, alias difficilius, tam in cohibendo et refraenando modificantur, non est utique sanitas a natura, sed languor ex culpa.' In quibus verbis satis indicat, illam sanitatem fuisse per internam perfectionem et virtutem, quae facilitatem et delectationem in illo modo operandi praestabat. Divinam autem protectionem ibi non tam expresse declarat: haec autem tam est familiaris Augustino, ubicumque de his divinis beneficiis tractat, ut eam tamquam manifestam supponere videatur'' (Ibid. n. 18).

Ultimo vero integritatis donum, sicut et alia dona supernaturalia, in ipsa gratia sanctificante radicatur. ''Nam multitudo sine ordine est confusio, et ideo quae a Deo sunt, ordinata sunt, immo cum summa sapientia et pulchritudine ordinantur. Optimus autem ordo postulat, ut, quando multa in unum conveniunt, inferiora superioribus subordinata sint, et quod in iis est supremum, sit quasi caput et fundamentum aliorum; ergo ita fuit constituta originalis justitia. Unde cum in illa collectione gratia fuerit principalis forma, illa censenda est quasi essentialis in illa justitia, reliqua vero omnia tamquam proprietates ejus vel tamquam auxilia et ornamenta illi adjuncta ad perfectius vivendum et operandum secundum justitiam et sine defectu'' (Ibid. c. 20, n. 21).

Ad habitus illos infusos quod attinet, scite animadvertit *cl. Pesch*: ''Sicut homo per diuturnum et constans exercitium virtutum adeo

potest inferiorem appetitum rationi subicere, ut jam vix contra eam moveatur neque ullam perturbationem creet, ita potuit Deus singulis facultatibus hominis eos habitus praeternaturaliter infundere, quibus disponeretur ratio ad quiete considerandum, recte judicandum, convenienter imperandum; voluntas ad sequendam rectam rationem delectabiliter et ad movendum appetitum fortiter; appetitus ad obediendum prompte et suaviter'' (Op. cit. n. 197).

207. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Argumentum ex Genesi desumptum non videtur multum valere; nam illum textum ita explicat *S. Irenaeus*: ''Erant utique nudi in paradiso et non confundebantur; quoniam paulo ante facti non intellectum habebant filiorum generationis'' (Adv. Haer. l. 3, c. 32, n. 6; MG. 7, 959): *Ergo* non donum integritatis sed ignorantia generationis in causa erat cur non erubescerent.

Resp. Nego assertum et rationem additam. Nam ista opinio *S. Irenaei* prorsus singularis est, neque in contextum quadrat; cum enim Adam primo Evam videret, statim dixit: ''Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una'' (Gen. 2, 23, 24). Igitur jam ante peccatum Adamus ''intellectum generationis'' certe habebat.

2° Concupiscentia ad perfectam humanam naturam pertinet: *Atqui* protoparentes habuerunt perfectam humanam naturam: *Ergo.*

Resp. Concupiscentia improprie accepta ad perfectam humanam naturam pertinet, *C.* Concupiscentia proprie accepta, *subd.* Si sensu latiore sumitur, *C.* Si sensu strictiore sumitur, iterum *subd.* Et simul est imperfectio quae per speciale Dei donum auferri potest, quin humana natura aliquam perfectionem amittat, *C.* Et non est simul hujusmodi imperfectio, *N.* Cf. quae superius (n. 198) hac de re dicta sunt.

3° In protoparentibus jam ante peccatum erat spontaneitas actionis respectu boni sensibilis: *Atqui* spontaneitas actionis respectu boni sensibilis includit concupiscentiam: *Ergo.*

Resp. In protoparentibus jam ante peccatum erat spontaneitas actionis respectu boni sensibilis, quatenus hujusmodi actio esset rectae rationi conformis, *C.* Quatenus etiam rectae rationi opponeretur, *N.* Minime quidem requirebatur in illo statu ut voluntas formali semper imperio sensus ad propria eorum bona dirigeret, neque tamen ex altera parte sensus citra mentis deliberationem et contra voluntatis imperium propria bona amplecti valebant.

4° Concupiscentia strictiore sensu accepta est incitamentum ad peccandum: *Atqui* hujusmodi incitamentum ad peccandum Deus in statu naturae innocentis permittere non potuit: *Ergo* immunitas ab hac concupiscentia est naturae innocenti debita, ideoque non est donum supernaturale.

Resp. Concupiscentia strictiore sensu accepta est incitamentum ad peccandum, cui tamen homo Dei gratia adjutus resistere potest, *C.* Cui Dei gratia adjutus resistere non potest, *N.* Concupiscentia etiam inordinata in se non est malum morale sed physicum, et quidem humanae naturae sibi relictae omnino consentaneum; unde neque natura innocens, sive ad altiorem statum elevata fuerit sive non, ad ejus immunitatem ullum jus habet. Hoc unum dumtaxat per se exigere potest, ut sibi praesto sint vires quibus peccatum evitare valeat.

ARTICULUS IV

De Immunitate a Necessitate Moriendi

THESIS XVII.—Protoparentes ante peccatum immunes erant a necessitate moriendi.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 97, aa. 1, 4; *In II Sent.* d. 19, q. 2, a. 4; *De Malo,* q. 5, a. 5; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 19, a. 2, qq. 1, 2; a. 3, qq. 1, 2; Scotus, *In II Sent.* d. 19, q. unica, n. 3; Suarez, *De Opere Sex Dierum,* c. 14; Bellarminus, *De Gratia Primi Hominis,* cc. 8, 9; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 52; Pesch, *Praelect.* III, nn. 199 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 749 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 179 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 203 sqq.; Hurter, *Compendium,* II, nn. 335 sqq.; Casini, *Quid est Homo?* a. 2; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2, s. 2, a. 2.

208. **STATUS QUAESTIONIS.**—Per elevationem ad statum supernaturalem, quam superius jam probavimus, homo destinatus erat ad intuitivam Dei visionem, quae proprie constituit vitam aeternam. In nostro statu reparatae salutis non datur transitus e vita temporali ad vitam aeternam nisi per mortem, seu per animae et corporis dissolutionem; et licet haec dissolutio respectu compositi humani sit naturalis, potuit tamen Deus velle ut ea nunquam locum haberet. Quaeritur ergo in hac thesi, quidnam Deus ordinaverit hac in re antecedenter ad peccatum Adae.

209. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Immunitas a necessitate moriendi dici solet *immortalitas corporis,* vel etiam *corporalis immortalitas,* quae quidem ab immortalitate animae seu spirituali valde diversa est. Haec enim spiritualis immortalitas in *essentiali animae simplicitate* consistit, estque animae *naturalis;* dum illa corporalis in

divinitus sustentata humani compositi perseverantia reponitur, ideoque *praeternaturalis* est. In ente simplici immortalitas dicit *impossibilitatem moriendi;* in ente vero composito immortalitas denotat *possibilitatem non moriendi.* Igitur ens compositum semper in se retinet principium corruptionis, quippe quod in ipsa ejus compositione consistit; simul tamen fieri potest incorruptibile seu immortale ratione alicujus *doni indebiti,* quod obstat quominus corruptionis possibilitas in actum reducatur. Hoc autem dono ei collato, illud ens compositum dicitur *posse non mori,* seu esse *immune a necessitate moriendi.* De hac sola immortalitate est quaestio in thesi.

b) Ipsa autem immunitas a necessitate moriendi objective consistit in *remotione omnis causae qua mors induci solet.* Haec vero causa *triplex* est. *Imprimis enim omnis organismus,* sicut pedetentim sese in statum perfectum evolvit, ita etiam *sensim sine sensu a statu perfecto in dissolutionem declinat.* Proinde etiamsi homo nullis morbis unquam afficeretur, necnon omnia media naturalia ad vitam corporalem fovendam apta haberet, nihilominus ex ipsa naturali sui organismi corruptione aliquando moreretur. Hinc, ut homo a morte corporali in perpetuum preservetur, imprimis ista sui organismi corruptio divinitus impediri debet.

c) *Deinde una cum ipso organismo simul etiam diminui videtur vis nutritiva,* ita ut per intussusceptionem et assimilationem cibi partes detritae jam non amplius valeant reparari. Hanc ob causam debet aliquod medium divinitus suppleri, quo ista vis nutritiva ita roboratur et in suo vigore conservatur, ut proprio suo munere in perpetuum fungi possit. Loquimur nunc utique de immortalitate corporis adhuc in terra versantis; ea enim qua in caelo gaudebimus, ex ipsius corporis glorificatione consequens erit, et prorsus diversae rationis futura esse censenda est.

d) Quibus vero *mediis* Deus usus fuisset ad illas intrinsecas mortis causas impediendas, si Adamus non peccasset, omnimoda certitudine dici nequit; ea tamen aliqua ratione ex "ligno vitae" (Gen. 3, 22) repetenda esse videntur. Unde dicit *S. Augustinus* (De Gen. ad litt. 8, 6), "arborem illam praestitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta." Et iterum (De Civ. Dei, 12, 20): "Alebantur ergo aliis cibis, quos sumebant, ne animalia corpora molestiae aliquid esuriendo aut sitiendo sentirent. De ligno autem vitae propterea gustabatur, ne mors eis undecunque subreperet, vel senectute confecti decursis temporum spatiis interirent."

e) *Denique* praeter illas duas mortis causas *intrinsecas,* de quibus modo dictum est, datur et alia causa *extrinseca,* videlicet *omnis vis mortifera ab extrinseco illata.* Attamen ad periculum mortis inde proveni-

eus evitandum, non requirebatur in protoparentibus donum aliquod intrinsecum, sed propria eorum prudentia cum speciali Dei protectione sufficiebat; praesertim cum in paradiso omnes res creatae Adami dominio subjectae essent. Ea igitur *Dei providentia* adfuisse dicenda est, qua vel *mediate* per ipsorum prudentiam vel *immediate* per specialem Dei interventionem omnia nociva ab Adamo et Eva arcerentur.

f) Naturaliter utique protoparentes in ea conditione versabantur, qua possent vitam suam absque speciali Dei auxilio per multa forte saecula conservare; eorum enim organismus valde perfectus erat, utpote immediata Dei operatione formatus; media quoque ad vitam sustentandam tum abundantia tum salubria erant; ipsique ea prudentia praediti existebant, qua ordinaria vitae pericula sat facile evitare valebant. Attamen etiam horum omnium ratione habita, sibi relicti aliquando, etsi non peccassent, mortui fuissent. Igitur corporalis eorum immortalitas, non naturalis conditio, sed praeternaturale donum dicenda est.

210. **ADVERSARII.**—Hanc thesim olim rejecerunt *Pelagiani,* qui docebant protoparentes in naturali eorum conditione relictos fuisse, ita ut etiam peccato non commisso aliquando morerentur. Hos deinde secuti sunt *Sociniani,* plurimi *Liberales Protestantes* et *Rationalistae* moderni. Illud donum immortalitatis fuisse supernaturale, ut superius expositum est, negaverunt *Baiani;* juxta eos enim "immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium sed naturalis conditio" (DB. 1078; cf. 1517).

211. **NOTA.** Quatenus haec thesis defendit ipsum factum immortalitatis, *de fide tenenda est;* statuit enim *Concilium Carthaginiense XVI* (an. 418) a *Zosimo approbatum*: "Placuit omnibus episcopis . . . in sancta Synodo Carthaginiensis ecclesiae constitutis: Ut quicunque dixerit, Adam hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret non peccati merito, sed necessitate naturae, A. S." (can. 1; DB. 101). Cf. *Arausicanum II* (DB. 175) et *Tridentinum* (DB. 788). Quatenus vero tuetur immortalitatem protoparentibus concessam fuisse donum supernaturale, thesis est *theologice certa.*

212. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Juxta Sacram Scripturam necessitas moriendi est *sequela peccati ab Adamo commissi:* **Atqui** sequela istius peccati ante ipsum peccatum non erat: **Ergo.**

Minor ex ipsis terminis liquet.—*Major* tum ex Vetere tum ex Novo Testamento probatur.

a) *Ex Vetere Testamento.* Deus praecepit Adamo: "Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris,"

id est "mortalis eris" (Gen. 2, 16, 17). Quapropter et Eva ait ad serpentem: "De fructu lignorum, quae sunt in paradiso, vescimur; de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus ne comederemus, ne forte moriamur" (Gen. 3, 2, 3). Post autem peccatum commissum Deus dixit ad Adam: "In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris. . . . Et ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum; nunc ergo ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitae et vivat in aeternum. Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis" (Gen. 3, 19–23). Haec alium sensum reapse non admittunt, nisi quod necessitas moriendi sit sequela peccati ab Adamo commissi. Quare etiam Sapiens ait: "Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. . . . Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum. Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum" (Sap. 1, 13, 23, 24).

b) *Ex Novo Testamento.* S. Paulus aperte dicit: "Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo (ideo quod) omnes peccaverunt. Usque ad legem enim (mosaicam) peccatum (personale) erat in mundo; peccatum autem (hoc) non imputabatur (in mortem), cum lex non esset (quae statueret poenam mortis in hoc peccatum). Sed (nihilominus) regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt (personaliter) in similitudinem praevaricationis Adae" (Rom. 5, 12–14). Iterum dicit: "Stipendia enim peccati, mors" (Ibid. 6, 23), "corpus quidem mortuum est propter peccatum" (Ibid. 8, 10), et "quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur" (I Cor. 15, 21, 22). Per Adae igitur peccatum mors intravit in mundum, estque istius peccati sequela. Ergo juxta tum Vetus tum Novum Testamentum protoparentes ante peccatum a necessitate moriendi immunes erant; et si non peccassent, tum ipsi tum eorum posteri ab eadem necessitate immunes permansissent.

213. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex doctrina SS. Patrum.— Juxta SS. Patres protoparentes *per donum gratiae immortales constituti erant, sed peccando illud donum amiserunt:* **Ergo** doctrinam in thesi propositam plane tuentur.

Consequens satis patet.—*Antecedens* innumeris fere textibus probari posset; sequentes tamen sufficient.

a) *S. Theophilus:* "Sic primo homini mandati transgressio id attulit, ut e paradiso ejiceretur; non quod mali quidquam inesset ligno

scientiae, sed ex peccato tamquam ex fonte in hominem fluxerunt labores, dolores, molestiae, ac denique ipsa mors'' (Ad Autol. c. 2, n. 25; MG. 6, 1092).

b) *S. Athanasius:* ''Deus non solum nos ex nihilo fecit, sed etiam divini Verbi gratia secundum Deum vivere concessit. At homines ab aeternis rebus aversi et ad res corruptioni subjectas consilio diaboli conversi, sibi ipsis corruptionis mortis auctores facti sunt; qui, ut dixi, natura quidem mortales erant, sed gratia, qua Verbi erant participes, naturae conditionem haud dubie effugissent, si boni utique permansissent'' (De Incarn. c. 5; MG. 25, 104).

c) *S. Gregorius Nyssenus:* ''Quid gratia illa dignum est invenire ad gratiarum actionem? . . . Excedit suam naturam homo, immortalis factus ex mortali, incorruptibilis ex corruptibili, sempiternus ex caduco, et in summa deus ex homine evadens'' (De Beatitudinibus Orat. 7; MG. 44, 1280).

d) *S. Joannes Chrysostomus:* ''Usque ad illam (praevaricationem) quasi angeli versabantur in paradiso, . . . non naturae necessitatibus obnoxii, sed prorsus incorruptibiles, et immortales conditi'' (In Gen. hom. 15, n. 4; MG. 53, 123).

e) *S. Cyrillus Alex.:* ''Peccatores facti sumus per Adami inobedientiam hac ratione: creatus erat in immortalitate et vita, . . . Cum vero cecidit in peccatum et corruptioni patuit, . . .'' (In Epist. ad Rom. c. 5, n. 18; MG. 74, 789).

f) *S. Cyprianus:* ''Cum in illa prima transgressione praecepti firmitas corporis cum immortalitate discesserit et cum morte infirmitas venerit, nec possit firmitas recipi nisi cum recepta et immortalitas fuerit, oportet in hac fragilitate atque infirmitate corporea luctari semper et congredi'' (De Bono Patientiae, c. 17; ML. 4, 633).

g) *S. Hilarius:* ''Jam non, sicut in Adam, donum ejus et statuta perturbabuntur, quia ille constitutae immortalitatis beatitudinem peccato transgressae legis amisit, sed per redemptionem ligni vitae, id est dominica passione, cum ipsi ligno vitae similes erimus, jam quidquid in nobis fiet aeternum est, aeternum autem cum beatitudinis sensu'' (In Ps. 1, n. 18; ML. 9, 258).

h) *S. Augustinus:* ''Constat inter Christianos, veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturae, qua nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati'' (De Civ. Dei, c. 13, n. 15; ML. 41, 387). Qualis vero fuerit protoparentum immortalitas, ita explicat: ''Illud quippe (corpus) ante peccatum et mortale secundum aliam et immortale secundum aliam causam dici poterat: id est mortale, quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori,

sicut quasdam naturas immortales creavit Deus; aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus homo creatus est immortalis; quod ei praestabatur de ligno vitae, non de constitutione naturae; a quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, qui, nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris'' (De Gen. ad litt. l. 6, c. 25, n. 36; ML. 34, 354).

214. Scholion I: Quomodo immortalitas protoparentibus collata fuerit.

Imprimis omnes theologi conveniunt hanc immortalitatem omnimode ab ea esse diversam, quae competit vel enti alicui simplici vel corpori glorioso in caelis. Hoc ita exponit *S. Thomas:* ''Aliquid potest dici incorruptibile tripliciter: uno modo ex parte materiae, eo scilicet quod vel non habet materiam, sicut angelus, vel habet materiam quae non est in potentia nisi ad unam formam, sicut corpus caeleste; et hoc dicitur secundum naturam incorruptibile. Alio modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte formae, quia scilicet rei corruptibili per naturam inhaeret aliqua dispositio, per quam totaliter a corruptione prohibetur; et hoc dicitur incorruptibile secundum gloriam. . . . Tertio modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte causae efficientis; et hoc modo homo in statu innocentiae fuisset incorruptibilis et immortalis'' (Sum. Theol. I, q. 97, a. 1).

Circa tertium hunc modum, si *solum factum* spectatur, theologi inter se satis conveniunt; sed si ulterius quaeritur, *quomodo ex parte causae efficientis ista incorruptibilitas collata fuerit,* diversas explicationes proponunt. Alii confugiunt ad qualitatem quamdam *corpoream* per totum corpus diffusam atque extensam; alii vero postulant qualitatem *spiritualem* non corpori sed animae inhaerentem, vel etiam *specialem vigorem* gratiae sanctificantis tunc proprium; alii denique nullam qualitatem intrinsecam admittunt, sed illam immortalitatem partim ex *speciali Dei protectione* et partim ex *fructu ligni vitae* repetere conantur (cf. *Suarez,* op. cit. l. 3, c. 14, nn. 9 sqq).

S. Thomas, praeter specialem Dei protectionem et fructum ligni vitae, hanc rationem assignat: ''Corpus ejus (hominis in statu innocentiae) non erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem; sed inerat animae vis quaedam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione praeservare, quamdiu ipsa Deo subjecta mansisset. Quod rationabiliter factum est; quia enim anima rationalis excedit proportionem corporalis materiae, conveniens fuit ut in principio ei virtus daretur, per quam corpus conservare posset supra naturam corporalis materiae'' (Sum. Theol. I, q. 97, a. 1).

Eodem ferme modo rem exponit *S. Bonaventura,* qui, diversas immortalitatis rationes simul complectens, ait: "Incorruptio igitur et immortalitas corporis Adae principaliter veniebat ab anima sicut a continente et influente; a corporis bona et aequali complexione sicut a disponente et suscipiente; a ligno autem vitae sicut a vegetante et adminiculante; a regimine vero divinae providentiae sicut interius conservante et exterius protegente" (Brevil. l. 2, c. 10). Fusius has rationes exponit in Commentario, II, d. 19, a. 3, q. 1.

Secundum hos igitur Doctores beneficium gratiae,quod erat naturae superadditum, per se et intrinsecus faciebat naturam immortalem, ita ut mors non posset intervenire nisi per culpam; sunt tamen qui cum *Scoto* contendant naturam permansisse simpliciter mortalem, licet absque peccato mors numquam supervenisset. Ipse *Scotus* suam mentem ita aperit: "Concedo, quod primus parens habuit potentiam ad mori. Sed cum dicunt, quod stante statu innocentiae non potuit mori, nego; et dico quod homo in statu seu stante statu innocentiae potuit mori; ista tamen potentia non fuisset reducta ad actum, et sic poterat non mori, sicut si diceretur de aliquo et vere quod potest esse episcopus, qui tamen nunquam erit episcopus, vel cujus possibilitas nunquam reduceretur ad actum. . . . Dico tamen, quod stante innocentia non accidisset mors, cujus causam assigno talem, quia quilibet fuisset translatus in paradisum antequam fuisset alteratus alteratione improportionata animae, sive formae" (In II Sent. d. 19, q. unica, nn. 3, 5).

215. Scholion II: Qualis fuerit virtus in ligno vitae.

Relate ad hanc quaestionem auctores in diversas sententias abeunt. Ita *S. Thomas* (I, q. 97, a. 4), quem inter multos alios etiam *Suarez* (op. cit. l. 3, c. 15) sequitur, docet istius ligni virtutem fuisse naturalem et limitatae dumtaxat efficaciae, ita ut ad vitam conservandam saepius sumendum esset. "Cum virtus ligni vitae esset finita, inquit, semel sumptum praeservabat a corruptione usque ad determinatum tempus; quo finito, vel homo translatus fuisset ad spiritualem vitam, vel indiguisset iterum sumere de ligno vitae" (Ibid. q. 97, a. 4). Hanc limitatam efficaciam etiam admittit *S. Bonaventura,* sed eam revocat ad virtutem supernaturalem, qua illud lignum donatum fuit (In II Sent. d. 19, a. 2, q. 2). *Bellarminus* (op. cit. c. 18) arguit ex dictis SS. Patrum et etiam ex Genesi, 3, 22, "lignum vitae eam vim habuisse, ut semel gustatum perfectam adferret immortalitatem, qualem habebimus post resurrectionem, et ideo non ante sumendum fuisse quam transferendi essent homines de statu gratiae, in quo poterant non mori, ad statum gloriae, in quo non possent amplius mori." Itaque cum Doctores inter se non conveniant, neque aliunde sive pro una sive pro altera parte certum argumentum habeatur, tota haec quaestio insolubilis esse videtur.

216. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° In Genesi, 2, 17, videtur esse sermo de morte spirituali: *Ergo* quoad immortalitatem corporalem exinde nihil inferri potest.

Resp. Est in illo textu etiam sermo de morte spirituali, *Tr.* Est ibi sermo de sola morte spirituali, vel etiam primarie illa mors significatur, *N.* Transgrediendo praeceptum Dei, protoparentes utique spiritualiter mortui sunt; sed sanctio istius praecepti erat mors corporalis, ut ex nostro argumento (n. 212 a) abunde constat.

2° *Atqui* illa sanctio non erat mors corporalis; nam dixit Deus: "In quocumque die comederis ex eo, morte morieris" (Gen. 2, 17): *Atqui* protoparentes in die comestionis corporaliter mortui non sunt: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: In quocumque die comederis ex eo, morte morieris, id est, mortalis eris et statuto tempore moriturus es, *C.* Id est, ipsissimo die comestionis actu mortem obibis, *N.* Nam textus originalis recte redditur: "Quando vel postquam comederis ex eo, moriendum tibi erit;" et hoc sensu interpretes eum satis communiter reddunt (cf. *Hetzenauer,* comment. in Gen. pp. 56, 57). Immo contextus hunc sensum evidenter postulat; post enim peccatum commissum, Deus dixit Adamo: "Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, . . . in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es" (Gen. 3, 17–19).

3° Item Sapiens prae mente habuisse videtur spiritualem protoparentum immortalitatem; dicit enim: "Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum" (Sap. 2, 23); imago autem Dei est in anima hominis, non in ejus corpore: *Ergo.*

Resp. Nego assertum eo sensu, quod Sapiens solam spiritualem immortalitatem prae mente habuerit; nam redarguit injustos dicentes hominem nihil nisi hanc brevem vitam mortalem habere, ideoque stultos esse justos eo quod turpibus hujus vitae deliciis abstineant. De hac igitur frivola philosophia Sapiens ait: "Erraverunt . . . et nescierunt sacramenta Dei. . . . Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, . . . Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum" (Sap. 2, 21–23); qui mors ex scopo scriptoris satis evidenter etiam corporalis est (cf. Pesch, n. 199 nota).

4° Eo quod mors dicitur poena peccati, jam non potuit esse in statu innocentiae: *Ergo* protoparentum immortalitas non erat donum supernaturale.

Resp. Eo quod mors dicitur poena peccati solum in statu naturae lapsae et reparatae, non potuit esse in statu innocentiae, *N.* Si etiam

dicenda esset poena peccati in statu innocentiae, *C.* Mors qua talis non est poena peccati, quia naturae compositae sibi relictae naturale est ut aliquando in sua componentia dissolvatur; sed mors est poena peccati, praecise quia cum ab initio per Dei gratiam ablata esset, per hominis peccatum in hunc mundum intravit.

ARTICULUS V

De Scientia Protoparentibus Infusa

THESIS XVIII.—Protoparentes habuerunt scientiam infusam rerum naturalium.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 94, aa. 3, 4; *In II Sent.* d. 23, a. 23, aa. 2, 3; *De Verit.* q. 18, aa. 2. 4, 6; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 23, a. 2, qq. 1, 2; Suarez, *De Opere Sex Dierum,* cc. 9, 10; Casini, *Quid est Homo?* a. 5; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 51; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 598 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 206 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 782 sqq.; 795 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 158 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 209, 210; Hurter, *Compendium,* II, nn. 322 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2, s. 2, a. 2.

217. STATUS QUAESTIONIS.—Dona supernaturalia hucusque recensita, videlicet gratia sanctificans, immunitas a concupiscentia, et corporalis immortalitas, ut ex infra dicendis clarius apparebit, in Adamo toti generi humano collata erant; quatenus nempe, si Adamus fidelis permansisset, omnes ejus posteri ab ipsa eorum nativitate hisce donis cumulati fuissent. Quaerendum nunc est, quaenam dona Adamo *personaliter* collata fuerint; sive in quantum persona *privata* erat, sive in quantum munere personae *publicae* fungebatur. Ab ipso enim suo exordio vitam propriam rite ordinare debebat, et postea respectu posterorum suorum fungi tenebatur munere praeceptoris atque rectoris. Sub utroque autem respectu, quia solus erat, speciali Dei auxilio indiguisse videtur. De hoc auxilio quaestio movetur in thesi.

218. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) Cum solus Adamus, ut in alia thesi ostendetur, constitutus fuerit *caput generis humani,* non modo *physicum* verum etiam *morale,* dum Eva ei subjecta esset, in hac quaestione non omnino eadem est ratio de utroque. Attamen quatenus dona Adamo collata vitam *privatam* spectabant, ea Evae quoque concessa fuisse censenda sunt; cum et ipsa, et quidem statim ab initio, suam vitam rite ordinare deberet. Unde nostra thesis de ambobus ponitur, licet directe quoad solum Adamum probari possit.

b) Scientia vel *acquisita* est vel *infusa.* Acquisita ea dicitur, quae *naturali facultatum usu comparatur;* infusa vero, quae *immediata*

Dei operatione in creato intellectu producitur. Hoc alterum tamen non ita accipiendum est, ac si ipse actus cognitionis formaliter sumptus a Deo produceretur; nam cum iste actus vitalis sit, ab extrinseco infundi nequit. Quare haec scientiae infusio potius in eo consistit, quod *Deus immediato suo influxu in intellectu creato producit species rerum impressas*, ope quarum intellectus proxime expeditus evadit ad ipsa objecta cognoscenda. Habitis igitur hujusmodi speciebus impressis, intellectus sua propria virtute elicit species expressas, seu ponit ipsum actum cognitionis.

c) *Duplex* scientia infusa distingui solet: infusa *per se* et infusa *per accidens*. Illa est scientia mysteriorum Dei, quae ultimo ex sola revelatione haberi potest; haec vero est scientia rerum naturalium, quae ordinarie per naturalem facultatum usum obtinetur. Proinde haec altera scientia, nempe per accidens infusa, *in se* naturalis est; quoad *modum* tamen *acquisitionis* supernaturalis est. De *hac sola scientia infusa* est quaestio in nostra thesi. Habebant quidem protoparentes etiam scientiam per se infusam, sed quae ad eam spectant jam superius (n. 195 d) exposita sunt.

d) Quaenam fuerit *perfectio* scientiae protoparentibus per accidens infusae, certis argumentis stabiliri nequit. Dicit *S. Thomas:* "Primus homo sic institutus est a Deo, ut haberet omnium scientiam in quibus homo natus est instrui. Et haec sunt omnia illa quae virtualiter existunt in primis principiis per se notis, quaecumque scilicet naturaliter homines cognoscere possunt" (I, q. 94, a. 3). Haec igitur scientia complecti videtur cognitionem omnium rerum mundanarum, quae humano intellectui hisce in terris per se non sunt imperviae; quapropter Sanctus Doctor in eodem articulo, respondendo ad tertium, dicit, "quod Adam in scientia naturalium scibilium non profecisset ad numerum scitorum, sed quoad modum sciendi; quia quae sciebat intellectualiter, scivisset postmodum per experimentum." Et hoc quidem modo veteres fere communiter loquuntur (cf. *Lombardus*, II Sent. d. 23, c. 3; *S. Bonaventura*, In II Sent. d. 23, a. 2, q. 1).

e) Haec tamen omnimoda istius scientiae perfectio recentioribus theologis parum arridet, et revera absque solida ratione affirmari videtur. Propius ad rei veritatem accedere dicendus est *Suarezius*, qui ait: "Non fuit necessarium omnium individuorum habere proprias species, quia hoc neque ad perfectionem intellectus per se pertinet neque etiam ad cognoscendam perfecte specificam essentiam multum refert, et ideo eorum tantum cognitionem accepit, quae ad usum et ad instructionem aliorum sufficerent. Reliqua vero vel per propriam experientiam cognovit, vel, si numquam sensibus occurrerunt, sine imperfectione privativa, ut vocant, ignorari semper potuerunt" (op. cit. l. 3, c. 9, n. 14). Simul tamen et ipse docet Adamum "in singulis

rerum naturis habuisse species vel phantasmata alicujus individui, vel aliquorum, quia inde perfici solet et distinctior esse speciei cognitio."

f) Neque haec, licet quodammodo moderatius posita, solide probari possunt; nam cognitio specificae omnium rerum essentiae neque ad vitam paradisaicam rite instituendam neque ad aliorum instructionem requirebatur, nec aliunde constat Adamum ea donatum fuisse. Scite animadvertit *cl. Van Noort:* "Generatim dici potest, primum hominem accepisse tantam cognitionem, quanta erat necessaria ad gubernationem vitae humanae secundum illum statum, et ut statim posset filios suos instruere ac gubernare" (op. cit. n. 209). Haec autem, quanta fuerit, "definire nequimus." Unde in hac thesi non perfectionem scientiae protoparentibus infusae determinare nitimur, sed solum infusionis factum stabiliemus.

219. **ADVERSARII.**—Huic thesi olim adversabantur *Pelagiani,* quos inter recentiores secuti sunt *Sociniani, Liberales Protestantes, Guentheriani.* Secundum eos protoparentes habebant quidem facultates cognoscitivas valde perfectas, nullam tamen rerum naturalium scientiam infusam. *Baiani* e contrario scientiam infusam admittunt, sed eam naturae innocenti debitam esse contendunt. Ad *Rationalistas* modernos quod attinet, qui scilicet omne supernaturale donum negant, jam plurimi *Materialistarum* placita propugnant, nempe primos homines fuisse barbariae addictos, et nonnisi post multa saecula vitam rationalem et socialem duxisse.

220. **NOTA.**—Thesis proponit doctrinam omnino *certam* et inter theologos *communem,* ita ut absque magna temeritate rejici nequeat.

221. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Juxta Sacram Scripturam a) Adamus ab ipso suae nativitatis exordio eam rerum naturalium scientiam habuit, *qua cunctis animantibus terrae apta nomina imponere poterat;* b) disciplina quoque intellectus *repletus* fuit; c) necnon omnium creaturarum *potens dominator* constitutus est: **Atqui** haec per scientiam naturaliter acquisitam explicari nequeunt: **Ergo.**

Minor videtur satis evidens; intellectus enim humanus ex se est tabula rasa, et ideo si jam ab ipso initio apta ad res gerendas cognitio habetur, ea non acquisita sed infusa sit necesse est.—*Major* ex ordine juxta indicatam punctorum divisionem probatur.

a) *Gen. 2, 19, 20:* "Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus, et universis volatilibus caeli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea; omne enim quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen ejus," id est, nomen conveniens, ipsius viventis naturam et proprietates exprimens. "Appellavitque Adam

nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia caeli, et omnes bestias terrae."

b) *Eccli. 17, 5-9:* "Consilium, et linguam, et oculos, et aures, et cor dedit illis excogitandi, et disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum; ut nomen sanctificationis collaudent, et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus. Addidit illis disciplinam, et legem vitae hereditavit illos." Sicut igitur Deus immediata sua operatione dedit illis "cor excogitandi," ita etiam "disciplinam intellectus et scientiam spiritus."

c) *Gen. 1, 28:* "Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus caeli, et universis animantibus, quae moventur super terram." Item, *Gen. 2, 15:* "Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum." Quomodo autem protoparentes haec praestarent, nisi scientiam rerum naturalium a Deo infusam haberent?

222. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex traditione.—Hanc traditionem unanimi ore testantur SS. Patres, ipsique Adami scientiam maxime extollunt. Ita v. g. *S. Augustinus,* qui Pelagianos ita redarguit: "Neque secundum Christianam cogitatis fidem, qualis sit factus Adam, qui universis generibus animarum vivarum nomina imposuit; quod excellentissimae fuisse indicium sapientiae in saecularibus etiam libris legimus. Nam ipse Pythagoras, a quo philosophiae nomen exortum est, dixisse fertur illum fuisse omnium sapientissimum, qui vocabula primus indidit rebus. Et quis dubitet Christianus, eos qui in hoc saeculo erroribus aerumnisque plenissimo ingeniosissimi apparent, quorum tamen corruptibilia corpora aggravant animas, si illius ingenio comparentur, distare longe amplius quam celeritate a volucribus testudines distant?" (Opus Imperf. contra Julianum, c. 5, n. 1; ML. 45, 1432).

Item *S. Cyrillus Alex.:* "Primus pater Adam, non in tempore, sicut nos, sapientiam consecutus esse videtur, sed statim a primis ortus sui temporibus perfectus in intelligentia ostenditur, illuminationem a Deo naturaliter (id est, ab ipsa nativitate) datam illibatam et puram in se ipso servans, et integram habens naturae dignitatem" (In Joan. c. 1, n. 9; MG. 73, 128).

Item *S. Joannes Chrysostomus:* "Vide hic, quomodo cum ineffabili illa sapientia, ei (Adamo) a Deo suppeditata, cujus nobis indicia demonstrata sunt per nominum impositionem, quae tot brutorum animantium generibus indidit, et propheticam gratiam acceperit" (Hom. 15 in Gen. n. 3; MG. 53, 122).

223. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex unanimi consensu theologorum.—Praeter argumenta ex Sacris Litteris derivata, theologi sequentes fere rationes adducere solent, quibus ex ipsa rei congruitate suam sententiam confirmant. *Prima,* quaecumque opera Deus immediate producit, juxta eorum status indigentiam perfecte facit; jam vero Adamus in statu adultae aetatis creatus est, et ad perfectionem hominis adulti rerum naturalium scientia pertinet; et ideo haec scientia, etsi quoad modum naturae indebita, Adamo convenienter immediate a Deo infusa est. *Altera,* Adamus ab aliis instrui non potuit, quia solus erat; si igitur sibi relictus rerum scientiam acquirere debuisset, per longum tempus in magna ignorantia versatus esset, multisque erroribus obnoxius fuisset; haec vero ad felicissimum illum statum minime quadrarent. *Tertia,* Adamus brevi post suam creationem fungi debebat munere instructoris, neque ex se solo ad hoc munus apte implendum capax erat; ideo sicut Deus eum aptum prolis genitorem creavit, ita eum quoque per scientiae infusionem aptum prolis instructorem constituit (cf. *Suarez,* op. cit. l. 3, c. 9, nn. 4, 5).

224. **Scholion I: Num protoparentes errare potuerint.**

Ad hanc quaestionem theologi fere communiter negative respondent, suamque doctrinam hac in re menti SS. Patrum conformem esse contendunt. Rem ita exponit *S. Thomas:* "Quidam dixerunt quod in nomine deceptionis duo possunt intelligi: scilicet qualiscumque existimatio levis, qua aliquis adhaeret falso tanquam vero, sine assensu credulitatis; et iterum firma credulitas. Quantum ergo ad ea quorum scientiam Adam habebat, neutro istorum modorum homo decipi poterat ante peccatum; sed quantum ad ea quorum scientiam non habebat, decipi poterat, large accepta deceptione pro existimatione qualicumque sine assensu credulitatis. Quod ideo est dictum, quia existimare falsum in talibus non est noxium homini, et ex quo temere assensus non adhiberetur, non est culpabile.

"Sed haec positio non convenit integritati primi status; quia ut Augustinus dicit, 14 de Civitate Dei, cap. 10, ante med., 'in illo statu erat devitatio tranquilla peccati, qua manente nullum malum omnino esse poterat.' Manifestum est autem quod sicut verum est bonum intellectus, ita falsum est malum ejus. Unde non poterat esse quod, innocentia manente, intellectus hominis alicui falso acquiesceret quasi vero. Sicut enim in membris corporis primi hominis erat quidem carentia perfectionis alicujus, puta claritatis, non tamen aliquod malum inesse poterat; ita in intellectu poterat esse carentia notitiae alicujus, nulla tamen poterat ibi esse existimatio falsi. Quod etiam ex ipsa rectitudine primi status apparet, scilicet quod quamdiu anima maneret Deo subdita, tamdiu in homine inferiora superioribus subderentur. Manifestum est autem ex praemissis, quaest. 85, art. 6, quod intel-

lectus circa proprium objectum semper verus est; unde ex seipso nunquam decipitur; sed omnis deceptio accidit in intellectu ex aliquo inferiori, puta phantasia, vel aliquo hujusmodi. Unde videmus quod quando naturale judicatorium non est ligatum, non decipimur per hujusmodi apparitiones, sed solum quando ligatur, ut patet in dormientibus. Unde manifestum est quod rectitudo primi status non compatiebatur aliquam deceptionem circa intellectum'' (I, q. 94, a. 4).

Plerique tamen recentiores illam quasi absolutam primi status perfectionem addubitant. Bene notat *Hurter:* ''Cavendum omnino videtur, ne ita extollamus illum statum, ut peccandi possibilitas vix explicari possit, eumque confundamus cum statu termini vel angelorum conditione. Ratione habita narrationis de lapsu Evae Gen. 3, 1 ss., vix tibi persuadebis, eam ante lapsum fuisse immunem a possibilitate erroris et peccati venialis, cum tam familiaris et continuata conversatio cum seductore aperte provocante ad inobedientiam contra Deum nondum quidem fuerit ipse lapsus, certe tamen non laudabilis neque immunis a quavis erroris circa ipsum serpentem culpaeque umbra'' (op. cit. n. 333, schol. 2).

225. Scholion II: Num prima lingua, qua scilicet protoparentes usi sunt, a Deo revelata fuerit.

Cum in Sacris Litteris enarretur Adamum jam ante Evae creationem apta animantibus terrae nomina imposuisse, multis visum est primam linguam fuisse Adamo a Deo revelatam, ita ut cuilibet mentis conceptui conveniens rei nomen sponte responderet. Hanc autem linguam fuisse Hebraeam, iidem auctores tueri solent. Ita v. g. *Pererius,* qui ait: ''Animadvertendum est Adamum non modo scientiam rerum a Deo accepisse, sed linguam etiam perfectam, qua et loqueretur ipse et secum loquentem Deum intelligeret, qua usus est Deus, cum dixit Adamo et Evae: Crescite et multiplicamini, et quae deinceps sequunter ad finem usque istius capitis. . . . Lingua vero, quam a primo habuit Adam, et secundum quam imposuit animalibus nomina, concessu omnium Hebraea fuit'' (In Gen. 2, 20). Haec sententia saeculis anteactis tam inter Catholicos quam inter Protestantes valde communis erat, et etiamnum suos defensores habet; saltem si sola istius primitivae linguae revelatio spectatur, quin scilicet simul asseratur illam linguam a Deo revelatam fuisse Hebraicam.

Haec tamen theologorum sententia a mente SS. Patrum satis aliena videtur, qui videlicet inventionem linguae ipsi Adamo adscribere solent. Ita v. g. hac de re argumentatur *S. Gregorius Nyssenus:* ''Quemadmodum, motricem animali facultatem Deus cum dedit, non amplius singulos gressus efficit; semel enim principium ab eo, qui fecit, adepta natura se ipsam movet et deducit, quemcumque libet motum efficiens (nisi quod gressus hominis a Deo dirigi dicuntur); sic posse loqui

et sonos edere et per vocem voluntatem enuntiare a Deo cum accepit, viam pergit actu natura, signa quaedam rebus certa quadam sonorum differentia imponens. Et haec sunt, quae a nobis dicuntur verba et nomina, quibus rerum vim significamus, . . . divina autem voluntate res, non nomen nascitur'' (Cont. Eunom. l. 12; MG. 45, 991). Simili fere modo arguit *S. Basilius* (Adv. Eunom. l. 2, n. 4; MG. 29; 578), et *S. Augustinus* (De Ordine, l. 2, c. 12, n. 35; ML. 32, 1011 sqq.).

Et hanc SS. Patrum doctrinam recentiores theologi pro maxima fere parte tuentur, eamque rationibus congruentiae suadere conantur. Rem optime exponit *cl. Pesch*, qui ait: ''Itaque videtur Adam natura duce primam linguam produxisse. Deus ei non sola organa dederat ad sonos articulatos proferendos apta, sed praeterea infuderat ei scientiam, qua non objecta tantum extra se posita cognosceret, sed etiam intellegeret se posse his vel illis sonis haec objecta apte significare; et tandem occasionem ei praebebat hanc facultatem exercendi loquendo cum ipso, adducendo animalia, ut iis nomina imponeret, creando ei adjutorium simile ipsi, ita stimulando naturalem inclinationem, quae homini ut animali rationali inest, sensibilibus signis conceptus suos repraesentandi et cum aliis communicandi. Non erat quidem haec primitiva lingua essentialiter alia atque nostra, sicut neque cognitio, cujus signum erat; secundum modum tamen erat multo perfectior, quatenus non habebat vocabula, quorum nexus cum re significata erat plane ignotus, sicut nos plerumque nescimus, cur arborem vocemus arborem et mare mare et similiter de aliis. Itaque primis temporibus vocabula erant signa multo minus arbitraria, quamvis nunc non jam possimus determinare, secundum quam normam primitus certa signa electa sint ad certas res significandas. Primitiva igitur lingua, licet ex una parte fuerit minus arbitraria et magis perspicua quam nostra, ex altera parte sine dubio non statim ab initio habuit omnem illam elegantiam grammaticam et venustatem stilisticam, quam linguae ex diuturna cultura acquirere solent, et sub hoc respectu ulterioris perfectionis capax erat'' (op. cit. n. 216).

226. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Argumento ex Genesi desumpto thesis non videtur probari; nam sicut Adamus ex revelatione cognovit naturam, scopum et proprietates matrimonii (cf. Gen. 2, 23, 24 et Mt. 19, 4, 5), ita etiam ex revelatione cognoscere potuit nomina animantibus imponenda, quin ipsorum animantium naturae scientiam haberet: *Ergo.*

Resp. Res ita peragi potuisset, *C.* Res ita peracta est, *N.* Nam in textu clare edicitur nomina non fuisse a Deo imposita sed ab Adamo, et quidem ex scientia quam ipse de animantibus habebat; etenim Deus ''adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea; omne enim quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen ejus'' (v. 19).

2° SS. Patres et veteres scholastici scientiam Adami praeter modum exaggerant: *Ergo* eorum auctoritas hac in re nihil valet.

Resp. Transmitto antecedens, et nego consequens. Nam objecta exaggeratio non talis est, ut veritas infusionis simul cum ea stare nequeat. Siquidem perfectionem istius scientiae infusae propria speculatione deducunt, factum infusionis ex Sacris Litteris desumunt vel ex mente Ecclesiae derivant.

3° Doctrina de infusa ista scientia non quadrat ad facta historice certa: *Ergo* non est admittenda. *Antecedens* autem statim sic probatur: Historice constat diversas gentes, de quibus aliquam notitiam habemus, lapsu temporis e barbarismo in statum altioris civilizationis adductos fuisse; jam vero si protoparentes donati fuissent scientia rerum naturalium a Deo infusa, immediati eorum posteri magnam earundem rerum scientiam habuissent, ideoque nullus unquam barbarismo locus fuisset: *Ergo.*

Resp. Nego antecedens, et ad probationem antecedentis dico: Historice constat diversas gentes, de quibus aliquam notitiam habemus, e barbarismo in statum altioris civilizationis adductos fuisse, cui tamen barbarismo jam alius status civilizationis antecesserit, *Tr.* Qui barbarismus fuerit illarum gentium status primitivus, *N.* Haec objectio a *Rationalistis* atque *Materialistis* movetur, qui cortici rerum inhaerentes quaelibet facta historica per fas et nefas ad sua placita trahunt. Multi utique sunt populi, qui aliquando in barbariem consopiti postea ad statum civilizationis pervenerunt, non proprio tamen impulsu sed a causis extrinsecis permoti; at simul etiam fere semper ulteriore rei investigatione invenitur, eos ab aliquo civilizationis centro in regiones longinquas profectos fuisse, ubi tandem propter aeris intemperiem vel terrae sterilitatem vel alias ob causas in deteriorem statum redacti sunt. Unde periti fere inter se conveniunt, homines etiam sat excultos sub hisce adjunctis sua sponte gradatim in barbariem declinare, in eaque permanere, nisi postea forte per causas extrinsecas, puta missionarios, ex isto sopore excitentur.

Hanc rem optime exponit *Argyll* (Primeval Man, p. IV), cujus dicta Latino idiomate ita refert *cl. Tanquerey:* "Nihil ex historia naturali certius quam hominem moraliter, intellectualiter et physice descendere posse, et reapse saepe saepius ex superiori statu ad inferiorem descendere. Hoc de homine in genere et de quolibet in specie, de individuis et de societate verum est. Nonnullae in orbe terrarum regiones sunt quae exstinctae civilitatis reliquiis adhuc teguntur. Nonnullae tribus rudes et barbarae templorum ruinas, quorum destinationem agnoscere nequeunt, et urbium quae belluis refugium sunt, attonitis oculis aspiciunt. . . . Quaenam igitur rerum vicissitudines primario, juxta consuetum naturae cursum, effectus adeo

humano generi aerumnosos gignere potuerunt? . . . Ex individuorum multiplicatione hoc factum est, unde migrationis necessitas. Equidem debiliores tribus e regione quae incolis abundat, expelluntur; et quoniam regiones ubi se recipiunt, minus hospitales ac minus fructiferae sunt, lucta pro vita ibi difficilior evadit. Itaque facto evenit ut, in ordinario rerum cursu, stirpes longissime e centro depulsae rudiores et vitae tantum materialis studio maxime incumbentes fiant'' (Synopsis Theol. Dogm. Spec. II, p. 362, nota). *Cf. Guibert,* In the Beginning, c. 7, sect. 6, pp. 366 sqq.

ARTICULUS VI

ASSERTUM. — Protoparentes ante peccatum vitam agebant summe felicem.

227. Cum hoc assertum solum magis explicite ponat quasdam protoparentum vitae conditiones, quae in thesibus modo probatis jam implicite continentur, hic non tam probatione quam potius expositione opus esse videtur; et ideo citra consuetam theseos formam tota haec res absolvi potest. Externae primi status conditiones partim saltem ex donis supernaturalibus superius recensitis profluebant. Haec enim dona, immunitatis videlicet a concupiscentia et a necessitate moriendi, necnon scientiae infusae, etsi primarie ad vitam internam ordinata erant, suum tamen influxum in vitam quoque externam habuisse censenda sunt; praesertim cum protoparentes ratione immortalitatis corporalis speciali Dei providentia protegerentur. Huc accedit etiam illud intimae amicitiae vinculum, propter quod Deus pro ineffabili sua bonitate eos, ad propriam suam imaginem creatos, singulari in omnes creaturas dominationis potestate cumulasse enarratur. Omnis creationis dominatores ab ipso Creatore constituti, a qualibet re creata tributum felicitatis exigere valebant.

Hoc fere sensu ea intelligenda videntur, quae in Genesi de paradiso a Deo plantato commemorantur. Nimirum: ''Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio; in quo posuit hominem quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave; lignum etiam vitae in medio paradisi, lignumque scientiae boni et mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, . . . Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum'' (Gen. 2, 8-16).

228. Erant quidem qui hanc narrationem mystice interpretandam esse censerent (cf. *Suarez,* op. cit. l. 3, c. 6, nn. 1-4), at eam sensu historico accipiendam esse omnino certum est. Qua de re notat

Suarezius: "Sententia Catholica est paradisum, quem Deus in principio plantavit, fuisse locum terrestrem, et ea, quae de illius creatione dicuntur, cum proprietate et ad litteram esse intelligenda. Haec assertio est de fide, et probatur primo ex Scriptura, quia, ut saepe in praecedentibus dictum est et in hoc puncto dixit optime D. Thomas, 1. p., q. 102, art. 1, quae de hoc paradiso in Scriptura dicuntur, per modum historicae narrationis proponuntur; sed in his quae Scriptura sic tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiae; alias nihil esset in Scriptura certum: ergo ita est accipienda narratio Genesis de paradiso. Potestque hoc confirmari in particulari ex circumstantiis et verbis ejusdem historiae. Nam imprimis cum Moyses narrasset creationem hominis, volens etiam creationem mulieris, quae ad conservationem et propagationem speciei humanae ordinabatur, referre, interposuit loci productionem, quem Deus homini praeparaverit ad individui conservationem et sustentationem, et ad corporalem hanc vitam convenienter transigendam: ergo sine dubio loquitur de loco corporeo, in quo erant arbores sensibiles, et ferentes fructus aptos ad cibum et sustentationem hominum" (loc. cit. n. 5). Quanam praecise mundi plaga paradisus locatus fuerit, jam nunc determinari nequit; quae magis hac de re scitu digna sunt, vide sis apud *cl. Pesch* (op. cit. n. 217).

229. Vitam paradisaicam ita describit *S. Augustinus:* "Vivebat itaque homo in paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat quod Deus jusserat; vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus; vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitae, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore nullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus aestus aut frigus, sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accidebat bonae voluntatis offensio" (De Civ. Dei, l. 14, c. 26; ML. 41, 434). A quolibet igitur malo defensus, omnique rationabili bono cumulatus, primus homo Deo subditus felicissimam in paradiso degebat vitam. Vere haec illa "aurea aetas" erat, cujus recordatio apud tot gentes invenitur.

230. Neque tamen protoparentes in illo horto voluptatis ab omni labore liberi erant; nam Deus posuit Adamum in paradiso, "ut operaretur et custodiret illum" (Gen. 2, 15). Attamen ille labor non onerosus erat, sed facilis et jucundus ad convenientem occupationem ordinatus. Qua de re ait *S. Chrysostomus:* "Etiam hoc magnae curae et providentiae nostri argumentum est. Nam cum omnibus deliciiis potirentur ibi vitam agentes, tam oblectamentis eorum quae videbant, quam laetitia

eorum quibus fruebantur; ut ne immodica prosperitate homo insolesceret (omnem enim malitiam docuit otium), propterea praecepit Deus ut operaretur illum et custodiret. Quid autem, dicit aliquis, illius cura indigebat paradisus? Non hoc dico, sed voluit ut parvam quamdam sibique congruam gereret curam partim custodiendo, partim operando. Si enim laboris omnis fuisset expers, protinus ex multo otio in ignaviam delapsus esset; nunc vero in operatione occupatus, quae neque dolorem neque molestiam adferret, moderatior utique atque continentior esse debuit" (Hom. 14 in Gen.; MG. 53, 116). Cf. *S. Thomas,* I, q. 102, a. 3.

231. Haec autem protoparentum vitae felicitas, statu gratiae ab Adamo servato, ad omnes eorum posteros transiisset; et quidem una cum aliis donis istius status, praeter utique scientiam infusam rerum naturalium, loco cujus haberetur scientia naturaliter acquisita. Unde homines in illo statu nascituri erant gratia sanctificante ornati, immunes a concupiscentia et immortales; non praecise vi hereditatis ex Adamo, sed potius ratione primitivae donationis a Deo toti generi humano in Adamo facta (cf. *Suarez,* op. cit. l. 5, c. 8). Sunt etiam qui dicant homines tunc nascituros fuisse confirmatos in gratia, ideoque omnes futuros fuisse praedestinatos; utrumque tamen communius negatur, quia absque ratione asseritur posteros habituros fuisse quod non etiam ipsi Adamo collatum fuit (cf. ibid. c. 9). Respectu igitur donorum supernaturalium omnes Adae posteri futuri erant aequales, non vero etiam respectu perfectionis naturalis et meriti bonis operibus acquisiti; sicut enim nunc quoad utrumque magna inter homines diversitas intercedit, ita etiam tunc similis quaedam inter eos diversitas intercessura credenda est (cf. ibid. c. 5).

232. Denique in statu innocentiae futura erat societas, quia homo naturaliter est animal sociale; quapropter tum domestica societas tum politica in illo statu admittenda est. Attamen quamdiu omnes Adae posteri justitiam servassent, non adfuisset dominatio herilis sed quasi paterna dumtaxat, qua vel patresfamilias propriam domum vel homines scientia et virtutibus conspicui membra communitatis suaviter efficaciterque in bonum commune dirigerent. Si autem quidam peccassent et malefactores exstitissent, in eos non paterna tantum sed etiam herilis dominatio exercenda fuisset, ita ut poenis coacti sese ad meliorem frugem reciperent. Cf. *S. Thomas,* I, q. 96; *Suarez,* op. cit l. 5, c. 7. Illam societatem simul etiam futuram fuisse religiosam, ad debitum scilicet Dei cultum ordinatam, per se patet.

233. **Scholion I: De justitiae originalis significatione.**

Ille felicissimus innocentiae status, quem modo descripsimus, a theologis *justitia originalis* vocari solet; tamen de objectiva istius

termini significatione non uniformis est theologorum modus loquendi. Illi enim qui negant Adamum fuisse in statu gratiae sanctificantis creatum, per originalem justitiam intelligunt *habitus quosdam infusos, ope quorum usque ad gratiae susceptionem recte ordinatus et a quavis mala concupiscentia immunis existeret*, qui deinceps habitus una cum gratia sanctificante permanserint. Secundum eos igitur justitia originalis et gratia sanctificans ita distinguuntur, ut prima actu separata esset ab altera. Ita fere post *Magistrum* (II Sent. d. 24, c. 1), *Alexander Halensis* (Sum. II, q. 91, m. 1, a. 1), *S. Bonaventura* (In II Sent. d. 29, a. 2, q. 2), *Scotus* (In II Sent. q. 29, n. 7), et alii.

Qui vero tuentur Adamum in statu gratiae sanctificantis creatum fuisse, consonanter docent justitiam originalem complecti gratiam sanctificantem cum omnibus donis praeternaturalibus superius recensitis, necnon cum actuali Dei auxilio et conditionibus status innocentiae externis. Juxta eos igitur principale atque formale elementum originalis justitiae fuit *ipsa gratia sanctificans, ex qua ratione congruentiae alia quaecumque dona gratuita tunc profluebant.* Ita ipse *S. Thomas,* qui ait: "Erat enim haec rectitudo (primi status) secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animae corpus. Prima autem subjectio erat causa secundae et tertiae. Quamdiu enim ratio manebat Deo subjecta, inferiora ei subdebantur. . . . Manifestum est autem quod illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem non erat naturalis; . . . Unde manifestum est quod et illa prima subjectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiae" (I, q. 95, a. 1). Et iterum: "Cum originalis justitia primordialiter consistat in subjectione humanae mentis ad Deum, quae firma esse non potest nisi per gratiam, justitia originalis sine gratia esse non potuit" (De Malo, q. 5, a. 1 ad 13). Haec sententia multo communior est, atque menti *Concilii Tridentini* (sess. 5, can. 1) quodammodo conformior (cf. *Suarez,* op. cit. l. 3, c. 20).

234. Scholion II: Num status naturae purae fuerit possibilis.

Hac de re lapsu temporis multi exorti sunt errores, ad quos refellendos imprimis clare exponi debet, qualemnam statum naturae purae intelligamus. *Primo* igitur per statum naturae purae non intelligimus eum statum in quo essemus, si nunc quolibet dono supernaturali privaremur; hic enim esset status naturae lapsae, in quo per Adae praevaricationem secundum animam et corpus in deterius mutati nascimur. Hoc utique sensu "Deus non potuisset talem ab initio hominem creare, qualis nunc nascitur" (*Baii,* prop. 55; DB. 1055); quia quaedam ex illis donis substituta fuerunt pro aliis quibusdam naturalibus, quae homo in statu naturae purae habuisset; ideoque donis

supernaturalibus subtractis et naturalibus non restitutis, mancus talis homo nunc existeret.

Deinde neque per statum naturae purae illam vitae conditionem intelligimus, in qua homo omnia quidem et sola sibi naturaliter debita haberet, sed simul ad supernaturalem finem destinatus esset; assecutio enim finis supernaturalis absque gratiae mediis juxta ordinariam Dei providentiam impossibilis est, et in tantum hujusmodi vitae conditio contradictionem implicaret.

Demum neque illam vitae conditionem per statum naturae purae intelligimus, in qua homo omnia naturaliter debita habens, et ad finem naturalem destinatus, tamen ita sibi relictus esset, ut absque omni speciali Dei adjutorio totam naturae legem servare et sic ultimum suum finem propriis solum viribus assequi deberet. Cum enim neque nunc sine gratiae auxilio totam legem naturalem diu servare possit, id neque tunc sine aliquo speciali Dei auxilio posset; illud tamen auxilium non gratuitum esset sed debitum, ideoque naturale.

Quare per statum naturae purae eam vitae conditionem intelligimus, in qua homo habet *omne et solum quod ei debetur, et quidem ut naturaliter bene esse et efficaciter operari possit.* "Ejus ergo notio duobus absolvitur, quorum alterum est negans, alterum affirmans. Negans est exclusio eorum omnium quae ad naturae constitutionem non spectant, et eorum quae non exiguntur ab eadem ne frustra sit, cujusmodi sunt gratia sanctificans, atque destinatio ad ipsam, finis supremus in visione Dei consistens, caritas ceteraeque virtutes infusae, auxilium gratiae, immunitas a concupiscentia, immortalitas, et immunitas a malis physicis. Item ad negans elementum spectat exclusio peccati, quod a propria voluntate non oriatur et quo quis inquinatus reperiatur simul ac existit. Affirmans est existentia omnium proprietatum et facultatum quibus animal rationale absolvitur, cum iis omnibus quae necessaria sunt ut facultates ipsius valeant exerceri, cujusmodi sunt finis naturae proportionatus, Dei concursus, et similia. Homo naturam ita sortitus dicitur esse in statu purae naturae" (*Palmieri,* op. cit. thes. 47, n. 1).

Insuper "non esset contra hujus status indolem bonarum cogitationum excitatio immediata Dei in hominem operatione, beneficiorum impetratio, peccatorum remissio intuitu poenitentiae naturalis etc. Qualis vero fuisset providentiae divinae ratio, quae media etc., accuratius determinari nequit; satis est ea relinquere divinae sapientiae" (*Hurter,* op. cit. n. 348).

Hujusmodi statum plane possibilem esse satis manifestum videtur, cum dona ei negata omnem hominis naturalem capacitatem et exigentiam excedant, ideoque ei non modo indebita sint verum etiam ad ejus naturale bene esse non requirantur. Nihilominus hujus status

possibilitatem tum *Novatores* tum etiam *Baiani* infitiabantur; illi quidem quia originalem justitiam ad ipsam humanam naturam pertinere dicebant, hi vero quia supernaturalia originalis justitiae dona naturae innocenti debita esse volebant, ita ut Deus homini ante peccatum haec dona denegare non posset. Uterque tamen error ab Ecclesia damnatus est (cf. DB. 1055); et ideo quatenus nostra doctrina hisce erroribus opponitur, certe admittenda est.

Alia vero ratione statum naturae purae impossibilem esse docuerunt recentiores quidam theologi, praesertim ex *Schola Augustinianorum,* ut *Card. Norisius, Berti, Belleli,* quos plus minus secuti sunt *Hermes, Guenther,* et alii. Illi ponere videntur in homine naturalem appetitum visionis beatificae, quem utique Deus frustrare potest potentia sua absoluta, non vero potentia sua ordinata; et ideo licet secundum eos visio beatifica sit supernaturalis, et supernaturalia etiam sint media ad eam consequendam necessaria, tamen juxta ordinatam Dei potentiam finis hominis solum in illa visione consistere potest. Cum vero in statu naturae purae hujusmodi finis haberi nequeat, ille status secundum ordinatam Dei potentiam manifeste impossibilis est.

Potentiam autem Dei ordinatam eam intelligunt, quae operatur *conformiter ad alia divina attributa,* puta bonitatem; absolutam vero eam dicunt, quae abstrahendo ab aliis attributis solum *in se* consideratur. Si igitur Deus operetur solum secundum leges et rigorem justitiae, status naturae purae possibilis est; si vero in operando rationem habeat suae bonitatis, decentiae, vel etiam congruitatis, ille status impossibilis dicendus est. Jam vero haec distinctio omnino futilis est, cum Deus nullam potentiam habeat faciendi quidquam quod ejus bonitati vel sapientiae vel cuilibet alii attributo non sit conforme. Possunt quidem in Deo distingui potentia *absoluta* et *ordinata,* sed solum *relate ad aliquem determinatum ordinem libere decretum.* Absque relatione ad illud decretum, Dei potentia dicitur *absoluta;* et cum relatione ad illud decretum, *ordinata* dicenda est. Insuper illud fundamentale assertum, homini inesse naturalem appetitum visionis beatificae, admitti nequit; quia ad illud quod totum ordinem naturalem superat, nulla creatura per positivam inclinationem tendere valet. Totam hanc quaestionem clare expositam et bene solutam invenies apud *Palmieri* (op. cit. thes. 47, n. 2).

SECTIO V

De Peccato Originali

ARTICULUS I

De Lapsu Protoparentum

THESIS XIX.—Protoparentes, transgrediendo Dei praeceptum, grave peccatum commiserunt; hoc autem peccato commisso, justitiam originalem perdiderunt.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* II. II, qq. 103–105; *In II Sent.* d. 22, q. 1, aa. 1, 3; d. 29, q. 1, a. 5; *De Malo*, q. 15, a. 4; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 22, a. 1, qq. 1, 2; a. 2, q. 1; Scotus, *In II Sent.* d. 22, q. unica; Suarez, *De Opere Sex Dierum*, l. 4, cc. 1–7; Bellarminus, *De Amissione Gratiae et Statu Peccati*, l. 3; Hetzenauer, *Comment.* in libr. Gen. pp. 66 sqq.; Hummelauer, *Comment. in Gen.* pp. 150 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante*, thes. 65; Pesch, *Praelect.* III, nn. 228 sqq.; Muncunill, *De Deo Creante*, nn. 639 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante*, nn. 193 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante*, nn. 898 sqq.; Hurter, *Compend.* n. 354; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature*, p. 2, c. 2, s. 3, aa. 1, 2.

235. **STATUS QUAESTIONIS.**—Deus per gratiae sanctificantis infusionem elevavit hominem ad statum supernaturalem, eique dedit media necessaria ad finem humana natura essentialiter superiorem feliciter assequendum. Cum tamen homo supernaturaliter elevatus liber maneret, potuit sese a fine suo ultimo avertere, sicque se positive indignum reddere Dei benevolentia ejusque donis gratuito concessis. *Talis aversio a fine ultimo esset peccatum mortale*, gratiae sanctificantis destructivum, non quidem efficienter sed exigitive, ut in tractatu de gratia explicatur. Protoparentes de facto peccasse, transgrediendo Dei praeceptum, historice certum est; qualenam vero fuerit illud peccatum, et quaenam inde inductae sint sequelae tum respectu ipsorum tum etiam respectu totius generis humani, in thesibus modo exponendis investigare suscipimus.

236. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Lapsus protoparentum in tertio capite Geneseos narratur; illud autem caput eo saltem sensu litteraliter accipi debet, quod ibi habetur narratio quaedam *vere historica*. Hoc constat rationibus tum *intrinsecis* tum *extrinsecis*. Rationibus quidem *intrinsecis*, quia imprimis facta in eo commemorata simpliciter ut objective vera enarrantur; dein vero totum hoc caput

est introductio quaedam ad leges postea ferendas, et qua tale non potest esse pia fabula, ut dictitant critici rationalismo infecti. Unde et ipsa Sacra Scriptura, tum in Vetere tum in Novo Testamento, eo modo Adami lapsum refert, ut de historicitate istius narrationis nullum dubium esse possit (cf. Eccli. 25, 23; II Cor. 11, 3; I Tim. 2, 14). *Extrinsecis* vero rationibus, quia non tantum SS. Patres totam hanc narrationem ut vere historicam semper habebant, sed ipsa quoque Ecclesia ejus historicitatem explicite declaravit (cf. *Resp. Commissionis de re Biblica*, 30 Junii, 1909; DB. 2121–2123).

b) Est in thesi quaestio de peccato *personali* Adami et Evae. Hoc autem peccatum, quatenus ab Adamo commissum, dicitur peccatum *originale originans:* in quantum scilicet ortum dederit peccato in ipsius posteris, quod propterea vocatur peccatum *originale originatum.* Qua ratione hoc peccatum posteris Adae insit, et quomodo in eos transfundatur, in thesibus infra ponendis exponetur. Haec thesis de solo personali protoparentum peccato procedit.

c) Omne peccatum voluntariam quamdam a lege divina deviationem continet, secundum quam ipse actus peccaminosus vel *grave* vel *leve* peccatum constituit. Peccatum est *grave,* si legis trangressione tollitur conversio voluntatis ad Deum finem ultimum; et est leve, si legis transgressione Deus quidem offenditur, ipsa tamen offendentis voluntas ad Deum finem ultimum conversa manet. Utrum determinatum aliquod peccatum grave sit an leve, colligendum est ex *tribus:* nempe ex *legis obligatione,* ex *transgredientis scientia,* ex *actus deliberatione.* Si lex obligat sub gravi, et si transgressor plenam hujus obligationis scientiam habet, et simul deliberate agit, eo ipso gravis peccati reus existit. Quando vero unum ex his tribus deest, per se leve dumtaxat peccatum committit. Quare ut ostendatur protoparentes transgrediendo Dei praeceptum graviter peccasse, evinci debet gravis istius praecepti obligatio, plena eorum scientia hujus obligationis, et deliberata ejusdem praecepti violatio. Altera et tertia conditio ex se satis intelliguntur; prima tamen, seu legis vel praecepti obligatio ulterius exponenda est.

d) In legibus humanis gravitas obligationis communiter colligitur ex legis *materia,* ex ejus *fine,* et ex *sanctione adjecta;* vel etiam ex *solemnitate* qua aliqua lex fertur. Haec enim ordinarie ostendunt, qualem obligationem legislator subditis suis imponere velit. Idem etiam valet quoad leges divinas, nisi quod Deus etiam in materia *de se levi* legem *graviter* obligantem ferre possit. Est enim Deus legislator supremus, qui in legibus ferendis vel praeceptis imponendis sibi ipse est rectitudinis norma. Igitur in legibus divinis gravitas obligationis non semper ex ipsa legis materia, sed potius ex legis fine, ex sanctione adjecta, et ex solemnitate qua lex fertur, repetenda est. Quae si magni

momenti sint, lex a Deo lata gravem obligationem imponit, etiamsi materia legis de se levis sit.

e) *Duo* asserimus in hac thesi: *primum* quidem, protoparentes, transgrediendo Dei praeceptum, graviter peccasse; *alterum* vero, eos hoc gravi peccato commisso perdidisse justitiam originalem. Justitia autem originalis, ut superius (n. 233) ostensum est, complectebatur gratiam sanctificantem, virtutes infusas, immunitatem a concupiscentia et a necessitate moriendi, necnon scientiam tum per se tum per accidens infusam; et cum his omnibus simul etiam, saltem ex consequenti, connexa erat summa vitae felicitas. Attamen non contendimus protoparentes haec omnia et singula dona perdidisse; nam imprimis absque ratione assererctur eos amisisse *scientiam per accidens infusam,* cum ista scientia in se naturalis esset. Deinde per Dei misericordiam, et intuitu futurae redemptionis, forte etiam servaverunt *fidem* et *spem,* quippe quae neque nunc amittuntur nisi per peccatum eis directe oppositum. Amiserunt tamen *gratiam sanctificantem, virtutem caritatis, integritatem naturae, immortalitatem corporalem, et felicitatem vitae.* Hisce autem amissis, *ipsa justitia originalis* perdita erat.

237. **ADVERSARII.**—Thesi directe adversantur *Rationalistae* et *Modernistae,* qui contendunt narrationem de protoparentum lapsu esse poeticam quamdam illius veritatis repraesentationem, quod homines sua libertate abutendo Deum offendunt, et propria sua actione in deterius mutantur. Negant igitur in illa narratione agi de speciali aliquo peccato, quo originalis justitia, quam ceteroquin non admittunt, amissa fuerit. Erant etiam quidam inter *Novatores,* qui negabant protoparentes peccasse, aut comedendo ex ligno vetito sibi nocuisse; quia, aiebant, Deus eis non imposuerat stricti nominis praeceptum, sed tantum admonitionem quamdam, cum juxta Apostolum (I Tim. 1, 9) lex justo non sit posita (cf. *Bellarminus,* op. cit. l. 3, c. 1).

Hanc thesim olim quoque impugnabant *Pelagiani,* sed solum quoad alteram partem; admittebant enim protoparentes peccasse eosque sibi nocuisse, non tamen hoc peccato amisisse originalem justitiam seu dona supernaturalia, quippe quae dona *Pelagiani* non admittebant.

238. **NOTA.**—Utraque pars theseos *de fide tenenda est;* statuit enim *Concilium Tridentinum:* "Si quis non confitetur, primum hominem Adam, quum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli; totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum

fuisse, A. S." (sess. 5, can. 1; DB. 788). Ipsi quidem termini theseos, "grave peccatum commiserunt" et "originalem justitiam perdiderunt," non habentur, res tamen aequivalentibus terminis definitur.

I. Protoparentes, transgrediendo Dei praeceptum, grave peccatum commiserunt.

239. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scripturam protoparentes cum plena scientia atque deliberatione transgressi sunt legem Dei eos sub gravi obligantem: **Atqui** hujusmodi legis Dei transgressio est peccatum grave: **Ergo.**

Minor est definitio peccati gravis ab omnibus admissa.—*Major* probatur secundum has tres partes: a) existebat lex Dei sub gravi obligans; b) protoparentes hujus obligationis plenam scientiam habebant; c) hanc legem deliberate transgressi sunt.

a) *Existebat lex Dei sub gravi obligans.* Ipsa legis existentia ita refertur: "Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas" (Gen. 2, 16, 17). His verbis non aliquod particulare praeceptum, sed universalis lex annuntiatur; non enim ad solum Adamum vel ad ambos protoparentes, sed ad omnes quoque eorum posteros in statu innocentiae nascituros referenda sunt. Neque his verbis annuntiatur merum consilium vel admonitio quaedam directiva, ut ex sequentibus patebit.

Haec autem lex protoparentes sub *gravi obligavit.* Id patet imprimis ex *modo* quo lex fertur, qui satis solemnis est; nam "praecepitque ei dicens: . . . de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas." Ista igitur comestio absolute et explicite prohibetur. Idem patet deinde ex *fine* vel *scopo* istius legis, qui erat ut homo per ejus observantiam tributum subjectionis et obedientiae Deo persolveret, necnon supremum Dei dominium testaretur atque profiteretur. Ad hoc enim opus erat lege positiva, quia in lege naturali observanda primus homo a concupiscentia immunis directe non suam erga Deum subjectionem protestabatur, sed propriae rationis ductum sequebatur. Idem denique patet ex *sanctione* legi adjecta, quae sic effertur: "In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris" (Gen. 2, 17). Et hic nihil interest utrum mors corporis intendatur an mors animae; utraque enim est poena gravissima, quae non infligitur nisi propter transgressionem legis sub gravi obligantis. Etiam inter homines, si quis juste capitis damnatur, eo ipso ille legem graviter obligantem violasse censetur.

b) *Protoparentes hujus obligationis plenam scientiam habebant.* Adamus enim ipsa Dei verba audierat, cumque ex superius jam dictis acutissimo ingenio praeditus esset, satis obvie rei gravitatem plane intellexit. Eva vero ipsa suam hac de re scientiam testatur, cum

serpenti eam tentanti respondet: "De fructu lignorum, quae sunt in paradiso, vescimur; de fructo vero ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur" (Gen. 3, 2, 3). Vulgata quidem habet "forte," sed illud in textu originali non invenitur; saltem tamquam dubitationis particula (cf. Hummelauer, op. cit. p. 153). "Ex verbis igitur colligitur intellexisse mulierem, quam serio Deus eum fructum comedi prohibuerit." (ibid).

c) *Hanc legem deliberate transgressi sunt.* Deliberata legis transgressio tunc habetur, cum quis sciens obligationem legis eam nihilominus libere violat; hoc autem in casu contigisse, ex ipsa narratione patet. Serpens enim non vi et coactione, sed fraudulenta persuasione imprimis mulierem ad comedendum adduxit: "Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile; et tulit de fructu illius, et comedit" (Gen. 3, 6). Ipsa ergo libere et cum plena deliberatione serpentis suasioni cessit; eodemque fere modo Adamum uxoris suasioni cessisse, ex contextu satis liquet. Nam mulier, cum comedisset, "deditque viro suo, qui comedit;" quapropter Deus ei dixit: "Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo" (Gen. 3, 17). Itaque non coacte vel nesciens comedit, sed quia mulier eum tentavit.

240. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex dictis SS. Patrum.**—SS. Patres non modo affirmant legem esse latam a Deo, ejusque transgressione protoparentes graviter peccasse, sed plerique etiam istius legis rationem exponunt, illam scilicet latam esse ut ejus observantia luculentius apparerent Dei dominium hominisque dependentia a Deo. Ita v. g. *S. Chrysostomus,* qui ait: "Benignus enim Dominus a principio docere volens hominem, conditorem et factorem suum esse visibilium omnium opificem, per parvum istud mandatum ostendere voluit se Dominum esse. Quasi liberalis dominus magnam et admirabilem quamdam domum alicujus usui donans non totum pretium, sed aliquantulam ejus partem accipere vult, ut dominii jus salvum sibi maneat, et ille interim sciat se non aedificii dominum esse, sed gratia et beneficentia domini illo frui" (Hom. 16 in Gen.; MG. 53, 132). Simili modo loquitur *S. Augustinus* (De Gen. ad litt. l. 8, c. 13; ML. 34, 387). Ceterum mens SS. Patrum satis superque ex iis apparebit, quae infra de peccato originali exponenda sunt. Cf. *Suarez,* op. cit. l. 3, c. 21, n. 9.

II. Hoc autem peccato commisso, protoparentes justitiam originalem perdiderunt.

241. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Juxta Sacram Scripturam protoparentes peccando perdiderunt a) *gratiam*

sanctificantem; b) *immunitatem a concupiscentia;* c) *immortalitatem corporis;* d) *felicitatem vitae:* **Atqui** haec dona constituebant justitiam originalem: **Ergo.**

Minor ex antea jam dictis patet.—*Major* probatur per partes.

a) *Protoparentes perdiderunt gratiam sanctificantem.* Hoc ex praecedente parte theseos sequitur; ibi enim ex Scriptura probatum est eorum peccatum fuisse grave; per omne autem grave peccatum, ut ex tractatu de gratia habetur, gratia sanctificans formaliter expellitur. Idem insuper patet ex S. Paulo (Rom. 5, 12, 15–20), qui docet per Adae peccatum omnes ejus posteros gratia privatos fuisse; si autem ejus posteri, multo magis ipse.

b) *Perdiderunt immunitatem a concupiscentia.* Nam "aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata." Responditque Adam Deo vocanti: "Vocem tuam audivi in paradiso; et timui eo quod nudus essem, et abscondi me. Cui dixit: Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?" Deinde ad eorum nuditatem obtegendam "fecit quoque Dominus Deus Adae et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos" (Gen. 3, 7-11; 3, 21). Haec autem clare ostendunt protoparentes post comestionem de ligno vetito concupiscentiae subjectos fuisse, a qua antea immunes erant (cf. superius, n. 201).

c) *Perdiderunt immortalitatem corporis.* Dixit enim Deus Adae: "Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, . . . in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris" (Gen. 3, 17–20). Unde etiam Apostolus ait: "Per unum hominem (Adamum) peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt" (Rom. 5, 12).

d) *Perdiderunt felicitatem vitae.* Nam mulieri Deus dixit: "Multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos; in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui" (Gen. 3, 16). "Adae vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuae, . . . maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terrae" (Gen. 3, 17, 18).

242. ARGUMENTUM ALTERUM: ex dictis SS. Patrum.—Hoc argumentum facile ex iis textibus colligitur, qui jam superius (nn. 191 sqq) allegati sunt, ubi quaestio erat de donis protoparentibus collatis. Ita quoad amissionem *gratiae,* n. 191; *immunitatis a concupiscentia,* n. 203; *immunitatis a necessitate moriendi,* n. 213. Quibus amissio felicitatis vitae simul etiam satis indicatur.

243. Scholion I: Quaenam de serpente Evam tentante tenenda sint.

Juxta fere communem interpretum sententiam, serpens ille *naturalis* fuit et *verus*. Immo ex ipso textu id satis constare videtur. Nam (vv. 1 et 14) numeratur inter animantia terrae, utique naturalia et vera. Insuper (v. 1) a Deo factus dicitur, ideoque non a diabolo formatus. Poena quoque seductori a Deo inflicta (v. 14), non phantasticum aliquem, sed verum et naturalem serpentem supponit. Fuit tamen instrumentum diaboli, qui eum ad Evam tentandam adhibuit. Unde Scriptura dicit: "Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum" (Sap. 2, 24; cf. Rom. 5, 12). Item a Domino diabolus dicitur "homicida ab initio, . . . mendax, et pater ejus" (Jo. 8, 44); et a S. Joanne "serpens antiquus" vocatur (Apoc. 12, 9; 20, 2).

In serpente igitur loquebatur *diabolus,* sed quoad modum istius locutionis interpretes inter se non conveniunt. Sunt qui dicant diabolum Deo permittente in ore serpentis articulatos sonos formasse, ad instar loquelae humanae; alii vero hoc negandum esse censent. Dicit *Hummelauer:* "Neque tamen adstruere cogeris, ipsis serpentis gutture, lingua, ore, quae humano sermoni edendo penitus sunt inepta, diabolum efformasse verba; sufficit admittere, arte daemonis ita Evae sensus esse affectos, ut vocem e serpentis ore profectam indubie arbitraretur. Ergo certe in aliqua re mulieris sensus decepti sunt. Serpentem vidit, agnovit, ejus sibi alloquium audire visa: tamen non ipse loquebatur" (op. cit. p. 151).

Poena utique non ipsi serpenti *qua tali* inflicta est, sed potius *qua instrumento diaboli;* fere sicut "pater ensem comminuit, quo filius occidebatur." Itaque in serpente maledictus est diabolus. "Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae; super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitae tuae. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus" (Gen. 3, 14, 15). De his autem inter alios scribit *Hummelauer:* "Dicuntur ergo haec omnia et de serpente et de diabolo, de serpente ut instrumento visibili, de diabolo ut agente invisibili, de serpente proxime et immediate, de diabolo mediate et per ἐπικεῖαν, sensu non allegorico neque metaphorico sed quodammodo concomitante. Hinc ne singula diabolo applicare coneris, ne exponere nitaris, quomodo ille super pectus gradiatur, terram comedat etc. Sufficit generalior quaedam similitudo: maledictus est uti serpens, ita etiam diabolus; abjectio serpentis in pulvere adrepentis adumbrat abjectionem daemonis de caelo ad ima delapsi; inimicitiae ad diabolum longe verius spectant, quam ad serpentem" (op. cit. p. 159).

244. Scholion II: Ob quod motivum protoparentes peccaverint.

Comedendo de ligno vetito, protoparentes utique peccatum *inobedientiae* commiserunt, et ideo Apostolus ait: "Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi" (Rom. 5, 19); at hujus inobedientiae motivum erat *superbia*, seu inordinatus propriae excellentiae appetitus. Utique ope gratiae ille appetitus ante peccatum ordinatus erat, potuit tamen per liberum voluntatis actum inordinatus fieri; et ideo diabolo eos tentante, "eritis sicut dii, scientes bonum et malum," imprimis Eva et deinde Adamus eam cum Deo in cognoscendo et volendo similitudinem appetebant, quae ultra illud protenderet quod eis a Deo erat constitutum. Hunc inordinatum appetitum *S. Thomas* ita exponit: "Primus homo peccavit principaliter appetendo similitudinem Dei quantum ad scientiam boni et mali, sicut serpens ei suggessit, ut scl. per virtutem propriae naturae determinaret sibi, quid esset bonum et quid malum ad agendum, vel etiam ut per seipsum cognosceret, quid sibi boni vel mali esset futurum; et secundarie peccavit appetendo similitudinem Dei quantum ad propriam potestatem operandi, ut scilicet virtute propriae naturae operaretur ad beatitudinem consequendam. . . . . Sed diabolus peccavit appetendo similitudinem Dei quantum ad potestatem. . . . Verumtamen quantum ad aliquid uterque Deo aequiparari appetiit, in quantum scilicet uterque sibi inniti voluit, contempto divinae regulae ordine" (II. II, q. 163, a. 2).

Primum igitur peccatum non concupiscentia adlecti sed superbia elati commiserunt, et quidem non externa aliqua actione sed *intus in corde;* quo autem peccato commisso, immunitas a concupiscentia amissa est et via ad alia peccata committenda patebat. Haec ab Eva incipiens ita describit *S. Thomas:* "Praeceptum Dei transgressa est, et sic ejus peccatum multiplex invenitur: Primo quidem superbiae, qua inordinate excellentiam appetiit; secundo curiositatis, qua scientiam ultra terminos sibi praefixos concupivit; tertio gulae, qua suavitate cibi permota est ad edendum; quarto infidelitatis per falsam aestimationem de Deo, dum credit verbis diaboli contra Deum loquentis; quinto inobedientiae, praeceptum Dei transgrediendo. Ex persuasione autem mulieris peccatum usque ad virum pervenit, qui tamen, ut Apostolus (I Tim. 2, 14) dicit, non est seductus ut mulier, in hoc scl. quod crederet verbis diaboli contra Deum loquentis. Non enim in ejus mente cadere poterat Deum mendaciter aliquid comminatum esse, neque inutiliter a re utili prohibuisse. Allectus tamen fuit promissione diaboli, excellentiam indebite appetendo. Ex quibus cum voluntas ejus a rectitudine discessisset, uxori suae morem gerere volens, in transgressione divini praecepti eam secutus est, edendo de fructu ligni vetiti" (Compend. Theol. c. 190).

Unde quum dicitur protoparentes comedendo de ligno vetito perdidisse justitiam originalem, id de toto illo processu intelligendum est; ab interno scilicet superbiae peccato usque ad externam ejus in comestione completionem. Multa quidem peccata in illo processu inveniri possunt, ea tamen singula quodammodo in uno peccaminoso comestionis actu complentur. Utique etiamsi Adamus post superbiae peccatum jam commissum de ligno vetito non comedisset, nihilominus sibi gratiam sanctificantem perdidisset; utrum vero etiam suis posteris, non una est theologorum sententia. Communior tamen sententia affirmativa est, quod nempe Adamus per quodcumque primum peccatum mortale, sive internum sive simul etiam externum, tum sibi tum posteris suis justitiam originalem amisisset (cf. *S. Thomas,* In II Sent. d. 33, Expos. text. ad 2).

245. Scholion III. Num protoparentum peccatum fuerit omnium gravissimum.

Peccatum protoparentum fuisse valde grave jam ex eo apparet, quod transgressi sint praeceptum observatu facillimum, quod ab omni concupiscentia fuerint immunes, quod universi generis humani cladem inde secuturam satis clare perspexerint, quod nihilominus appetitu propriae excellentiae impulsi deliberatum merae externae tentationi assensum praestiterint. Haec tamen singula non sunt nisi circumstantiae aggravantes, quae proinde ipsam peccati speciem non mutant; quapropter comparativa istius peccati gravitas ex iis solis dijudicari nequit, sed simul etiam ex specifica ejusdem peccati malitia desumenda est.

Hac de re ita judicat *S. Thomas:* "Duplex gravitas in peccato attendi potest: una quidem ex ipsa specie peccati, sicut dicimus adulterium esse gravius simplici fornicatione; alia autem est gravitas peccati, quae attenditur secundum aliquam circumstantiam loci, vel personae, aut temporis. Prima autem gravitas essentialior est peccato et principalior; unde secundum eam magis peccatum dicitur grave quam secundum aliam. Dicendum est igitur quod peccatum primi hominis non fuit gravius omnibus aliis peccatis humanis secundum speciem peccati. Etsi enim superbia secundum suum genus habeat quamdam excellentiam inter alia peccata; major tamen est superbia qua quis Deum negat, vel blasphemat, quam superbia qua quis inordinate divinam similitudinem appetit, qualis fuit superbia primorum parentum. Sed secundum conditionem personarum peccantium, peccatum illud habuit maximam gravitatem propter perfectionem status ipsorum. Et ideo dicendum es quod illud peccatum fuit quidem secundum quid gravissimum, non tamen simpliciter" (II. II, q. 163, a. 3).

246. Scholion IV: Num protoparentes sui peccati veniam consecuti sint.

Ad hanc quaestionem tum theologi tum etiam SS. Patres affirmative respondent. Idem responsum ex Sacra quoque Scriptura colligitur; ibi enim legitur: "Per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio. Haec illum, qui primus formatus est a Deo, pater orbis terrarum, . . . eduxit a delicto suo" (Sap. 9, 19; 10, 1, 2). Communis etiam SS. Patrum et theologorum sententia est, tum Adamum tum Evam salutem obtinuisse. "Postea juste vivendo, inquit *S. Augustinus,* merito creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati". (De Pecc. Merit. l. 2, c. 34, n. 55; ML. 44, 183). Immo inter Orientales publico cultu honorantur (cf. *Vacant,* Dict. Théol. Cath. I, p. 378).

247. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Non decet Deum homines in materia levissima sub gravi obligare: *Ergo* illud praeceptum de non comedendo ex ligno vetito tantum aliquod consilium fuisse merito creditur.

Resp. Non decet Deum homines in materia levissima sub gravi obligare, nisi ista materia in se levissima ex fine obtinendo extrinsecam gravitatem induat, *Tr.* Si, ut in casu, hujusmodi extrinsecam gravitatem induit, *subd.* Nisi simul pro sua bonitate velit ratione materiae hominibus faciliorem reddere ipsius finis assecutionem, *Tr.* Si hoc velit, *N.* Deus illam levissimam materiam selegit, quia voluit ut homines legem ab eo latam facillime servare possent, sicque securius legis finem consequerentur; et ideo in hoc nulla prorsus indecentia invenitur, sed Dei bonitas maxime commendatur.

2° Sunt etiam interpretes et SS. Patres qui illam narrationem de protoparentum lapsu allegorice interpretandam esse censeant: *Ergo* gravitas peccati commissi ex ea colligi nequit.

Resp. Sunt qui quaedam particularia istius narrationis allegorice interpretanda esse censeant, puta tentationem mulieris per serpentem et poenam serpenti inflictam, *C.* Sunt qui ipsam substantiam istius narrationis, scilicet factum tentationis ipsumque lapsum, allegorice interpretandam esse censeant, *subd.* Sunt tales inter Catholicos, *N.* Inter acatholicos rationalismo infectos, *C.* Ita v. g. *S. Augustinus, Hugo Victorinus,* et alii quidam putant poenam serpenti inflictam esse figurative vel metaphorice accipiendam, eamque ad solum diabolum referunt (cf. *Hummelauer,* op. cit. p. 159).

3° Neque serpens puniri potuit neque ipse diabolus. Non serpens, quia animal irrationale est; non diabolus, quia jam non amplius est in via, ideoque novam poenam mereri nequit: *Ergo* illi narrationi nulla fides habenda est.

Resp. Serpens ratione sui puniri non potuit, *C.* Qua instrumentum diaboli, *subd.* Stricti nominis poena, quae scilicet responsibilitatem moralem in agente praesupponit, *C.* Poena latiori sensu accepta, qua scilicet ipsa ejus naturalis conditio posthac propter istam instrumentalitatem esset signum divinae indignationis, *N.* Item, diabolus puniri non potuit poena undequaque nova, *C.* Poena jam antea merita ei propter istam tentationem in specialem quodammodo confusionem imputata, *N.* Et eodem modo distinguo rationem ipsi assertioni additam. Ceterum cf. quae hac de re jam superius (n. 243) dicta sunt.

4° Si vera esset illa lapsus narratio, dici deberet mulierem ante peccatum non fuisse a concupiscentia immunem; nam eam vidisse "quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile" (Gen. 3, 6), satis evidenter concupiscentiae stimulos indicat: *Ergo.*

Resp. Si vera esset illa lapsus narratio, dici deberet mulierem ante peccatum internum non fuisse a concupiscentia immunem, *N.* Dici deberet mulierem proxime ante peccatum externum non fuisse a concupiscentia immunem, *C.* Antequam enim externe peccavit, jam internum superbiae peccatum commiserat, eoque peccato immunitatem a concupiscentia perdiderat.

5° Plane absurdum est protoparentes aequalitatem cum Deo appetivisse: *Ergo* jam ex hoc capite tota illa narratio implicat.

Resp. Plane absurdum est protoparentes naturalem aequalitatem cum Deo appetivisse, *C.* Plane absurdum est eos appetivisse similitudinem quamdam cum Deo in cognoscendo et volendo, ultra id scilicet quod eis a Deo constitutum erat, ut jam supra (n. 244) expositum est, *N.*

ARTICULUS II

De Peccati Transmissione

THESIS XX.—Peccatum Adami in omnes ejus posteros transiit.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I. II, q. 81, a. 1; *In II Sent.* d. 33, q. 1, a. 1; *Cont. Gent.* l. 4, cc. 50-52; *In Rom.* 5, lect. 3; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 33, a. 1, q. 1; Suarez, *De Vitiis et Peccatis,* disp. 1, ss. 1, 3, 4; Bellarminus, *De Amissione Gratiae et Statu Peccati,* l. 4, cc. 1 sqq.; Corluy, *Spicilegium Dogmatico-Biblicum,* I, pp. 228 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 66; Pesch, *Praelect.* III, nn. 236 sqq.; Muncunill, *De Deo Creante,* nn. 657 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 917 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 224 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 199 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2.

248. **STATUS QUAESTIONIS.**—Peccatum Adami, sicut etiam Evae, imprimis *personale* erat, quo ipsi peccantes tamquam legis divinae transgressores in individuo afficiebantur, seque reos fecerant sanctionis legi divinitus adnexae. Proinde hoc peccato protoparentes omnia dona supernaturalia amiserunt et insuper poenae positivae obnoxii existebant. Tale autem peccatum personale, *quatenus praecise personale est,* non posse transfundi in posteros satis evidens est; attamen ratione divinae ordinationis idem illud peccatum simul etiam afficere potest peccatoris *naturam specificam,* ita ut, in quoscumque via generationis haec natura derivatur, simul cum ea quoque derivetur illud peccatum. Hujusmodi Adami peccati transmissionem admittendam esse, in hac thesi demonstrare suscipimus.

249. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Agitur in hac thesi de *solo peccato Adami,* non vero etiam de peccato Evae; quia solus Adamus constitutus erat *caput generis humani,* et quidem tum in ordine *physico* tum in ordine *morali.* Quomodo autem ratione hujus duplicis dignitatis ipsius peccatum in posteros derivari possit, infra in alia thesi ostendetur; impresentiarum sufficit ut ipsum istius dignitatis factum prae mente habeatur, sic enim satis manifestum erit cur de solius Adami peccato agamus.

b) In quolibet peccato gravi, de quo unice nunc sermo est, duo considerari possunt: ipse *actus peccaminosus,* et *moralis animae status* ex illo actu resultans. Ipse actus peccaminosus dicitur peccatum *actuale,* estque eo sensu transiens ut post peccatum commissum in sua physica entitate non maneat; manet tamen in significatu suo morali, quatenus scilicet moralis status animae per eum inductus usque ad efficacem poenitentiam perserverat. Haec autem istius actus perseverantia vocatur peccatum *habituale,* quia illa moralis conditio ex ipso actu resultans animae quasi ad modum habitus permanenter inhaeret. Utrum haec animae conditio formaliter in gratiae sanctificantis privatione consistat, ut communior fert sententia, an potius in ipso actu peccaminoso physice quidem praeterito sed moraliter perseverante, ut alii quidam volunt, ad praesentem thesim non spectat. Modo enim sufficit ut probetur *peccatum Adami aliquo sensu sub ratione veri peccati in ejus posteros transire.* In alia utique thesi ostendemus non transire peccatum actuale moraliter perseverans, sed peccatum habituale formaliter in privatione gratiae sanctificantis consistens; verum pro praesente hujusmodi disquisitione supersedere juvat, cum secus haec thesis nimis implexa evaderet.

c) Hoc autem Adae peccatum, quia in ipsa humani generis origine commissum, vocatur peccatum *originale;* tum prout in ipso Adamo consideratur, tum etiam prout in ejus posteris invenitur. In ipso Adamo consideratum, dicitur peccatum originale *originans;* in

ejus vero posteros transmissum, appellatur peccatum originale *originatum*. Quando tamen sermo est de peccato originali simpliciter, solum hoc alterum, seu peccatum originale originatum, intelligi solet.

d) Affirmatur igitur in thesi Adae peccatum in omnes posteros ejus transiisse; in hac tamen affirmatione distinguendum est inter *ipsum peccatum* et *debitum illud incurrendi*. Non enim est eadem utriusque extensio. Nam debitum incurrendi originale peccatum transmittitur ad *omnes omnino homines*, qui per generationem activam ab ipso Adamo originem ducunt; ergo etiam transmissum est ad Beatam Virginem, saltem quod spectat debitum remotum. Ipsum vero peccatum non incurritur nisi ab iis *qui subsunt generali transmissionis legi*, seu qui non per speciale privilegium ab ista lege excipiuntur. Hujusmodi autem exceptio soli Beatae Virgini vindicatur, et ideo in ceteros omnes Adami peccatum actu transiit.

250. **ADVERSARII.**—Hanc thesim olim directe impugnabant *Pelagiani*, eorumque prodromi *Theodorus Mopsuestenus* et *Rufinus Syrus*, qui contendebant Adae peccatum fuisse pure personale, illudque ejus posteris non nocuisse nisi quatenus per modum exempli esset causa eos ad peccandum alliciens. Hunc errorem a *S. Augustino* profligatum atque ab Ecclesia jam tunc damnatum, postea renovarunt *Abaelardus, Albigenses, Sociniani*, quos inter recentiores praeter *Rationalistas* sequuntur *Liberales Protestantes* atque *Modernistae*.

Indirecte hanc thesim impugnaverunt *Manichaei* et *Origenistae;* qui quidem peccatum aliquod originale admittebant, illud tamen ab Adamo derivatum esse negabant. *Manichaei* enim docuerunt omne malum in hominibus descendere extrinsecus a malo principio, quod primo principio bono oppositum ejus opera corrumperet. *Origenistae* vero putarunt animas jam ante earum cum suis corporibus conjunctionem exstitisse, easque in illo statu peccasse, propter quod deinceps peccatum in corpora detrusae fuerint; et ideo homines in statu peccati quidem nasci sed peccati personalis.

251. **NOTA.**—Thesis proponit doctrinam *de fide tenendam*. Definitionem jam in *Concilio Carthaginensi XVI* (an. 418) statutam, ita renovavit *Concilium Tridentinum:* "Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse, acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam cum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae: A. S." (sess. 5, can. 2; DB. 789. Cf. can. 3, 4; DB. 790, 791).

252. **Probatio ex Epistola ad Romanos, 5, 11-19.**

TEXTUS. "11. Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

12. Propterea sicut per unum hominem peccatum (ἡ ἁμαρτία) in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt (ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον) :

13. Usque ad legem enim peccatum (ἁμαρτία) erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.

14. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis (ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως) Adae, qui est forma futuri (τύπος τοῦ μέλλοντος).

15. Sed non sicut delictum (παράπτωμα), ita et donum; si enim unius delicto multi (οἱ πολλοὶ) mortui sunt; multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures (εἰς τοὺς πολλοὺς) abundavit.

16. Et non sicut per unum peccatum (δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος), ita et donum; nam judicium quidem ex uno in condemnationem (εἰς κατάκριμα), gratia autem ex multis delictis (ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων) in justificationem.

17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.

18. Igitur sicut per unius delictum (δι' ἑνὸς παραπτώματος) in omnes homines in condemnationem; sic et per unius justitiam (δι' ἑνὸς δικαιώματος) in omnes homines in justificationem vitae.

19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi (ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί) ; ita per unius obeditionem, justi constituentur multi (δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί)."

Ad hunc autem textum sequentia notanda sunt, quae partim ad *scopum orationis,* partim ad *constructionem argumenti,* partim vero ad *diversos terminos* spectant.

a) Imprimis notandum est Apostolum nolle ex professo probare *existentiam* peccati originalis, sed potius eam ut *bene notam* adducere, ut inde reconciliationem per Christum magis extollat. "Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus" (v. 11). Et haec reconciliatio necessaria erat, quia per Adamum nos omnes lapsi eramus in peccatum (vv. 12-15); eratque haec reconciliatio superabundans, quia per Christum facta (vv. 15-19). Comparat igitur *Christum* cum *Adamo:* Adamus *damnificator*—homo mortis; Christus *reparator*—homo vitae (vv. 12-15). Deinde ostendit Christi excellentiam supra Adamum (vv. 15-19) : unde abundantiae lucrum.

b) Ex his jam apparet *constructio argumenti. Protasis* propositionis habetur in versiculis 12 et 13, a "propterea" usque ad "peccaverunt." *Apodosis* explicite non ponitur, sed implicite continetur in versiculis 15-19; nam in sola hac constructione scopus scriptoris perfecte attingitur, qui ex jam dictis ille erat, ut ex comparatione beneficiorum Christi cum injuria nobis per Adamum illata bonitas et excellentia Salvatoris magis extolleretur. Unde ipse etiam Apostolus suum argumentum in versiculo 18 ita recapitulat: "Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae." Quare ad *sensum* quod attinet, Apostoli argumentum sic ponitur: "Sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per pecactum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt; ita etiam per unum hominem justitia denuo intravit in hunc mundum, et per justitiam abundantia vitae, et sic vita in omnes homines pertransiit, in quo omnes justificati sunt." Utique non immediate in Christo justificati sunt, sed mediate dumtaxat; quatenus scilicet gratia redemptionis eis per media a Christo constituta applicatur.

c) In hac constructione versiculi 13 et 14 omissi sunt, quia non directe ad argumentum pertinent. In illis enim versiculis Apostolus praeoccupare videtur objectionem, quam quis forte ita moveret: "Quomodo omnes in poenam peccati moriuntur, cum tamen non omnes peccaverint; sunt enim infantes et amentes, qui ante omnem peccandi possibilitatem morte abripiuntur. Respondet Apostolus: "Utique illi non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, seu nullum peccatum actuale commiserunt; tamen peccaverunt in Adamo, quatenus illo peccato, quod per eum in hunc mundum intravit, peccatores constituti sunt. Quare etiam ante Moysen, quando nulla erat lex qua poena mortis in certa crimina statuebatur, nihilominus illi omnes una cum ceteris hominibus poenae mortis subjacebant." Hac igitur objectionis praeoccupatione efficitur, ut clare constet juxta mentem Apostoli mortem esse illius tantum peccati sequelam, quod per Adamum in hunc mundum intravit.

d) Ad *diversos terminos* quod attinet, haec notatu digna sunt. Imprimis Apostolus distinguit τὴν ἁμαρτίαν, seu illud determinatum peccatum quod in omnes homines transiit (v. 12), tum ab ἁμαρτία, seu a peccato in genere (v. 13), tum a personali peccato Adami, quod vocat παράβασιν, παράπτωμα, παρακοήν (vv. 14, 15, 17, 18, 19); illud deinde peccatum tale esse docet, ut per idipsum omnes homines peccatores constituantur (vv. 12, 19), et quidem sicut ex opposito per Christi gratiam omnes constituuntur justi (v. 19). Est igitur verum peccatum, non actuale, non Adami personale, sed habituale aliquod ab Adamo in omnes homines derivatum.

e) Versiculis 15 et 19 occurrunt termini "multi" et "plures," quorum loco quoad sensum legi debet "omnes." Graeco enim textu habentur respective οἱ πολλοί et τοὺς πολλούς, in oppositione ad ἕνα Ἀδάμ et ἕνα Χριστόν, quo usu idem sonant ac οἱ πάντες et τοὺς πάντας (cf. v. 18).

f) Versiculo 12 illud "in quo" Graece legitur ἐφ' ᾧ, quod significare potest aut "in quo" (sc. in Adamo) aut "quia." Priori significationi favent Patres Latini, alteri vero Patres Graeci et recentiores exegetae. Ad argumentum nostrum nihil interest, utram harum significationum quis praeferat; sed usui Paulino et idiomati linguae Graecae haec altera conformior est (cf. II Cor. 5, 4; Phil. 3, 12).— Denique in versiculo 14 particula negativa μή (τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας) in nonnullis codicibus desideratur, sed juxta criticos nostra lectio certa est; quia tum SS. Patres, tum versiones, tum etiam longe plures codices eam sequuntur, necnon ipse contextus illam particulam postulat.

253. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex textu modo exposito.— Juxta textum modo expositum, per Adamum speciale aliquod peccatum in hunc mundum intravit, *quo omnes homines inficiuntur;* et ideo mors *ut hujus peccati sequela in omnes homines pertransiit:* **Atqui** hoc peccatum non in *mera concupiscentia* consistit, sed *verum peccatum* est; neque tamen est peccatum *actuale,* quod scilicet homines ad imitationem Adami personaliter committunt, neque est peccatum *personale* Adami, quatenus ipsi proprium est: **Ergo** est peccatum Adami in quantum ipsam humanam naturam ab eo propagandam spectat, quod proinde sub ratione veri peccati in omnes posteros ejus transiit.

Major constat ex versiculo 12, ut superius (n. 252 b et d) expositus est.

Minoris prima pars ex eo patet, quod hoc peccatum opponitur justitiae ex Christo derivandae, quodque est in condemnationem quae per Christi justitiam aufertur (vv. 15–19; cf. n. 252 d).—*Minoris altera pars* liquet ex versiculis 13 et 14, in quibus Apostolus explicite dicit mortem tamquam hujus peccati sequelam etiam in eos transiisse, qui non peccaverint in similitudinem praevaricationis Adae (cf. n. 252 c et d).—*Minoris tertia pars* eruitur ex versiculis 15–19, in quibus inobedientia Adami hujus peccati causa assignatur (cf. 252 d).

Consequens admitti debet; cum enim divisio in minore completa sit, logice ex praemissis sequitur. Insuper illud speciale peccatum, quod per unum hominem in hunc mundum intravit, esse peccatum Adami, ex versiculis 14–19 abunde constat (cf. n. 252 a). Item hoc peccatum in omnes transiisse, patet versiculis 12 et 15–19 (cf. n. 252 e).

254. *Confirmatur* hoc argumentum scripturisticum, quod classicum est, etiam ex aliis Sacrae Scripturae locis, et quidem tum Novi tum Veteris Testamenti. In Novo enim Testamento docetur nos omnes natura esse filios irae (Ephes. 2, 2), omnibus necessarium esse baptismum (Jo. 3, 5), et quidem in remissionem peccatorum (Act. 2, 38), omnes redemptos esse per Christum (I Tim. 2, 6); haec autem doctrina supponit totum genus humanum originali aliquo veri nominis peccato esse infectum.

In Vetere autem Testamento duo praecipui sunt textus, e quibus nostra doctrina merito infertur. Ita David, post gravissimum suum in Uriam et cum Bethsabee peccatum, divinam misericordiam implorando ait: "Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea" (Ps. 50, 7); ac si diceret: "Gravissime quidem peccavi; sed quid mirum, Domine? Quia jam in peccato conceptus sum." Et notandum est, in textu originali non legi, "in iniquitatibus" et "in peccatis," sed "in iniquitate" et "in peccato." Hanc autem iniquitatem et hoc peccatum non referendum esse ad ejus parentes, satis patet; quis enim filius suis parentibus peccatum objiceret? Quare *S. Augustinus* merito quaerit: "Numquid David de adulterio natus erat? De Jesse, viro justo, et conjuge ejus. Quid est, quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?" (Enarr. in Ps. 50, n. 10). Directe tamen hoc argumentum rem non evincit, cum illi termini, "iniquitas" et "peccatum," significare possint concupiscentiam ex Adamo tractam; nihilominus indirecte, quatenus scilicet doctrina de peccato originali in Novo Testamento non tam probatur quam potius supponitur, suum valorem habet (cf. *Palmieri,* thes. 67, Brevis animadversio, p. 527).

Alter textus invenitur in libro Job (14, 4), quem *S. Hieronymus* ita reddit: "Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?" Cum juxta versionem LXX legitur: "Quis purus erit ab immunditia? Ne unus quidem, etsi vel una dies vita ipsius in terra." Utraque versio clare exprimit peccatum ex origine contractum, sed neutra textum originalem exacte reddit; ille enim habet: "Quis dabit mundum de immundo? Ne unus quidem." Attamen juxta contextum, et satis communem quoque expositionem, sensus esse videtur: "Quis potest facere mundum eum, qui ex immunda stirpe est? Ne unus quidem, id est, nemo ex natura mundus invenitur, vel etiam, nemo eum efficere potest mundum, qui ex immundo est." Et sic doctrina de peccato originali satis clare innui videtur; cui accedit quod LXX interpretes illam doctrinam inter Judaeos traditionalem fuisse evidenter supponunt.

255. ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.—Cum ab *Augustino* et deinceps res in confesso sit, solum superest ut haec tra-

ditio pro prioribus jam saeculis stabiliatur. Ad id autem multum juvabit si ipsius *S. Augustini* positio hac in re in mentem revocetur; ipse enim non ex noviter excogitatis sed ex vetusta Ecclesiae doctrina *Pelagianorum* errores impugnavit. Quare *Juliano*, Pelagii discipulo totiusque ejus systematis architecto, fidenter objicit: "Non ego finxi originale peccatum, quod Catholica fides credit antiquitus, sed tu, qui hoc negas, sine dubio novus es haereticus" (De Nupt. et Concup. l. 2, c. 12, n. 25; ML. 44, 450). Et etiam nominatim ad plures hanc traditionem testantes provocat, cum ait: "Propter quam Catholicam veritatem sancti et beati et in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes Irenaeus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius (Naz.), Innocentius, Joannes (Chrysost.), Basilius, quibus adde presbyterum, nolis velis, Hieronymum, ut omittam eos qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam" (Cont. Julian. l. 2, c. 10, n. 33; ML. 44, 697).

Haec insuper traditio etiam ex eo innotescit, quod plurima concilia *Pelagii* errorem, statim ac propagari coepit, damnaverint; id enim absque satis antiqua et universali traditione isti errori opposita vix fieri poterat. Inter haec concilia numerantur *Milevitanum* II (an. 416), *Carthaginiensia* quatuor (an. 412, 416, 417, 418), *Diospolitanum* (an. 415), *Ephesinum* (an. 431), *Arausicanum* II (an. 529). Ad haec igitur traditionis indicia paucos textus ex Patribus *S. Augustino* anterioribus adjecisse sufficiat.

a) *S. Irenaeus:* Christus erat "salutem nobis praestans, ut quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus" (Adv. Haer. l. 3, c. 18, n.1; MG. 7, 932). Item: "Deum quidem in primo Adam offendimus, non facientes ejus praeceptum, neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi cujus praeceptum transgressi fueramus ab initio" (Ibid. l. 5, c. 16, n. 3; MG. 7, 1168).

b) *Origenes:* "Constat unumquemque per peccatum cecidisse. Et Dominus est, qui erigit elisos et elevat qui corruunt. In Adam omnes moriuntur, et ita cecidit orbis terrarum et indiget erectione, ut in Christo omnes vivificentur" (In Jer. hom. 8, n. 1; MG. 13, 337).

c) *S. Athanasius:* "Quemadmodum peccante Adamo, peccatum in omnes homines pertransiit, ita postquam Dominus factus homo serpentem devicit, vis illa permanabit in omnes homines" (Orat. 1 cont. Arian. n. 51; MG. 26, 117). Item: "Omnes qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur, proavi sui damnatione collapsi" (In Ps. 50, n. 7; MG. 27, 237).

d) *S. Chrysostomus:* "Quid est, In quo omnes peccaverunt? Illo lapso, ii etiam qui de ligno non comederant effecti sunt ex illo

omnes mortales. . . . Unde liquet quod non ipsum peccatum transgressionis legis (Mosaicae), sed peccatum illud inobedientiae Adami ipsummet erat peccatum quod omnia perdebat. Et quaenam hujus rei probatio est? Nempe quod omnes ante legem morerentur. Regnavit enim mors, inquit, ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt. Quomodo regnavit? In similitudinem praevaricationis Adae qui est forma futuri. Ideo enim typus est Christi Adam. . . . Ut cum tibi dixerit Judaeus: Quo pacto, recte agente Christo, universus orbis salvatus est? possis ipsi dicere: Quomodo, uno inobediente Adamo, orbis condemnatus est? . . . Mortem et condemnationem unum quidem peccatum afferre potuit; gratia autem non illud modo peccatum sustulit, sed et quae post illud supervenere" (In Rom. hom. 10, n. 1; MG. 60, 474).

e) *Tertullianus:* "Satanam in omni vexatione et aspersione et detestatione pronuntias, . . . per quem homo a primordio circumventus, ut praeceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus exinde totum genus de suo semine infectum suae etiam damnationis traducem fecit" (De Test. Animae, n. 3; ML. 1, 613).

f) *S. Cyprianus:* "Si etiam gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur et a baptismo atque gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit, qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria (id est, personalia) sed aliena (sc. ab alio contracta) peccata" (Epist. 64 ad Fidum, n. 5; ML. 3, 1018).

g) *S. Ambrosius:* "Antequam nascimur, maculamur contagio, et ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam. In iniquitate concipimur" (Apol. David, l. 1, c. 11, n. 56; ML. 14, 873). Item: "Omnes in primo homine peccavimus, et per naturae successionem culpae quoque ab uno in omnes transfusa successio est. . . . Adam ergo in singulis nobis est. In illo enim conditio humana deliquit, quia per unum in omnes pertransivit peccatum" (Ibid. l. 2, c. 12, n. 71; ML. 14, 915).

Denique eadem haec traditio clare elucet ex infantium baptismo, quod jam suo tempore animadvertit Origenes, qui ait: "Addi his etiam illud potest, ut requiratur quid causae sit, cum baptisma Ecclesiae pro remissione peccatorum detur, secundum Ecclesiae observantiam parvulis baptismum dari; cum utique si nihil esset in parvulis quod ad remissionem deberet et indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur" (In Levit. hom. 8, n. 3; MG. 12, 496).

256. *Confirmari* aliquomodo etiam potest haec thesis ex ratione; quia tot tantisque malis homo undique premitur, ut, divinae bonitatis ratione habita, hic ordo a Deo primitus institutus fuisse vix videatur. Huc accedit quod ista mala non mere physica sunt, sed cum effectum moralem sibi connexum habent, quo assecutio finis ultimi moraliter impossibilis evadit. Unde jam *S. Augustinus* arguit: "Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas vel impotentia Dei aut poena primi veterisque peccati? Sed quia nec injustus nec impotens est Deus, restat, quod non vis, sed cogeris confiteri, quod grave jugum super filios Adae non fuisset, nisi delicti originalis meritum praecessisset" (Cont. Julian. l. 4, c. 16, n. 83; ML. 44, 782). Similiter notat *S. Thomas:* "Hujusmodi defectus quamvis naturales homini videantur, absolute considerando humanam naturam ex parte ejus quod est in ea inferius, tamen considerando divinam providentiam, et dignitatem superioris partis humanae naturae, satis probabiliter probari potest hujusmodi defectus esse poenales; et sic colligi potest, humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum" (Cont. Gent. l. 4, c. 52).

Simile quid ipsi quoque ethnici sensisse videntur, in quorum traditionibus mala humanum genus opprimentia saepe saepius primitivae alicui transgressioni attribuuntur. Hoc sensu jam *Hesiodus* describit Promethei fatum, qui scilicet, postquam ignem e caelo eripuit, non modo in se ipso horrendas poenas luit, verum etiam causa fuit cur cujuscumque generis mala totum terrarum orbem pervaserint (cf. Theog. 5, 510 sqq). Ipse etiam *Cicero* hujus rei mentionem facit, cum ait: "Ex quibus humanae vitae erroribus et aerumnis fit ut interdum veteres illi vates, sive in sacris initiisque tradendis divinae mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, poenarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur, simili nos affectos esse supplicio atque eos, quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata, quam aptissime colligabantur; ita animos nostros cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis, esse conjunctos" (Hortensius, sive de Philosophia fragmenta). Ejusdemque generis traditiones apud Orientales quoque vigere noscuntur (cf. *Lenormant,* Les Origines de l'Histoire, c. 2). Insuper omnes illae primitivi lapsus traditiones cum praevia quadam aurea aetate conjunguntur, et ideo haud improbabiliter detortam aliquam ipsius facti historici memoriam exhibere videntur.

257. Scholion I: De genesi erroris Pelagianorum.

Hic error a *Pelagio,* monacho Britannico, quem *S. Augustinus* (De Peccator. Merit. et Remiss. 3, 5, 1) "bonum et praedicandum virum" dixit, ineunte saeculo quinto propagari coepit, ejusque deinceps nomine designatus fuit. Ortum tamen sumpserat in Oriente, ubi ejus

pater fuisse dicitur *Theodorus Mopsuestenus.* Theodori discipulus, *Rufinus Syrus,* in Italiam profectus, eum tradidit monacho cuidam *Caelestio,* a quo tandem *Pelagius* tunc Romae commorans eum accepit. Haec contigisse videntur sub *Anastasio* Romano Pontifice, qui ab anno 398 usque ad annum 402 summum pontificatum gessit. Paulo post ambo in Africam migrarunt, ibique illum errorem spargere coeperunt. *Pelagius* deinde in Palaestinam profectus est, dum *Caelestius* inter Afros ardentius laborare satagebat.

Interim Catholicam doctrinam contra hanc innovationem defendere suscepit *S. Augustinus,* ab Aurelio Carthaginiensi episcopo ad hoc munus deputatatus. Ejus opere plures successive coactae sunt synodi; imprimis *Carthaginiensis* (an. 411) contra *Caelestium,* et deinde *Diospolitana* (an. 415) contra *Pelagium.* Cum illi tamen nihil minus damnatam doctrinam ubique praedicare pergerent, solemniter excommunicati sunt in *Concilio Milevitano II* (an. 416), cujus canones suos fecit *Concilium Carthaginiense XVI* (an. 418). Ineunte vero anno 417 *Pelagius* sibi adsciverat insignem discipulum, *Julianum Episcopum Eclanensem,* virum valde facundum, qui sui magistri placita in systema quoddam logicum composuit. Contra eum multa scripsit *S. Augustinus,* eumque totius Pelagianorum systematis architectam vocat (cf. Cont. Julian. 6, 36). Ille utique simul cum *Pelagio* et *Caelestio* in *Concilio Carthaginiensi* damnatus est.

Ista concilia quidem particularia erant, eorum tamen definitiones ab *Innocentio I* et *Zosimo* respective approbatae sunt, ideoque plena auctoritate gaudent. Ad haec concilia eorumque approbationem se referens, *S. Augustinus* illa protulit verba: "Jam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error" (Serm. 131, 10). Ex his verbis lapsu temporis enatum est illud dictum allegari solitum: "Roma locuta est; causa finita est." A *Zosimo* edita est epistola "Tractoria" quae vocatur, "quae et Constantinopolim et per totum orbem missa subscriptionibus sanctorum Patrum est roborata; cui Julianus et reliqui complices subscribere detrectantes, consentaneosque se nolentes iisdem Patribus facere, non solum imperialibus legibus, sed et sacerdotalibus statutis depositi atque exauctoritati et omni Italia deturbati sunt" (*Marius Mercator,* Common, c. 3, n. 1). Cum autem Julianus posthac causam ad Concilium Ephesinum detulisset, ipsius aliorumque error iterum damnatus est (can. 1; DB. 126).

Occasio istius erroris in Oriente fuit perversa *Manichaeorum* doctrina, hunc mundum fuisse a malo principio productum, et propterea eum esse tot malis repletum. Ad hanc doctrinam refellendam, *Theodorus Mopsuestenus* aliique pauci asseruerunt hominem a sua origine esse bonum, sed per propria deinceps peccata ipsum esse causam

cur tot mala in mundo reperiantur. Ex hac deinde assertione, rejectio peccati originalis sua quasi sponte sequebatur. In Occidente vero *Pelagius* ob aliam rationem hanc rejectionem suam fecit. Cum enim zelo flagrans vehementer hominum pravitatem improbare soleret, eique semper responderetur humanam naturam esse jam ab exordio suo vitiatam, in ipsa istius primaevae vitiationis negatione potissimum suae causae argumentum reperit. Unde ipse una cum *Caelestio* peccatum originale negare coepit. Amborum doctrina ad sequentes fere theses, quas *S. Augustinus* (De Gestis Pelag. 23; De Peccat. Originali, 12; ML. 54, 333, 390) et *Marius Mercator* (Subnot. praef. 5; ML. 48, 114, 115) *Caelestio* tribuunt, reducitur.

1. Adamus mortalis factus est, qui sive peccaret sive non peccaret moriturus erat.

2. Peccatum Adae ipsum solum laesit, et non genus humanum.

3. Lex aeque ac Evangelium ducit ad regnum.

4. Ante adventum Christi fuerunt homines sine peccato.

5. Neque per mortem vel praevaricationem Adae omne genus hominum moritur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurget.

6. Infantes nuper nati in illo statu sunt in quo Adam fuit ante prevaricationem.

7. Infantes etsi non baptizentur, habent vitam aeternam.

Ut facile patet, theses 3 et 4 ad nostrum tractatum non pertinent; reliquae vero doctrinae de peccato originali plus minus directe opponuntur.

258. Scholion II: Quaedam de SS. Patrum modo loquendi observanda.

Qui in subjecta materia scripta SS. Patrum explorat, *duo extrema* sedulo evitare debet. *Primum* quidem, ne quis putet SS. Patres per peccatum semper intelligere reatum culpae et poenae, quem ille terminus secundum hodiernum usum significare solet. Illi enim hac in re latius loquebantur, ita ut quemlibet fere defectum, quodlibet malum aut vitium, etiam ad ordinem moralem non pertinens, peccatum appellarent. Unde plerumque ex contextu determinari debet, num illum terminum in aliquo particulari casu stricte vel late accipiant.

Aliud vero extremum hac in re evitandum in eo est, ne quis SS. Patres peccatum negantes semper absolute intelligat. Ubi enim contra *Manichaeos* agunt, dicere solent nihil esse mali in conceptione qua corpus humanum efformatur, intelligendo scilicet malum quod juxta adversariorum mentem ex malo aliquo principio proveniret. Item ubi vel contra *Platonicos* vel contra *Origenistas* agunt, saepius dicunt infantes, licet baptizentur, nihil peccasse, nulla habere peccata; quo

tamen dicto intelligunt peccata quae juxta adversariorum mentem animae in superiore vita commisissent. Quare in neutro casu peccatum originale negare volunt. Denique plerique Patres, licet rem ipsam in qua consistit peccatum originale affirment, illi tamen rei nomen peccati non tribuunt, sed eam ut statum privationis exhibent. Quare haud raro "peccatum" et "peccatores" in doctrina S. Pauli sensu quodam latiori accipere videntur, quin tamen negare velint totum genus humanum esse peccato Adami infectum.

259. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Apostolus (Rom. 5, 12 sqq.) docet quidem omnes homines peccasse, ideoque omnes mortis poenae subjacere, sed non docet ipsius Adae peccatum in omnes homines transiisse: *Ergo.*

Resp. Non docet ipsius Adae peccatum in omnes homines transisse, hos formales terminos adhibendo, *C.* Neque adhibendo terminos vere aequivalentes, *N.* Nam postquam in versiculo 12 dixit per Adami peccatum mortem in omnes homines transire quia omnes peccaverunt, in sequentibus totus in eo est ut ostendat omnes esse peccatores per ipsius Adami delictum, sicut etiam omnes fiant justi per Christi gratiam; unde versiculo 18 resumit: "Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae."

2° Interpretatio textus superius data jam ex eo rejicienda est, quod adversatur universali legi a Deo statutae; nam apud Ezechielem (c. 18, v. 20) dicitur: "Anima quae peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii": *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: Filius non portabit iniquitatem patris, quatenus textus allegatus etiam de peccato originali accipi potest, *N.* Quatenus ad sola peccata personalia refertur, *C.* In textu reapse de peccato originali nullus est sermo; propheta enim respondet ad Judaeorum in exilio degentium querelam, se scilicet innocentes esse et unice propter peccata patrum ipsorum poenam exilii portare. Hanc autem querelam injustam esse propheta edicit, proferendo ordinariam Dei legem juxta quam unusquisque pro propriis dumtaxat peccatis punitur; neque tamen negat ex parentum culpa in filios physica quaedam mala provenire posse, quod ceteroquin tum Scriptura tum experientia satis clare docent. Addi quoque potest originale peccatum esse singulis proprium, et ideo poenas illius peccati non simpliciter pro alterius iniquitate infligi (cf. *S. Thomas,* I. II, q. 81, a. 1 ad 2; a. 2 ad 1).

3° Peccatum ab Adamo in genus humanum derivatum eo ipso omnibus inesset: *Atqui* Apostolus in textu superius allegato loquitur de peccato quod non omnibus inest: *Ergo.*

Resp. Peccatum ab Adamo in genus humanum derivatum quoad debitum illud incurrendi eo ipso omnibus inesset, *C.* Etiam quoad ipsum peccatum in se sumptum, *subd.* Nisi aliquis per speciale Dei privilegium excipiatur, *C.* Hujusmodi exceptio fieri nequit, *N.*

4° *Atqui* peccatum de quo loquitur Apostolus neque quoad debitum omnibus inest; nam in eis solum ullo modo invenitur, qui in Christo vivificantur (Rom. 5, 15-18): *Atqui* in Christo non omnes vivificantur: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad probationem dico: In eis solum ullo modo invenitur, qui in Christo saltem quoad sufficientiam vivificantur, *C.* In eis solum invenitur, qui in Christo quoad efficientiam vivificantur, *N.* Christus quidem dedit semetipsum redemptionem pro omnibus (I Tim. 2, 6), et ideo omnibus datur gratia sufficiens ad vitam spiritualem obtinendam; ut autem quis hanc vitam actu obtineat, seu ut quoad efficientiam in Christo vivificetur, propria ejus cooperatio accedere debet. Cf. De Verbo Incarnato, n. 439.

5° Plerique SS. Patres non modo obscure de peccato originali loquuntur, verum etiam aperte negant infantes modo natos peccata habere. Ita *S. Chrysostomus,* qui ait: "Etiam infantes baptizamus, licet peccata non habeant" (apud *S. Augustinum,* Cont. Julian. l. 1, c. 6, n. 22; ML. 44, 656): *Ergo* argumentum ex traditione desumptum non multum valet.

Resp. Plerique SS. Patres obscure de peccato originali loquuntur, *Tr.* Etiam negant infantes modo natos peccata habere, *subd.* Negant hos infantes habere peccata actualia personaliter commissa, *C.* Negant eos habere peccatum originale ab Adamo derivatum, *N.* Cf. superius, n. 258. Ad textum ex S. Chrysostomo desumptum quod attinet, ex ipso contextu satis patet eum juxta distinctionem modo datam intelligendum esse. Nam paulo infra legitur: "Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam; ille initium induxit debiti, nos foenus auximus posterioribus peccatis" (Ibid. n. 26; ML. 44, 658). Idem etiam ipse numerus pluralis suadet; peccatum enim originale unum est, non plura. Et hoc denique sensu S. Augustinus illum textum contra Julianum interpretatus est, suamque interpretationem ita defendit: "At, inquies, cur non ipse addidit 'propria'? Cur, putamus, nisi quia disputans in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quaestione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur" (Ibid. n. 22).

6° *Atqui* in textu allegato non est sermo de peccatis personaliter commissis; nam idem Pater commentans in Rom. 5, 19 ait: "Quaenam igitur quaestio fuerit? Dicere videlicet multos ob unius inobedientiam peccatores exstitisse. Illo enim peccante ac mortali effecto, et qui ex

eo orti sunt, esse tales nihil absurdum: at ex illius inobedientia alterum peccatorem exstitisse, id vero quam, obsecro, congruentiam consequentiamque habet? Invenietur enim sic nec poenas quidem debere, qui talis fuerit, siquidem non ex se ipso peccator extiterit. Quid igitur hoc loco verbum 'peccatores' significat? Mihi videtur tantumdem significare quantum illud: supplicio obnoxii ac mortis rei'' (Hom. in Epist. ad Rom. 10, 3; MG. 60, 476): *Ergo* negat genus humanum ab Adamo peccatum contraxisse.

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Textus satis obscurus est, cum tamen ille Pater in eadem homilia doceat omnes esse peccato Adami infectos (cf. n. 255 d), in textu allegato de peccato actuali loqui videtur, ita ut ipsius verba hunc sensum habeant: ''Quomodo potest esse aliquis peccator actualis per delictum alterius, cum pro delicto alterius ne poenas quidem quisquam teneatur dare? Respondetur: Utique per delictum alterius non potest quisquam actualis peccator existere, sed potest habitualiter condemnationi subjacere. In objectione enim dicitur: Ex peccato alterius nemo potest esse is, qui per se peccavit. Unde in responso Chrysostomus hoc concedit, et dicit agi solum de habituali condemnatione. Verba igitur Chrysostomi possunt recte intelligi, quamvis verum sit post peligianismum non jam ita loquendum esse'' (*Pesch*, op. cit. n. 245). Alias difficultates ex SS. Patrum scriptis desumptas vide sis apud *Toner*, De Lapsu et Peccato Originali, pp. 16 sqq.; *Wirceburgenses*, Tract. de Peccat. nn. 78 sqq.; *Palmieri*, De Deo Creante, thes. 70.

ARTICULUS III

Excursus Historicus

260. Antequam ad naturam peccati originalis exponendam accedamus, notasse juvabit quasdam hac de re sententias, quae lapsu temporis excogitatae atque propositae inveniuntur. Merito enim scripsit *S. Augustinus*, ''antiquo peccato nihil esse ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius'' (De Moribus Eccl. l. 1, c. 40; ML. 32, 1328); nam licet ejus existentia sat facile probetur, ejus tamen natura non aeque facile explicatur. Immo ante Pelagianam disceptationem hujusmodi explicatio a nullo unquam attentata fuit, nisi generali modo affirmando totum genus humanum in Adamo peccasse. In ista autem controversia clariore peccati originalis conceptu opus erat, et ideo *S. Augustinus* illud magis accurate exponere satagebat.

261. Neque tamen ipse exactam peccati originalis definitionem elaboravit, sed potius hujusmodi definitionis elementa proposuit. Primum elementum in eo reponit, quod Adam sibi suisque posteris

"peccando justitiam et sanctitatem veritatis amisit, propter quod haec imago (Dei) deformis et decolor facta est" (De Trin. l. 14, n. 22; ML. 42, 1054); et quidem "hanc imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam justitiae" (Gen. ad Litt. l. 6, c. 38; ML. 34, 355), ideoque natura humana in suo stipite a Deo aversa est (cf. De Civ. Dei, l. 13 passim; ML. 41, 381 sqq.). Hanc deinceps naturam spoliatam et a Deo aversam Adam ad posteros suos transmisit, quam juxta Dei ordinationem gratia ornatam transmittere debuisset. Hanc ob causam etiam infantes gratia egent Redemptoris, ut ad Deum convertantur et in imaginem ejus restaurentur (cf. Epist. 177, n. 46; ML. 33, 841).

Privatio igitur justitiae et aversio a Deo notionem peccati originalis ingrediuntur, sed cum his simul connexa est inordinata conversio ad bona creata, quae generico nomine concupiscentiae designatur. Haec utique concupiscentia non actualis est sed habitualis, seu pronitas ad concupiscendum ex amissione justitiae profluens, quae unicuique ex Adamo carnaliter nato inest. Quare ipse scribit: "Quod igitur in membris corporis mortis hujus inobedienter movetur totumque animum in se dejectum conatur attrahere, et neque cum mens voluerit exsurgit, neque cum mens voluerit conquiescet, hoc est malum peccati in quo nascitur omnis homo" (De Pecc. Merit. l. 1, c. 57; ML. 44, 142). Non tamen in ipsa hac concupiscentia materialiter sumpta peccatum originale consistit, sed potius in concomitante reatu qui ex privatione justitiae concupiscentiae inest. Unde prole nondum baptizata, "sic ibi est lex peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus cum illa sit, qui teneat aeterni supplicii debitorem. Hoc autem quod in parente regenerato, tanquam in oleae semine, sine ullo reatu, quia remissum est, tegitur; profecto in prole nondum regenerata, velut in oleastro, cum reatu habetur, donec etiam illi eadem gratia remittatur" (De Nupt. l. 1, c. 37; ML. 44, 434).

262. Hanc *S. Augustini* doctrinam omnes fere Occidentales, qui ante saeculum undecimum scripserunt, amplexi atque secuti sunt; deinvero *S. Anselmus* istam doctrinam ita modificare conatus est, ut concupiscentiam ex ambitu peccati originalis omnino seponeret. Unde ait: "Hoc peccatum quod originale dico, aliud intelligere nequeo in iisdem infantibus, nisi ipsam quam supra posui factam per inobedientiam Adae justitiae debitae nuditatem" (De Conceptu Virginali et Peccato Originali, c. 27; ML. 158, 460). Ex lege enim Dei omnes "qui ex humana natura propagarentur non praecedente peccato, ex necessitate justitiam pariter haberent cum rationalitate" (Ibid. c. 10; 444); nunc autem in Adamo spoliati, absque justitia nascuntur et propterea Deo displicent, quapropter ipsa justitiae privatio eis in proprium peccatum reputatur (cf. ibid. c. 26). Igitur "sic spoliavit persona naturam bono

justitiae in Adam; et natura egens facta omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et injustas facit'' (Ibid. c. 23; 456, 457). Notandum tamen est, S. Anselmum per justitiam originalem non intelligere ipsam gratiam sanctificantem, sed ''rectitudinem voluntatis propter se servatam'' (cf. ibid. cc. 3, 7, 29), et ideo juxta eum in hujus rectitudinis privatione peccatum originale consistit.

263. Hanc Anselmianam sententiam usque ad *Alexandrum Halensem* perpauci amplexi sunt, ita ut doctrina S. Augustini interim ubique fere floreret. Immo nonnulli peccatum originale in sola concupiscentia reposuisse videntur. Ita v. g. ipse *Magister Sententiarum,* qui ait: ''Originale peccatum culpa est. Haec autem culpa nihil aliud est nisi concupiscentia vel concupiscibilitas, quae non est actus sed vitium quoddam. Adam enim per peccatum corruptus est; in Adamo autem omnes ejus posteri materialiter existebant, unde corrupta materia transiit in omnes ejus posteros'' (II Sent. d. 30). Transmittitur vero hoc peccatum per libidinosam conceptionem; nam dicit: ''Unde caro ipsa, quae concipitur in vitiosa concupiscentia, polluitur et corrumpitur; ex cujus contactu anima, cum infunditur, maculam trahit, qua polluitur et fit rea; id est vitium concupiscentiae, quod est originale peccatum. Ideoque ipsum peccatum dicitur manere in carne. Caro igitur, quae in concupiscentia libidinis seminatur, nec culpam habet nec actum culpae, sed causam. In eo igitur, quod seminatur, corruptio est; in eo autem, quod nascitur, concupiscentiae vitium est. . . . Et quod vitium vel corruptio sit in carne ante corruptionem animae, effectu probatur, cum anima infunditur, quae ex corruptione carnis maculatur, sicut in vase dignoscitur vitium esse, cum vinum infusum acescit'' (Ibid. d. 31). Simili fere modo loquuntur *Robertus Pullus* (Sent. l. 6, c. 1; ML. 186, 863), *Hugo Eterianus* (De Anima Corp. Exuta, c. 4; ML. 202, 182), *Petrus Pictaviensis* (Sent. l. 2, c. 29; ML. 211, 1015), *Innocentius III* (De Contemptu Mundi, l. 1, c. 4; ML. 217, 1059).

264. Sententiam Anselmianam instauravit *Alexander Halensis,* ita tamen ut a S. Augustino non omnino recederet. Juxta eum peccatum originale ''culpa est carentia debitae justitiae, sive deformitas quaedam qua ipsa anima deformatur. Concupiscentia est ipsa poena'' (Sum. p. 2, q. 106, mem. 2, n. 1). Iterum: ''Originale peccatum est carentia vel nuditas justitiae'' (Ibid. n. 3). Exponit autem hanc esse definitionem formalem seu ''per causam efficientem''; alteram vero, juxta quam ''peccatum originale est vitium ex corruptione seminis in homine natum,'' esse materialem seu ''dari ex parte causae materialis.'' Haec distinctio, scilicet inter formalem et materialem peccati originalis

definitionem, celeberrima evasit in scholis, eamque usque ad Scotum suam fecerunt fere omnes scholastici.

265. Alexandrum in omnibus fere secutus est *S. Bonaventura,* simul tamen arctius premens vestigia Magistri Sententiarum. Quare ita arguit: "Est igitur quaestio, quid sit originale peccatum per essentiam. Et cum a Magistro dicatur et ab Augustino esse concupiscentia, sicut patet in littera, ab Anselmo autem in libro de Conceptu Virginali dicatur esse debitae justitiae carentia, quaestio est, quomodo ista duo verba possint esse simul vera; et in quo horum verborum magis explicatur, quid sit originalis culpa." Ad hanc autem quaestionem ita respondet: "Dicendum, quod sicut actuale peccatum non dicit omnimodam privationem, eo quod non tantum dicit aversionem, immo etiam quandam conversionem; non etiam dicit omnimodam boni privationem, immo relinquit aptitudinem et aliquem actum, privando circumstantiam erga ipsum; sic etiam in originali suo modo intelligendum est. Unde sicut non dicitur peccatum actuale esse in aliquo ex hoc solo, quod careat justitia—quia tunc lapis diceretur peccatum habere—sed ex hoc, quod aliquam inclinationem habet ad aliquid, in qua, cum deberet esse justitia, non reperitur; sic etiam originale peccatum dicitur esse in aliquo non solum quia caret justitia, sed etiam quia curvitatem habet et necessitatem concupiscendi. . . . Sic, cum quaeritur, quid sit originale peccatum, recte respondetur, quod sit concupiscentia immoderata; recte etiam respondetur, quod sit debitae justitiae carentia; et in una istarum responsionum clauditur altera, licet una notificet ipsum originale ratione ejus quod est in ipso habens modum conversionis, altera vero, ratione privationis" (In II Sent. d. 30, a. 2, q. 1). Et eodem ferme modo loquitur *Albertus Magnus* (cf. In II Sent. d. 30, q. 3).

266. Ulterius progressus est *S. Thomas,* licet ipse quoque concupiscentiam tamquam elementum materiale retineat. Ad quaestionem enim, utrum originale peccatum sit concupiscentia, respondet: "Dicendum, quod unumquodque habet speciem a sua forma. Dictum autem est supra, quod species peccati originalis sumitur ex sua causa. Unde oportet quod id quod est formale in originali peccato, accipiatur ex parte causae peccati originalis. Oppositorum autem oppositae sunt causae. Est igitur attendenda causa originalis peccati ex causa originalis justitiae, quae ei opponitur. Tota autem ordinatio originalis justitiae ex hoc est, quod voluntas hominis erat Deo subjecta. Quae quidem subjectio primo et principaliter erat per voluntatem, cujus est movere omnes alias partes in finem, ut supra dictum est. Unde ex aversione voluntatis a Deo consecuta est inordinatio in omnibus aliis animae viribus. Sic ergo privatio originalis justitiae, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali; omnis autem alia

inordinatio virium animae se habet in peccato originali sicut quiddam materiale. Inordinatio autem aliarum virium animae praecipue in hoc attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile; quae quidem inordinatio communi nomine potest dici concupiscentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis justitiae'' (Sum. Theol. I. II, q. 82, a. 3).

267. Ad discrimen *S. Thomam* inter et *S. Bonaventuram* quod attinet, scite notant editores operum *S. Bonaventurae:* ''Differentia tamen notabilis est quoad doctrinam hanc inter Ss. Bonaventuram et Thomam. Nam licet conveniant in hoc, quod peccatum originale asserunt esse privationem justitiae originalis sive carentiam ejusdem cum debito eam habendi; tamen non eodem modo intelligunt justitiam originalem, et per consequens nec privationem ejusdem. Nam secundum S. Thomam ipsa gratia sanctificans est essentia justitiae originalis et radix omnium aliorum donorum; hinc etiam originale peccatum primario et constitutive est privatio ejusdem gratiae. Secundum S. Bonaventuram vero justitia originalis primo consistit in illa rectitudine integritatis, quae concipitur ut dispositio, ad quam posterius ipsa gratia sanctificans secuta est. Hinc praevaricatio primitiva primo et directe aufert hanc rectitudinem integritatis, qua ablata, etiam gratia sanctificans perditur. Aliis verbis: peccatum originale inchoative et praecise consistit in privatione justitiae integritatis, quae est quaedam 'mentis et carnis integritas,' sed completur in privatione gratiae sanctificantis. Secundum hanc positionem culpabilis illa inordinatio et rebellio concupiscentiae et vitiatio naturae est illud quod praecipue spectatur in peccato originali'' (Schol. in q. 1, a. 2, d. 30, p. 724). Eadem ratione a S. Thoma etiam differunt *S. Anselmus, Alexander Halensis, Scotus.*

268. *Scotus* amplexus est sententiam *S. Anselmi,* eamque sic evolvit: ''Dico igitur quod peccatum originale, quod est carentia justitiae originalis, non est nisi carentia justitiae debitae. Et si objicitur, quod aliqui Sancti videntur dicere concupiscentiam esse peccatum originale; respondeo, concupiscentia potest accipi, vel prout est actus vel habitus, vel pronitas in appetitu sensitivo; et nullum istorum est formaliter peccatum, quia non est peccatum in parte sensitiva. Vel potest accipi prout est pronitas in appetitu rationali, id est, in voluntate ad concupiscendum delectabilia immoderate, quae nata est condelectari appetitui sensitivo, cui conjungitur; et hoc modo concupiscentia est materiale peccati originalis, quia per carentiam justitiae originalis, quae erat sicut fraenum cohibens ipsam ab immoderata dilectione ipsa, non positive, sed per privationem fit prona ad concupiscendum immoderate delectabilia.

"Sic ad propositum, (a) per hoc solvitur secunda quaestio, qua quaeritur quid sit peccatum originale. Est enim formaliter carentia justitiae originalis debitae, et non qualitercumque debitae, quia acceptae in primo parente, et in ipso amissae, cui correspondet poena damni dumtaxat ex praemissa criminis transgressione proveniens. Et ideo Adam non habuit peccatum originale, quia illud debitum non fuit ad ipsum traductum per aliquem parentem, sed ipse in se accepit illam justitiam, et actu suo amisit" (In II Sent. d. 32, q. unica, n. 7). Unde *Scotus* concupiscentiam stricte dictam, quae scilicet est inordinata pronitas in appetitu sensitivo, ex ambitu peccati originalis omnino eliminat; retinet tamen, tamquam materiale istius peccati elementum, correspondentem pronitatem in appetitu rationali seu voluntate. Insuper hoc materiale elementum non est pars constituens sed potius ad modum effectus; unde ait: "Dico quod ad illud peccatum concurrunt duo, carentia justitiae scilicet ut formale, et debitum habendi eam, ut materiale, sicut in aliis privationibus concurrit privatio et aptitudo ad habitum" (Ibid. n. 15).

269. Itaque opere *S. Thomae* et *Scoti* doctrina *S. Anselmi* de natura peccati originalis demum firmiter stabilita est; aliter tamen et aliter juxta modum quo uterque justitiam originalem intellexit, ut jam superius (n. 267) notatum est. Magistros suos secuti sunt eorum discipuli, ita ut brevi usitatus *S. Augustini* modus loquendi fere derelictus sit. Jam *Durandus* suo tempore (+ 1332) scripsit: "Communior autem opinio est, quod peccatum originale est carentia justitiae originalis cum debito habendi eam et dignitate carendi ea." Et paulo inferius: "Magister autem Sententiarum dicit ipsum esse concupiscentiam habitualem, . . . et haec sententia tangit illud quod est formale, ut alii doctores dicunt communiter" (In II Sent. d. 30, q. 3, a. 14; q. 31, q. 1, a. 8).

270. Attamen *Regulares S. Augustini* doctrinam simul et modum loquendi S. Patris defendere pergebant, neque in Concilio Tridentino damnati sunt. Immo posthac ex ipsius concilii declarationibus novum pro sua positione argumentum depromere conati sunt. Ita v. g. *Estius*, qui ait: "Alii enim peccatum originale volunt esse privationem seu carentiam justitiae originalis, alii concupiscentiam nobis innatam. Prioris sententiae auctor est Anselmus, quam multi post eum amplectuntur. Posteriorem tradit Magister secutus Augustinum, qui variis locis peccatum originale concupiscentiam vocat, et remitti eam dicit in baptismo." Deinde suam sententiam proferens, dicit: "Etsi negandum non sit peccatum originale esse carentiam justitiae seu rectitudinis quae unicuique nascenti inesse debeat, plenius tamen (dico) ejus rationem exprimi nomine concupiscentiae quam privationis." Et ad *Concilium Tridentinum* advertens, prosequitur: "Quamvis autem PP. Tridentini

Concilii definire noluerint, in utro potius constituenda sit propria ratio peccati originalis—utrum in privatione justitiae an in concupiscentia—per hoc tamen quod docent concupiscentiam in renatis non esse peccatum, satis videntur significasse eam esse peccatum in non renatis'' (In II Sent. d. 30, q. 9). Nihilominus postquam damnati fuerunt errores *Baii,* qui etiam hac in re S. Augustini auctoritate abusus erat, ipsi quoque *Augustiniani* antiquatum S. Patris modum loquendi reliquerunt.

271. Neque tamen putare quis debet, S. Thomae doctrinam fuisse statim ab omnibus eodem sensu intellectam atque acceptatam. Cum enim diceret concupiscentiam esse materiale peccati originalis elementum, alii hoc dictum pressius et alii latius interpretati sunt. Ita *Cajetanus* posuit S. Thomam intendere elementum intrinsecum ad modum habitus et dispositionis (cf. In I. II, q. 82, a. 1, comm. 7-13); dum *Salmanticenses* illum habitum et dispositionem quidem rejecerunt, sed simul tenendum putavere juxta S. Thomam concupiscentiam esse materiam intrinsecam peccati originalis, fere sicut marmor materia intrinseca statuae dicenda est (c. De Vitiis et Pecc. disp. 16, dub. 4, nn. 104, 107). Ex altera vero parte *Sylvius* (In I. II, q. 82, a. 3, concl. 5), *Billuart* (De Pecc. 6, 1), *Suarez* (De Vitiis et Pecc. disp. 9, sect. 2), *Bellarminus* (De Amiss. Grat. l. 5), illam materiam improprie sumunt, scilicet tamquam elementum extrinsecum in ipso peccati originalis effectu consistens. Et haec demum interpretatio fere communis evasit.

272. Denique tempore *Concilii Tridentini* alia in lucem prodiit sententia, juxta quam peccatum originale est ipsum actuale peccatum Adami, quatenus a posteris ejus moraliter commissum est et in iis moraliter perseverans eos Deo exosos reddit. Eam ita proponit *Salmeron:* ''Breviter asserendum est, illud ipsum peccatum quod fuit in Adam actuale, id est inobedientiam et esum vetiti ligni, in nobis esse originale'' (In epist. ad Rom. disp. 46). Salmeron secuti sunt *Toletus* (In Epist. ad Rom. c. 5), *De Lugo* (De Poenit. disp. 7, sect. 7), *Viva* (Tract. 8, disp. 1, q. 2, a. 1), *Platelius* (Synops. Curs. Theol. II, n. 16), *Wirceburgenses* (De Pecc. Orig. nn. 103 sqq.), et alii quidam recentiores. Hi quidem omnes admittunt privationem gratiae ad peccatum originale pertinere, non tamen ut rationem formalem sed potius tamquam effectum ejus.

ARTICULUS IV

De Natura Peccati Originalis

Thesis XXI.—Peccatum originale formaliter consistit in privatione gratiae sanctificantis, per praevaricationem Adami voluntarie abjectae; qua privatione Adae posteri habitualiter a Deo, fine ultimo supernaturali, aversi nascuntur.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I. II, q. 82, aa. 3, 4; *In II Sent.* d. 30, q. 1, a. 2; *Cont. Gent.* l. 4, cc. 52-54; *De Malo,* q. 3, a. 7; q. 4, a. 2; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 30, a. 2, q. 1; Scotus, *In II Sent.* d. 32, n. 7); Suarez, *De Vitiis et Peccatis,* disp. 9, sect. 2; De Lugo, *De Poenitentia,* disp. 7, sect. 7; Bellarminus, *De Amissione Gratiae et Statu Peccati,* l. 5; Wirceburg. *De Peccato Originali,* nn. 103 sqq.; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 702 sqq.; Pesch, *Praelect.* nn. 248 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 963 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 73; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 235 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2, s. 2, a. 3; *Hist. Dogm.* II, pp. 155 sqq.

273. STATUS QUAESTIONIS.—Postquam probatum est peccatum Adami in omnes posteros ejus transiisse, modo inquiri debet *quaenam sit istius peccati natura,* seu in quonam praecise ejus *ratio formalis* reponi debeat. In Adami enim peccato *duo* considerari possunt, nimirum *ipse actus peccaminosus* et *status internus* ex hoc actu resultans. Quatenus ille actus mere *personalis* erat, utique in Adae posteros transire non potuit, nisi forte per extrinsecam Dei imputationem; quatenus vero positus erat a *physico simul et morali capite generis humani,* quodammodo ad singula istius generis membra pertinere videtur. Simili etiam ratione considerari potest status ex illo actu in Adamo sequens, quippe qui deinceps non modo ipsius Adami erat, verum etiam totius naturae humanae in Adamo ejus capite contentae. Ille actus erat peccatum Adami *actuale,* status vero inde resultans dici debet ejus peccatum *habituale;* unde quaeritur num illud actuale vel hoc habituale peccatum transmittatur. Hoc alterum affirmatur in thesi.

274. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) Per peccatum originale hic utique intelligitur peccatum originale *originatum,* in contradistinctione ad peccatum originale *originans.* Illud contrahunt omnes homines una cum ipsa humana natura ab Adamo propagata, excepta utique Beata Virgine; hoc ab Adamo commissum ipsius proprium est, sed simul alterius causa existit.

b) Dicitur peccatum originale *formaliter* consistere in *privatione gratiae sanctificantis,* ideoque ipsius essentia sola hac privatione absolvitur. Quidquid igitur praeter hanc privationem per Adae peccatum

in posteros ejus inductum fuerit, sive in animam eorum sive in corpus, ad ipsam peccati originalis essentiam non pertinet. Ita v. g. licet propter Adae peccatum tota humana natura concupiscentiae subjecta fuerit, ipsa tamen concupiscentia peccatum originale nullo prorsus sensu constituit. Est enim istius peccati effectus, ideoque realiter ab eo distincta. Potest quidem dici ejus elementum materiale *extrinsecum,* ad ipsum peccatum consequens; non vero etiam *intrinsecum,* illud videlicet peccatum aliqua ratione constituens.

c) Terminus "privatio" hic intelligitur *stricto* sensu, scilicet ut *carentia perfectionis debitae.* Perfectio autem aliqua potest esse debita vel ex *ipsa natura* jam constituta, vel ex *libera Dei ordinatione* illam naturam ad superiorem statum elevante. *Hoc alterum* habetur in nostro casu. Deus enim in Adamo ipsam humanam naturam ad supernaturalem statum evexit, donando ei gratiam sanctificantem, quam in perpetuum conservari voluit. Unde post istam donationem ipsi Adamo, et in eo toti humanae naturae, inerat debitum illam gratiam semper habendi. Quare cum illa gratia per Adae peccatum amissa esset, non mera gratiae absentia sequebatur, sed vera privatio seu carentia perfectionis debitae. Cum autem haec privatio voluntarie ab Adamo inducta fuerit, in ea satis obvie formalis ratio peccati invenitur; et quidem non modo quatenus in ipso Adamo erat, verum etiam prout transiit in posteros ejus, quorum ipse caput tum physicum tum morale existebat.

d) Dicitur gratia per praevaricationem Adami *voluntarie abjecta;* in hujusmodi autem abjectione *duo* distinguenda sunt, nempe *physica gratiae subtractio* et *ratio ad eam movens.* Physica subtractio gratiae est *actus Dei,* quippe qui solus ipsam gratiam efficienter attingere potest; ratio autem ad illam subtractionem movens est *actus hominis peccaminosus,* quo peccator sese istius gratiae positive indignum reddit. Itaque abjectio gratiae ex parte hominis est ipsum peccatum *actuale,* subtractio gratiae ex parte Dei est *poena* istius peccati, status vero privationis inde resultans est peccatum *habituale.*

e) Hoc deinceps habituale peccatum in omnes Adae posteros transiit, ita ut per idipsum singuli homines vero sensu peccatores constituti sint. In se hoc peccatum *specie unum* est, sed in transitu fit *numero multiplex,* prout pro numero subjectorum multiplicatur. In *Adamo* erat primarie peccatum personae et secundarie peccatum naturae; in ejus vero *posteris* est primarie peccatum naturae et secundarie peccatum personae. Nam in Adamo persona peccavit et naturam peccato inquinavit; cum in ejus posteris natura sic peccato inquinata personam peccatorem constituit. In *Adamo* illud peccatum voluntarium erat ex *propria peccatoris voluntate;* in ejus vero *posteris* voluntarium

est non ex propria eorum voluntate, sed ex *voluntate Adami.* Non tamen in eis *alienum* peccatum est, sed potius ex *hereditate proprium.*

f) Ratione autem supradictae privationis dicuntur Adami posteri *habitualiter aversi a Deo, fine ultimo supernaturali.* Per omne peccatum grave homo sese a Deo avertit, et haec aversio ad remissionem peccati usque perdurat. Potest tamen duplex aversio a Deo hac in re distingui, nempe juxta finem ultimum homini praestitutum. In se enim finis ultimus naturalis esse potest vel supernaturalis, et sic duplex habetur ordinatio ad finem ultimum assequendum, necnon per consequens duplex aversio ab illo fine possibilis est. Haec in subjecta materia maximi momenti sunt, et ideo ulteriore explicatione indigent.

g) Itaque in ordine *naturae purae,* in quo ultimus finis mere naturalis esset, homo debito modo ordinaretur ad finem suum ultimum per *naturalem rectitudinem,* quae consisteret in debita dispositione voluntatis ad Deum naturaliter cognoscendum eoque fruendum. Proinde in eodem ordine aversio a Deo fine ultimo reponenda esset in deordinatione humanae voluntatis *mere morali.* Sicut enim in isto ordine ordinatio humanae voluntatis ad Deum finem ultimum non compleretur per *formam physicam naturae superadditam,* ita neque humanae voluntatis deordinatio respectu ejusdem finis compleretur per *privationem hujusmodi formae;* hoc igitur sensu hominis deordinatio, et consequenter ejus aversio a Deo fine ultimo, esset *mere moralis.*

h) At in ordine *naturae elevatae* debita hominis ordinatio ad Deum, finem ultimum supernaturalem, *objective* et in *concreto* efficitur per *formam physicam* naturae superadditam, seu per *gratiam sanctificantem;* et ideo in eodem ordine hominis aversio a Deo fine ultimo *objective* et in *concreto* consistere debet, non in aliqua *mere morali voluntatis habitudine,* sed insuper in *istius formae physicae* seu *gratiae sanctificantis privatione.* Ordinatio enim et deordinatio in eodem ordine sibi invicem correspondeant oportet; et ideo ubi conversio ad finem ultimum est per physicam formam, ibi aversio ab eodem fine per privationem istius formae sit necesse est. Hoc igitur sensu per privationem gratiae sanctificantis Adae posteri habitualiter a Deo, fine ultimo supernaturali, aversi nascuntur.

i) Ex dictis satis evidenter sequitur, licet in statu *naturae purae* peccatum habituale in *sola peccati actualis morali perseverantia* consisteret, in statu tamen *naturae elevatae* peccatum habituale insuper in *illa physica privatione reponendum* esse. Quare ubi peccatum actuale non propria voluntate commissum fuit, sed voluntate paterna, ibi peccatum habituale in sola ista privatione consistere manifestum est. Ubi enim propria voluntas non peccavit, ibi propria voluntas in peccato commisso perseverare nequit. Et hoc quidem quoad Adae posteros tuemur in hac thesi.

k) Denique notandum est, *nos in hac thesi agere rem domesticam;* quaerimus scilicet quaenam ex sententiis nunc inter Catholicos propugnari solitis verior videatur, ideoque admittenda sit. De sententiis enim haereticis, et de aliis etiam jam nunc plane obsoletis, quaedam infra in scholio dixisse sufficiet. Unde etiam ex solis conciliis et theologis arguere licebit.

275. ADVERSARII.—Hanc thesim, juxta explicationem modo datam, impugnant *Salmeron, Toletus, De Lugo, Platelius, Wirceburgenses,* et theologi quidam moderni (cf. superius, n. 272), qui tenent peccatum originale esse ipsum actuale peccatum Adami, quatenus posteris ejus ut ab ipsis moraliter commissum imputatur, sicque eos Deo exosos reddit. Admittunt utique privationem gratiae ad peccatum originale pertinere, sed eam dicunt esse effectum istius peccati, non rationem formalem. Igitur quod nos dicimus esse causaliter peccatum originale, illi dicunt esse formaliter peccatum originale; et quod nos dicimus esse formaliter peccatum originale, illi dicunt esse effectum peccati originalis (cf. *Pesch,* n. 256).

276. NOTA.—Thesis proponit doctrinam nunc *fere communem* et *vix non certam.*

277. ARGUMENTUM PRIMUM: ex declarationibus conciliorum.—Concilia docent, a) peccatum originale esse *mortem animae;* b) esse *unicuique proprium;* c) esse *injustitiam contractam a singulis ex Adamo,* et ideo *omnes debere in Christo renasci;* d) esse *voluntarium:* **Atqui** haec simul sumpta non verificantur nisi in privatione gratiae sanctificantis per praevaricationem Adami voluntarie abjectae: **Ergo.**

Major probatur per partes: a) *Concilium Arausicanum II* docet "peccatum, quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transiisse" (DB. 175). Idem repetit *Concilium Tridentinum* (cf. DB. 789). b) *Tridentinum* docet Adamum "acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, non sibi soli sed nobis etiam perdidisse," et "hoc Adae peccatum, quod origine unum est, propagatione non imitatione transfusum, omnibus inesse unicuique proprium" (DB. 789, 790). c) *Concilium Tridentinum* iterum docet: "Sicut homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant; ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis ejus gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur" (DB. 795). d) Peccatum originale esse voluntarium, explicite a conciliis non docetur, sed manifeste supponitur; nisi enim voluntarium esset, verum peccatum et mors animae dici non posset. Insuper hoc sequitur ex damnatione propositionum *Baii,* quarum 46 ita

legitur: "Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium" (DB. 1046); et 47: "Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit" (DB. 1047).

Minor argumenti hisce rationibus evincitur: a) Mors est privatio vitae; sed vita animae in ordine supernaturali est sola gratia sanctificans; ergo peccatum originale esse mortem animae in sola gratiae sanctificantis privatione verificatur. b) Actus peccaminosus Adami non potest esse unicuique proprius nisi quatenus singuli illum moraliter posuisse dicantur, quae tamen istius actus positio solido argumento probari nequit; dum e contra ex superius (n. 274 c) jam dictis facile intelligitur, quomodo privatio gratiae sanctificantis unicuique propria esse possit. c) Justitia in ordine supernaturali est gratia sanctificans, ideoque injustitia in eodem ordine est gratiae sanctificantis privatio; eatenus igitur Adae posteri ratione peccati originalis injusti nascuntur, quatenus ratio formalis istius peccati in privatione gratiae sanctificantis consistit; et similiter eatenus in Christo renascuntur et justi fiunt, quatenus illud privationis peccatum per infusionem gratiae sanctificantis aufertur. d) Cum gratia per praevaricationem Adae voluntarie abjecta fuerit, ejus privatio etiam in Adae posteris vere voluntaria est; non quidem cum respectu ad propriam eorum voluntatem, sed cum respectu ad voluntatem Adami. Neque ex alio fonte peccatum originale voluntarium esse potest, ut in sequente thesi ostendetur.

278. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex consensu theologorum.** —Licet etiam inter modernos nonnulli rem aliter explicent, tamen post longam hujus quaestionis discussionem fere omnes theologi sua faciunt verba *S. Anselmi:* "Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adae justitiae debitae nuditatem" (De Concept. Virg. et Pecc. Orig. c. 27). Quare in *Concilio Vaticano* paratus erat hic canon: "Si quis dixerit peccatum originale formaliter esse ipsam concupiscentiam aut physicum seu substantialem naturae humanae morbum, et negaverit privationem gratiae sanctificantis de ejus ratione esse, A. S." (can. 5; Coll. Lac. 7, 566). Utique in hoc canone non definitur privationem gratiae esse ipsam essentiam peccati originalis adaequate sumptam, nihilominus definitio data sententiae id affirmanti multum favet; praesertim cum theologi, quibus praeparatio istius canonis commissa erat, circa illam privationem notaverint: "Haec autem privatio nec est nec esse potest sine culpa libere contracta; quae quidem libertas non est personalis singulorum, sed est libertas ipsius capitis totius generis humani, Adam, qui libere peccando gratiam perdidit, non solum ut sibi personalem sed ut derivan-

dam ex institutione Dei ad omnes suos posteros. Et ideo culpa illa Adami est culpa naturae humanae et fit habituale peccatum proprium omnibus, qui carnali generatione ab Adam propagatam participant naturam'' (Ibid. 549).

279. **Scholion: De sententiis quibusdam rejiciendis.**

Inter Catholicos duae olim vigebant sententiae de essentia peccati originalis quae nulla prorsus ratione sustineri valent, et ideo jam dudum relictae sunt. Prima tribuitur *Magistro Sententiarum,* paucisque aliis (cf. superius, n. 263), juxta quos ex peccato Adami morbida quaedam qualitas in ejus corpore effecta est, quae in corpora reliquorum hominum generatione transmittitur. Ex hac dein qualitate inficitur ipsa anima, ita ut in ea correspondens morbida qualitas contrahatur, in qua demum qualitate animae inhaerente peccatum originale formaliter consistat; et hoc sensu dicebant ipsam concupiscentiam esse originale peccatum. Absurditas hujus sententiae per se patet, cum peccatum sit malum morale, non physicum; neque ipsa concupiscentia in se sumpta peccatum esse potest.

Altera sententia certe rejicienda jam a *S. Anselmo* (De Concept. Virg. et Pecc. c. 26) impugnata est, quam tamen postea magis excoluerunt *Ambrosius Catharinus* et *Albertus Pighius.* Illi docebant peccatum aliud non esse quam ipsum peccatum Adami, quatenus fuerit posteris ejus a Deo imputatum, et quidem extrinsece, ita ut reapse non sit unicuique proprium. Haec est communis eorum sententiae interpretatio, et sic intellecta certe adversatur *Concilio Tridentino,* definienti peccatum Adae propagatione transfundi et unicuique proprium esse. Attamen dubitari potest, num reapse mere extrinsecam imputationem intellexerint; nam *Catharinus* satis clare dicit: ''Haec ergo (vetiti fructus comestio) sola dicenda est peccatum nostrum, quod in nobis aliquam certe habet rationem culpae, quia aliquo modo in patre eramus coram oculis Dei'' (De Lapsu Hominis et Peccato Originali, disp. 6). Si autem peccatum originale imputatur quia ''in patre eramus coram oculis Dei,'' haec sententia reapse non differt ab ea quam *Salmeron* et alii supra (n. 275) notati tuentur, et qua talis utique absque temeritate defendi potest.

Inter *haereticas* sententias primo ea notanda est, quam *Matthias Illyricus,* Lutheri discipulus, proposuit, scilicet peccatum originale esse ipsam animae substantiam essentialiter corruptam, ita ut imago Dei, quae erat natura ipsa humana, mutata sit in imaginem diaboli (cf. *Bellarminus,* op. cit. l. 5, c. 1). Haec sententia non modo haeretica est, verum etiam prorsus absurda, cum ponat aliquam substantiam esse malam. Unde ipsi etiam hodierni Protestantes eam communiter rejiciunt (cf. *Schaff,* Creeds of Christendom, I, pp. 268 sqq).

Deinde ut haeretica rejicienda est fere communis *Novatorum* doctrina, juxta quam peccatum originale consistit in hereditaria corruptione, et praesertim in concupiscentia, quae Adami lapsum subsecuta est. Hanc doctrinam ita proponit *Confessio Augustana* (pars 1, art. 2): "Item docent quod post lapsum Adae omnes homines secundum naturam propagati nascuntur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, et cum concupiscentia, quodque hic morbus seu vitium originis vere sit peccatum damnans et afferens nunc quoque aeternam mortem his qui non renascuntur per baptismum et Spiritum Sanctum." Hoc utique peccatum manet in baptizatis, sed eis non imputatur. Haec sententia damnata est a *Concilio Tridentino* (sess. 5, can. 5; DB. 792), ejusque falsitas inde satis apparet, quod concupiscentia in se sumpta est homini naturalis, ideoque formalem rationem peccati habere nequit. Unde docet S. Jacobus: "Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum" (1, 14), id est, concupiscentia inclinat quidem ad peccatum, ipsum tamen peccatum non habetur nisi accesserit voluntatis consensus. Provocare solebant ad *S. Augustinum*, "qui solet definire peccatum originis concupiscentiam esse" (*Melanchthon*, Apologia Confess. c. 1, a. 2, n. 28), sed bene notat ipse *Calvinus:* "Ipse quidem eum morbum peccatum vocare non audet, sed tunc demum peccatum fieri docet, ubi consensus accedit; nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliqua omnino homo cupiditate titillatur" (Instit. III, 3, 10).

Novatorum doctrinae affinis est sententia *Baii*, qui posuit peccatum originale in concupiscentia quatenus sit habitualiter voluntaria seu Deum habitualiter odio habeat. Unde ait: "Sicut de abortivo quaerentes utrum sit homo necne, non quaerimus utrum a Deo sit necne, sed num habeat animam rationalem; ita concupiscentia, cum aperte sit contra legem Dei, sine dubio peccatum est, undecumque originem ducit" (De Pecc. Orig. c. 2). Haec sententia damnata est a *Pio V*, in Bulla "Ex omnibus afflictionibus," 1 Oct., 1567 (DB. 1046-1049). Eam quodammodo innovavit *Jansenius*, docendo peccatum originale esse concupiscentiam cum reatu, quem autem reatum ab ipsa concupiscentia provenire dicit (cf. De Statu Naturae Lapsae, l. 1, c. 23). Etiam *Hermes*, qui insuper negavit peccatum Adami in totum genus humanum transiisse. Damnata est haec sententia a *Gregorio XVI*, 26 Sept., 1835, et in *Concilio Coloniensi* (tit. 5, c. 16).

280. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Privatio gratiae sanctificantis est poena peccati originalis: *Atqui* poena peccati originalis non potest esse ejusdem peccati ratio formalis: *Ergo.*

Resp. Privatio gratiae sanctificantis est poena peccati originalis originati, *N.* Est poena peccati originalis originantis, *subd.* Peccati actualis, *C.* Peccati habitualis, *N.*

2° *Atqui* est poena peccati originalis originati; nam Deus, denegans infanti gratiam sanctificantem, natura prius videt peccatum ob quod gratiam denegat: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Deus natura prius videt peccatum in Adamo, ob quod infanti gratiam denegat, *C.* Natura prius videt peccatum in ipso infante, ob quod ei gratiam denegat, *N.* In his difficultatibus bene distinguendae sunt subtractio gratiae ex parte Dei et privatio gratiae prout est in homine. Subtractio gratiae ex parte Dei erat consequens ad ejus abjectionem ex parte Adami per peccatum actuale, et in tantum est poena istius peccati; status autem ex illa abjectione resultans est privatio gratiae, in qua deinceps habituale Adae peccatum consistebat, et hoc habituale peccatum in omnes posteros ejus transiit. Igitur Deus denegat infanti gratiam propter actuale peccatum Adami, et eo ipso infans habituali Adami peccato inquinatus est.

3° In ordine naturae purae peccatum habituale non consisteret in privatione gratiae; *Atqui* ratio formalis peccati habitualis semper eadem est: *Ergo.*

Resp. Concedo majorem, et nego minorem. Nam ratio formalis peccati habitualis diversa est pro diversa ordinatione hominis ad finem ultimum, ut superius (n. 274 g et h) jam dictum est. Quare in statu naturae purae reapse non posset esse peccatum originale proprie dictum; in illo enim statu peccatum primi parentis in posteros ejus derivari non posset nisi per mere extrinsecam imputationem, quae in re peccati proprie dicti non admittitur.

4° Peccatum proprie dictum debet esse voluntarium: *Atqui* peccatum originale, quod est peccatum proprie dictum, non potest esse voluntarium nisi quatenus peccatum Adami fuerit ab ipsis ejus posteris moraliter commissum: *Ergo* peccatum originale est ipsum actuale peccatum Adami, quatenus posteris ejus ut ab ipsis moraliter commissum imputatur, eosque Deo exosos reddit.

Resp. Peccatum proprie dictum debet esse voluntarium vel ex propria peccatoris voluntate, vel ex voluntate alterius, qui juxta Dei ordinationem respectu aliorum fungitur munere capitis moralis, *C.* Ex propria peccatoris voluntate, *subd.* Ubi de peccato personali agitur, *C.* Ubi quaestio est de peccato hereditario, ut in casu, *N.* Juxta *Tridentinum* Adami peccatum "propagatione transfusum omnibus inest unicuique proprium," quod de actuali peccato Adami verificari nequit:

nam posterorum voluntatis inclusio in Adamo non efficit ut Adami actus sit eorum proprius.

5° Peccatum veniale habituale, etiam in hoc statu naturae elevatae, non in aliqua donorum privatione consistit: *Ergo* a pari neque peccatum mortale habituale, et ideo neque peccatum originale.

Resp. Transmitto antecedens et nego consequens. Nam reapse non habetur paritas, cum omne peccatum eo modo perduret, quo in ipso fieri sanctitati adversatur. Jam vero peccatum mortale in ipso fieri aufert physicam ordinationem ad Deum finem ultimum, ideoque in privatione istius ordinationis perdurare debet; cum e contra peccatum veniale illam ordinationem non aufert, et ideo absque consequente privatione perdurare potest. Transmissa est antecedens, quia secundum S. Thomam (III, q. 87, a. 2 ad 3) et alios etiam ex peccato veniali sequitur macula in anima, ratione cujus peccatum veniale habitualiter perseverat.

6° Si peccatum grave habituale in privatione gratiae consisteret, omnia peccata habitualia forent paria, immo unum dumtaxat peccatum habituale haberi posset etsi plurima admissa essent actualia: *Atqui* consequens nemo admittit: *Ergo.*

Resp. Si peccatum grave habituale adaequate sumptum in privatione gratiae consisteret, objecta absurditas sequeretur, *Tr.* Si peccatum grave habituale inadaequate sumptum in privatione gratiae consistat, dicta absurditas sequitur, *N.* Siquidem juxta nos peccatum grave habituale consistit in privatione gratiae sanctificantis cum relatione ad peccatum actuale quo inducta fuit; nam absque hac relatione ipsa veri nominis privatio non esset. Proinde licet omne peccatum grave, etiam minimum, privatio gratiae consequatur, haec tamen privatio gratiae in ratione peccati habitualis diversae gravitatis est pro diversa gravitate peccati actualis commissi; item licet in eo qui plura peccata actualia commisit una sit actu privatio gratiae, haec tamen acquivalenter multiplex est, utpote dependens a pluribus causis per se singillatim sufficientibus ad eam inducendam.

ARTICULUS V

De Ratione Voluntarii in Peccato Originali

THESIS XXII.—Peccatum originale est voluntarium voluntate Adami, capitis generis humani.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, II, q. 81, a. 1; *In II Sent.* d. 33 q. 2, a. 2; *De Malo,* q. 4, a. 1; *Cont. Gent.* l. 4, cc. 51, 52; Bellarminus, *De Amissione Gratiae et Statu Peccati,* l. 5, c. 18; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 73, n. 4; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 1005 sqq.; Muncunill, *De Deo Creante,* nn. 683 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 268 sqq.; Van

Noort, *De Deo Creatore,* nn. 249 sqq.; Hurter, *Compend.* II, nn. 382 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2, s. 3, a. 3.

281 STATUS QUAESTIONIS.—Cum peccatum originale sit peccatum proprie dictum, utique voluntarium sit necesse est. Unde ad rem *S. Augustinus,* qui ait: "Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat" (De Vera Relig. c. 14, n. 27; ML. 34, 133). Quare nunc non *factum* sed *modus* inquirendus est, ex quanam scilicet voluntate illud peccatum voluntarium denominetur. Respondet nostra thesis hanc denominationem desumendam esse ex sola voluntate Adami, non quidem prout erat mere personalis, sed prout simul quodammodo repraesentavit voluntatem totius generis humani.

282. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) Voluntarium est id quod cum *sufficiente deliberatione a libera voluntate procedit.* Praedicatur *primarie* de ipso actu libere posito, sed *per consequens* etiam de iis omnibus quae ex hoc actu per se sequuntur. Unde voluntarium est peccatum *actuale deliberate commissum,* et voluntarium quoque est peccatum *habituale inde resultans.* De hoc altero est quaestio in nostra thesi.

b) Quomodo peccatum habituale personale possit esse voluntarium, facile intelligitur; quomodo vero etiam peccatum habituale originale vere voluntarium dici possit, summam hac in re facessit difficultatem. Nam non modo *ipsi Adamo* hoc peccatum voluntarium dici debet, sed *singulis etiam posteris ejus* quibus inest proprium. Unde haec voluntarietas non ex propria peccatoris voluntate desumitur, sed ex voluntate *aliena;* nec tamen ex plane aliena, sed ex *paterna.* Hoc quomodo fieri possit, nunc quadamtenus explicari debet.

c) Imprimis haec *tria* assumi debent: 1. agi de privatione doni *supernaturalis;* 2. Adamum esse *ontologicum* caput generis humani; 3. Deum lege positiva statuisse *nexum moralem* inter voluntatem Adami et universam familiam humanam relate ad illud donum supernaturale. Et haec quidem tria certa sunt. Primum enim probatum est in praecedente thesi; alterum in thesi de unitate generis humani (cf. nn. 160 sqq); tertium vero satis evidenter supponitur ad doctrinam S. Pauli (Rom. 5, 12 sqq), per unum nempe Adamum omnes homines constitutos esse peccatores, etiam eos qui ipsi in imitationem Adami nunquam peccaverint. Nisi enim inter voluntatem Adami et universam familiam humanam moralis aliquis nexus adfuerit, ejus peccatum in posteros suos transire non potuit; moralis autem ille nexus non ex physica omnium ab Adamo propagatione provenit, et ideo lege positiva a Deo statutus est.

d) His tribus igitur statutis, res potest ita explicari. Cum donum illud, in cujus privatione peccatum originale consistit, esset supernaturale, ideoque humanae naturae non debitum, potuit Deus ejus concessionem qualicumque rationabili conditioni alligare. Jam vero Adamus erat naturaliter caput physicum totius generis humani, eo sensu quod vitam physicam et naturalem posteris transmittere debebat. Sic igitur in Adamo erat naturale quoddam fundamentum altioris functionis, quod scilicet juxta Dei ordinationem ageret in re gratiae tamquam procurator totius generis humani; fere ad modum quo paterfamilias in rebus temporalibus agit ut caput familiae suae. Quod munus si ei concrederetur, *Adamus eo ipso relate ad gratiam constitueretur totius humani generis caput morale.*

e) Id autem quod sic fieri potuit, dicimus reapse factum esse. Decrevit igitur Deus gratiam dare *non Adamo tantum,* sed *in Adamo omnibus ejus posteris;* et ea quidem conditione, ut Adamus illam gratiam sine sua cooperatione pro se suisque posteris acciperet, et deinceps libera sua obedientia pro se suisque posteris servaret. Proinde cum Deus Adamo contulit gratiam, *non ei soli* contulit, sed *toti simul humanae naturae tunc in eo existenti,* ideoque ea intentione ut genus humanum in Adamo et per Adamum hanc gratiam servaret; aut si Adamus eam voluntarie abjiceret, ut simul in Adamo et per Adamum eam quoque abjiceret totum genus humanum. Ergo non solius Adami ista gratia erat, neque solius Adami voluntaria istius gratiae abjectio, sed ipsius Adami simul et universae familiae humanae in eo tunc existentis.

f) Hanc rem "solent theologi illustrare exemplo alicujus familiae, cujus capiti rex pro ipso et pro omnibus ejus posteris contulit nobilitatem et liberam ad aulam regiam accedendi facultatem, ea conditione, ut fidelis in servitio regio maneret. Si homo ita nobilitatus gravi crimine in regem commisso donum acceptum perdit, non sibi soli perdit, sed toti familiae, quae ob crimen in capite commissum regi exosa fit et arcetur ab aula regia. Sicut igitur membra talis familiae culpam legalem coram rege contrahunt, ita omnes homines in Adamo moralem culpam coram Deo contraxerunt" (*Pesch,* op. cit. n. 272).

283. **ADVERSARII.**—Huic thesi imprimis adversantur *Novatores,* qui negant Adamum constitutum fuisse caput *morale* generis humani, simulque volunt posteros in Adamo ut in capite eorum *naturali* seu *ontologico* peccasse, in quantum scilicet omnes seminaliter, ut aiunt, in Adamo existebant. Deinde hanc thesim etiam impugnat *Baius,* juxta quem "peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit" (DB. 1047). Demum hanc thesim rejiciunt omnes illi, jam in prae-

cedente thesi notati, qui contendunt peccatum originale esse actuale peccatum Adami, moraliter a posteris ipsis in Adamo commissum.

284. NOTA.—Thesis proponit sententiam nunc *fere communem* et *practice certam.*

285. ARGUMENTUM PRIMUM: ex ratione theologica.—Peccatum originale omnibus *voluntarium* est: **Atqui** non est voluntarium propria singulorum voluntate, neque voluntate Adami in quantum erat persona singularis: **Ergo** voluntate Adami qua capitis generis humani, juxta expositionem (n. 282) datam.

Major ex eo liquet quod juxta doctrinam Ecclesiae peccatum originale est peccatum proprie dictum; tale enim peccatum est semper voluntarium, ut jam ex *S. Augustino* superius allato (n. 281) audivimus. Praeterea damnatae sunt hae propositiones *Baii:* "Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quaestio est sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit" (DB. 1046, 1047).

Minoris prima pars ex eo patet, quod peccatum originale trahitur ex Adamo, et cum Adamus peccaret ejus posteri nondum existebant. Dicunt quidem adversarii voluntates posterorum fuisse a Deo in voluntate Adami inclusas; sed cum actu non existerent actualiter includi non poterant, et moralis inclusio nihil aliud sibi velle potest nisi quod Adamus lege positiva constitutus fuerit caput morale generis humani, ut superius (n. 282 c-e) explicatum est. Voluntas nostra immediate a Deo venit, neque ab ipso Deo in voluntate alterius includi potest, ut actus peccaminosus ab alterius voluntate positus noster proprius actus evadat. Insuper damnata est haec propositio Baii: "Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium" (DB. 1048).

Minoris altera pars per se liquet, cum inter personam qua singularem et ejus prolem nullus nexus moralis intercedat; secus enim omnium parentum peccata in eorum filios transirent, quod utique nemo admittit.

286. ARGUMENTUM ALTERUM: ex consensu theologorum.—Ad rem quod spectat, omnes fere theologi sua faciunt verba *S. Augustini,* qui ait: "Prorsus originale peccatum ex voluntate est, quia et hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut in illo esset et in omnes transiret" (De Nupt. et Concup. l. 2, c. 28, n. 47; ML. 44, 464). Unde *S. Anselmus:* In Adamo "spoliavit persona naturam bono justitiae, et natura egens facta omnes personas, quas

de se procreat, eadem egestate peccatrices et injustas facit'' (De Concept. Virg. c. 23; ML. 158, 457).

Hanc compendiosam explicationem ita evolvit *S. Thomas:* ''Tota multitudo hominum a primo parente humanam naturam accipientium, quasi unum collegium, vel potius sicut unum corpus unius hominis consideranda est, . . . quae (multitudo) per naturalem originem derivatur ab uno. Est autem considerandum, quod primo homini in sua institutione datum fuerit divinitus quoddam supernaturale donum, scilicet originalis justitia, per quam ratio subdebatur Deo, et inferiores vires rationi, et corpus animae. Hoc autem donum non fuerat datum primo homini ut singulari personae tantum, sed ut cuidam principio totius humanae naturae, ut scilicet ab eo derivaretur in posteros. Hoc autem donum acceptum primus homo, per liberum arbitrium peccans, amisit eo tenore, quo sibi datum fuerat, scilicet pro se et pro tota sua posteritate. Si ergo consideratur iste defectus, hoc modo in istum hominem derivatus, secundum illud quod homo est quaedam persona singularis, sic hujusmodi defectus non potest habere rationem culpae, ad cujus rationem requiritur quod sit voluntaria; sed si consideratur iste homo generatus sicut quoddam membrum totius humanae naturae, a primo parente propagatae, ac si omnes homines essent unus homo, sic habet rationem culpae propter voluntarium ejus principium, quod est actuale peccatum primi parentis'' (De Malo, q. 4, a. 1).

287. Scholion I: Quaedam de peccato originali notatu digna.

Primum notandum in eo reperitur, quod *nomen* peccati, quemadmodum de mortali et veniali, ita etiam de personali et originali, non praedicatur *univoce* sed *analogice* tantum. Hoc *S. Thomas* ita exponit: ''Peccatum non dicitur univoce de omnibus generibus peccatorum, sed per prius de peccato actuali mortali, a quo peccatum veniale deficit ex hoc, quod non omnino a fine deordinat, sed aliquo modo a fine retardat, ordine ad finem salvato; unde deficit ex parte illa, ex qua peccatum formaliter rationem mali habet. Originale autem deficit ab eo, ex parte ipsius substantiae actus; actuale enim mortale est voluntarium voluntate propria illius in quo est, sed originale est voluntarium voluntate alterius, unde deficit ex parte illa, ex qua peccatum habet rationem culpae. Et ideo non oportet, quod definitio peccati in genere conveniat nisi illi peccato, in quo perfecte ratio generis invenitur; potest autem et definitio peccati in genere eis secundum quid convenire, sicut et ratio generis in eis per posterius invenitur'' (In II Sent. d. 35, q. 1, a. 2 ad 2).

Alterum notandum spectat *gravitatem* peccati originalis. In omni peccato considerari potest ratio mali seu damni, et ratio culpae seu imputabilitatis. Sub priore aspectu peccatum originale eatenus mor-

tali peccato aequiparatur, quatenus utrumque includit privationem gratiae sanctificantis; cum hac tamen differentia, quod in peccato originali habetur deordinatio mere privativa seu solum deest debita conversio ad Deum, dum in peccato mortali personali adest deordinatio positiva, quae scilicet una cum aversione a Deo simul continet indebitam conversionem ad creaturam. Sub altero vero aspectu originale peccatum levius est quolibet peccato personali. Unde dicit *S. Thomas:* "Inter omnia peccata minimum est originale, eo quod minimum habet de voluntario; non enim est voluntarium voluntate istius personae, sed voluntate principii naturae tantum. Peccatum autem actuale, etiam veniale, est voluntarium voluntate ejus in quo est" (Ibid. q. 2 a. 1 ad 2).

Denique notandum est de peccato originali non haberi veri nominis *poenitentiam;* cum enim illud peccatum nobis voluntarium non sit nisi voluntate aliena, illud proprie retractare non possumus, quae tamen retractatio poenitentiae proprie dictae essentialis est. Quare damnata est propositio: "Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali" (DB. 1309). De eo tamen poenitere possumus, quatenus omnis displicentia mali latiore sensu poenitentia vocatur.

288. Scholion II: De pacto quod aliqui Deum inter et Adamum initum fuisse affirmant.

Sunt qui ad voluntarium peccati originalis explicandum supponant Deum inter et Adamum initum fuisse aliquod pactum, vi cujus Adamus nomine omnium hominum acceptaverit Dei promissionem de gratia ipsi et posteris ejus conferenda, ea conditione ut ipse servaret praeceptum divinum. Existentia tamen hujusmodi pacti nullo prorsus argumento probari potest, neque ea admissa voluntarium peccati originalis magis explicatur quam per solum decretum divinum, quo Deus sub dicta conditione Adamo ejusque posteris gratiam actu conferret. Immo in quantum illi theologi solam promissionem gratiae ponunt, conditione nondum purificata, omnem explicationem istius voluntarii impossibilem reddunt. Nam Adami posteri illa gratia privari non poterant, quae eis ne in capite quidem suo morali unquam actu collata fuit; ea enim re nemo stricto sensu privatur, quae sua nondum est. Quatenus vero alii actualem istius gratiae dationem supponunt, sed insuper requirunt Adami consensum, eandem quidem voluntarii explicationem dare possunt quam et nos dedimus; at Adami consensum inutiliter fingunt, cum solius Dei decretum sufficeret ad Adamum pro se suisque posteris obligandum. Cognoscere quidem debuit Adamus se hoc modo obligari, ita ut deliberate tamquam morale caput totius generis humani agere posset; sed ejus consensus nullatenus requirebatur, cum ad obligationem inducendam decretum Dei

per se solum sufficiat (cf. *Suarez*, De Opere Sex Dierum, l. 3, c. 21, nn. 18 sqq.).

289. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Peccatum originale est ipsis Adami posteris voluntarium: *Atqui* quod a sola Adami voluntate pendet, ejus posteris voluntarium non est: *Ergo.*

Resp. Peccatum originale est ipsis Adami posteris stricto sensu voluntarium, quod scilicet ex propria voluntate denominatur, *N.* Est eis latiori sensu voluntarium, quatenus nempe inter eorum voluntatem et voluntatem Adami moralis nexus habetur, vi cujus voluntarium denominatur, *C.*

2° *Atqui* iste nexus moralis admitti nequit; nam eo admisso, omnia Adami peccata, immo ejus quoque poenitentia, in posteros ejus transiisent: *Atqui* hoc plane absurdum est: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Omnia Adami peccata, immo ejus quoque poenitentia, in posteros ejus transiissent, si Adamus jure naturali esset caput morale generis humani, *C.* Cum constitutus fuerit hujusmodi caput lege Dei positiva, *N.* Bene notandum est, Adamum constitutum fuisse caput morale reliquorum hominum in uno dumtaxat negotio, in acceptanda videlicet et conservanda justitia originali, et ideo in hac una dumtaxat re moralis nexus inter ejus voluntatem et voluntatem posterorum intercedit. Neque in subjecta materia voluntas posterorum personalis intelligitur, sed voluntas humanae naturae quae in Adamo pro se et pro posteris ejus gratiam libere abjecit.

3° *Atqui* de illa lege positiva non constat: *Ergo* non est admittenda.

Resp. De illa lege positiva non constat explicite, id est, nullibi explicitis terminis memoratur, *C.* Neque de ea constat implicite, quatenus scilicet hoc unum Adami peccatum in posteros ejus transiisse affirmatur, *N.* Nam cum ex ipsa rei natura patris peccata non transeant in filios ejus, et cum fide certum sit hoc unum Adae peccatum in omnes transiisse, jam nihil aliud relinquitur, nisi quod Deus lege positiva Adamum in acceptanda et conservanda gratia caput morale generis humani constituerit. Alius enim modus istum transitum explicandi non videtur possibilis.

4° *Atqui* neque hic modus rem explicandi possibilis videtur; nam si homines de tali Dei ordinatione interrogarentur, multi nollent conservationem gratiae Adamo committi, ideoque ejus privationi per Adamum non consentirent: *Atqui* privatio cui homines, cum de ea interrogarentur, non consentirent, eis voluntate alterius voluntaria esse non potest: *Ergo.*

Resp. Transmitto majorem, et nego minorem. Nam cum agatur de privatione doni indebiti, consensus singulorum nullatenus supponi debet. Deus illud donum gratuito contulit, et absque hominum consensu ejus conservationem cuilibet conditioni a se volitae alligare potuit. Major transmissa est, quia minime certum est illos homines in eadem conditione atque Adamus positos melius acturos fuisse.

5° Deus pro sua sapientia et sanctitate illam ordinationem velle non potuit, qua praevidebat omnibus Adami posteris inevitabile malum oriturum fore: *Atqui* Deus praevidebat, hujusmodi malum futurum esse, si Adamum constitueret caput morale totius generis humani respectu gratiae conservandae: *Ergo.*

Resp. Deus non potuit malum sic praevisum permittere, nisi inde simul potuit et voluit hominibus bonum provenire, *Tr.* Si inde simul potuit et voluit hominibus provenire bonum, ut de facto tenendum est, *N.* Haec ordinatio Dei, ejusque praevisio mali inde secuturi, in concreto consideranda est; in concreto autem ex isto malo hominibus summum bonum obvenit, ita ut ipsa quoque Ecclesia in officio Sabbati Sancti exclamet: "O certe necessarium Adae peccatum, quod Christi morte deletum est. O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem." Ceterum, cum omnes admittant Deum potuisse humanum genus in statu lapso relinquere, major argumenti simpliciter vera non est; et ideo etiam absque distinctione data negari posset.

ARTICULUS VI

De Traductione Peccati Originalis

THESIS XXIII.—Peccatum originale generatione paterna traducitur in filios, quatenus ea nascuntur filii ex semine Adami.

S. Thomas, *Sum. Theol.* I, II, q. 81, aa. 2-5; q. 83, a. 1; *De Malo,* q. 4, a. 1; Bellarminus, *De Amissione Gratiae et Statu Peccati,* l. 5, c. 15; Suarez, *De Vitiis et Peccatis,* disp. 9, sect. 3, nn. 3-9; disp. 9, sect. 4, nn. 1 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 76, 77; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 732 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 275 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 1025 sqq.; Hurter, *Compendium,* II, nn. 385 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 262 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 4; *Hist. Dogm.* II, pp. 164 sqq.

290. **STATUS QUAESTIONIS.**—In thesibus hucusque de peccato originali positis probatum est peccatum Adami derivari in omnes posteros ejus, et ita quidem ut eis insit unicuique proprium, ipsisque voluntarium sit voluntate Adami capitis generis humani; quod denique peccatum ex probatis in privatione gratiae sanctificantis formali-

ter consistit. Manet solvenda quaestio, *qua via* hoc peccatum in Adami posteros derivetur. Ad hanc quaestionem respondet nostra thesis.

291. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Dicitur peccatum originale paterna generatione traduci in filios; circa quam generationem *plura* notanda sunt. Et *imprimis* quidem, licet ad generationem prolis ambo parentes, pater scilicet et mater, vere concurrant, tamen proles non est obnoxia peccato originali nisi in quantum praecise vi *paternae* generationis propagatur. Nam per "unum hominem peccatum intravit in hunc mundum," et in eo "omnes peccaverunt" (Rom. 5, 12); hic autem *unus homo* erat Adamus, qui constitutus fuerat caput morale generis humani. Proinde generatio prolis ex parte matris ad transfusionem peccati originalis nihil confert. Si igitur proles generaretur ex sola matre, quin ad ejus generationem concurreret pater humanus ex Adamo via generationis activae derivatus, illa proles non contraheret peccatum originale. Exemplum hujusmodi generationis habetur in conceptione Domini nostri per obumbrationem virtutis Altissimi.

b) Neque tamen haec paterna generatio sumenda est simpliciter ut patris *proximi* propria, sed ut actus virtutis generativae ultimo ab *Adamo* in eum derivatae. Nam actus generationis *per se* solum tendit in propagationem naturae humanae in se spectatae, absque omni relatione ad transfundendum aut justitiam aut peccatum. Hinc paterna generatio non est transmissiva peccati originalis nisi in quantum praecise participat vim *generativam ipsius Adami,* capitis non modo ontologici verum etiam moralis generis humani. Unde dici potest et debet *ipsum Adamum* transfundere peccatum originale in omnes homines, non quidem *immediate per se,* sed *mediate per patres qui proxime generant.* Hac igitur ratione additur in thesi illud incisum "quatenus ea (generatione paterna) nascuntur filii ex semine Adami."

c) Transfusio autem peccati originalis facilius ex intenta originalis justitiae infusione intelligitur, quae ita explicari potest. Adamus ante peccatum ex Dei ordinatione habebat virtutem generandi prolem gratia sanctificante ornatam, ita ut ipse actus generationis esset quodammodo *vehiculum gratiae* in prolem derivandae. Non utique eo sensu, quod gratia *physice* ex Adamo in ejus prolem transferretur; sed quod gratia, posteris in Adamo jam data, praecise *intuitu istius generationis* proli generatae a Deo infunderetur. Proinde actus generationis ex parte Adami erat conditio implenda respectu transmissionis gratiae in posteros ejus; et ideo ipsa generatio prolis esset causa *instrumentalis materialis,* quae *per se* quidem tendebat ad propagandam naturam humanam *qua talem,* sed sub *supradicta ordinatione Dei* propagasset naturam humanam *gratia sanctificante ornatam.* In-

super in quantum illa vis generativa, qua ab Adamo derivata, in quibuslibet deinceps aliis patribus exerceretur, eorum quoque posteris eadem via et modo gratia collata fuisset. Quare si Adam non peccasset, justitia originalis paterna generatione traducta fuisset in filios, quatenus ea nascerentur filii ex semine Adami.

d) Jam vero Adamus peccavit, et eo ipso amisit virtutem generandi prolem gratia ornatam. Ipsam quidem virtutem generandi retinebat, quia haec naturalis est; sed non potuit generare naturam humanam nisi prout in ipso tunc existebat, nempe *gratia sanctificante spoliatam.* Hanc enim gratiam tum pro seipso tum pro posteris suis peccando amiserat. Simul tamen naturae propagatae ex Dei ordinatione inerat *debitum gratiam habendi,* et ideo propagabatur cum *privatione gratiae* seu cum *peccato originali,* quippe quod formaliter in privatione gratiae sanctificantis consistit. Modo autem quo Adamus post peccatum commissum propagavit humanam naturam gratia spoliatam, eam quoque propagant singuli patres generis humani, et ideo peccatum originale generatione paterna traducitur in filios, quatenus ea nascuntur filii ex semine Adami.

e) Unde si *causae* traductionis peccati originalis quaerantur, haec dici possunt. Adamus, ratione praevaricationis, est causa *physica exigens* denudationem humanae naturae pro seipso et pro posteris suis; Deus est causa *physica actu denudans* humanam naturam in poenam peccati Adami; generatio paterna in Adamo et in posteris ejus est *causa instrumentalis,* vel etiam *medium* et *occasio,* propagationis naturae denudatae cum insito debito gratiam habendi, ideoque causa *instrumentalis deficiens* ipsius peccati originalis; denique, ratione cooperationis cum hac generatione paterna, Deus est causa physica *per accidens* peccati originalis *materialiter* considerati. Unde sola veri nominis causa *efficiens,* ex qua privatio gratiae ejusque formalis ratio peccati in posteris habetur, est *unus Adamus* in quantum pro universa humana natura gratiam sanctificantem voluntarie abjecit. Propagatur quidem humana natura cum concupiscentiae libidine, quae ultimo ex Adami peccato ortum habet; at ista libido non est peccati originalis traductionis causa, sed solum *manifestativum quoddam ejus signum.* Unde etiamsi prolis generatio absque hujusmodi libidine perageretur, nihilominus peccatum originale ipsa generatione in prolem transfuderetur.

292. **ADVERSARII.**—Hanc thesim, eo sensu quo modo explicata est, impugnant fere omnes *Novatores* eorumque sequaces moderni, qui quidem admittunt peccatum originale generatione paterna traduci in filios Adami; sed adstruunt transfusionem *physicam,* ipsius scilicet concupiscentiae, in qua essentiam peccati originalis

reponunt. Ad hos fere accedunt *Baius* et *Jansenius*, qui etiam peccati originalis essentiam in concupiscentia consistere volunt. Immo "*Lutherus* (In Ps. 50, 7), *Calvinus* (Inst. l. 2, c. 1 § 7), *Jansenius* (De Statu Nat. Lapsae, l. 1, c. 3), censent per libidinem parentum peccatum propagari, sicut corporales morbi a parentibus in filios transeunt" (*Pesch.* op. cit. n. 279). Et simili fere modo traductionem peccati originalis exposuerunt nonnulli antiquiores scholastici, qui illud peccatum in morbida quadam qualitate reponebant, quae per prius esset in corpore prolis.

293. **NOTA**.—Peccatum originale naturali generatione a patre traduci in filios, et quidem quatenus ea generatione nascuntur filii ex semine Adami, videtur *de fide tenendum:* id enim formaliter implicite in iis continetur, quae *Concilium Tridentinum* de peccato originali definivit (cf. sess. 5, can. 3, 4, 5; DB. 790-792; cap. 3; DB. 795). Illud autem traduci modo in praenotatis exposito, est sententia *certa* et *communis*.

294. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex declarationibus conciliorum.—Concilia docent, a) Peccatum originale *trahi ex Adamo;* b) peccatum Adami *propagatione transfundi;* c) homines, *praecise quia ex semine Adami propagatos, nasci injustos:* **Atqui** haec indicant peccatum originale generatione paterna traduci in filios, quatenus ea nascuntur filii ex semine Adami: **Ergo.**

Major ita per partes ostenditur: a) *Conc. Milev. II* declarat: "Quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, . . . A. S." (can. 2; DB. 102). b) *Tridentinum* statuit Adami peccatum "propagatione, non imitatione, transfusum omnibus inesse unicuique proprium" (sess. 5, can. 3; DB. 790). c) Idem concilium declarat: "Revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant" (sess. 6, c. 3; DB. 795).

Minor satis patet; nam peccatum originale trahi ex Adamo, ipsius Adami peccatum propagatione transfundi, et quidem per ipsum, si simul sumantur, evidenter significant illud peccatum generatione paterna traduci in filios; et cum "homines, nisi ex semine Adae nascerentur, non nascerentur injusti," aeque evidenter sequitur ultimum minoris incisum, nempe "quatenus ea nascuntur filii ex semine Adami."

Quia vero haec traductio alio modo rationabiliter exponi nequit, nisi quo superius (n. 291 c et d) exposita est, inde nostra thesis etiam sic proponi solet: "Peccatum originale naturali generatione a patre traducitur in filios, quatenus naturalis generatio, quae ex primitiva Dei

institutione debebat esse medium traducendi naturam gratia ornatam, post peccatum Adami jam non valet nisi ad traducendam naturam gratia privatam'' (Ita *Pesch*, prop. xxx).

295. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex consensu theologorum. —Paucis utique exceptis, jam *veteres scholastici* nostram thesim tuebantur, et post *Concilium Tridentinum* eam omnes sine ulla exceptione defendunt, licet in ea explicanda non omnes inter se conveniant. Qui enim tenent posterorum voluntates fuisse in voluntate Adami inclusas, suam explicationem ex privatione gratiae sanctificantis petere non possunt. Dicunt tamen generatione paterna ex semine Adae eos nasci, qui olim in Adamo ipsi peccaverint, eosque ita hac generatione infici peccato originali.

Item omnes conveniunt concupiscentiam non esse causam sed signum traductionis peccati originalis. Quare *S. Thomas* ait: ''Si fervor coitus inveniatur dici causa originalis peccati, hoc non propter se dicitur, sed in quantum est signum ejus quod est sui causa; quia ex inordinatione virium inordinata delectatio in coitu procedit, quasi signum et effectus causam suam (sc. amissionem originalis justitiae) indicans'' (In II Sent. d. 31, q. 1, a. 1 ad 3). Cum concupiscentia sit poena peccati originalis, ejus praesentia necessario indicat naturam lapsam, tum in generante tum etiam in generato.

296. **Scholion: Num S. Augustinus docuerit concupiscentiam esse causam traductionis peccati originalis.**

Tum *Novatores* tum etiam *Baius* et *Jansenius* ad *S. Augustinum* provocare solebant, ut ex auctoritate probarent traductionem peccati originalis ex ipsa generantis concupiscentia repetendam esse. Et revera *S. Augustinus* pluribus in locis eo modo loquitur, ut rem obiter consideranti haec ipsius sententia fuisse videatur. Dicit enim: ''Ipse ille licitus honestusque concubitus non potest esse sine ardore libidinis. . . . Ex hac carnis concupiscentia quaecumque nascitur prolis, originali est obligata peccato'' (De Nupt. et Concup. l. 1, c. 24, n. 27; ML. 44, 429). Item: ''Nuptiae tamen etiam nunc laudabiles sunt, quia neque instituunt hoc malum in hominibus, sed inveniunt; et eo malo bene utuntur intentione generandi, quamvis trahant inde, qui generantur, originale peccatum'' (Opus Imperf. contra Julian. l. 2, c. 45; ML. 45, 1161). Propter eandem quoque rationem theoriae traducianismi, quoad animae scilicet originem, adhaesisse videtur; cum ea seposita, traductionem peccati originalis inexplicabilem existimaret. Attamen imprimis notandum est *S. Augustinum* hac in re semper dubium permansisse; unde ipse etiam fatetur: ''Quid autem horum verum sit, libentius disco quam dico, ne audeam docere quod nescio'' (Cont. Julian. l. 5, c. 4, n. 17; ML. 44, 794). Deinde cum rationem formalem

peccati originalis non in ipsa concupiscentia qua tali posuerit, sed potius in ejus reatu ex privatione justitiae resultante, ejus dicta supra allegata rationabiliter de ipsa generantis natura, utpote propter Adami peccatum concupiscentiae subjecta, intelligi possunt; ita ut non concupiscentiae libido qua talis, sed potius generatio de facto hac libidine vitiata sit causa cur peccatum originale in prolem traducatur (cf. *Pesch*, op. cit. n. 280).

297. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Primum peccatum in hunc mundum intravit per Evam; nam "a muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur" (Eccli. 25, 33): *Ergo* peccatum originale non paterna sed materna generatione traducitur in filios.

Resp. Primum peccatum mere personale in hunc mundum intravit per Evam, *C.* Primum peccatum tum personale tum simul etiam universae humanae naturae in hunc mundum intravit per Evam, *N.* Nam S. Paulus clare docet: "Per unum hominem (Adamum) peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt" (Rom. 5, 12). Eva quidem initium peccati fecit, quatenus ipsa primo peccavit et Adamum simul ad peccandum induxit; quia tamen ipsa non constituta erat caput morale generis humani, inde ejus peccatum mere personale erat, quod quidem in genus humanum non transit.

2° Generatio prolis est institutum divinum: *Atqui* institutum divinum non potest esse vehiculum peccati: *Ergo.*

Resp. Generatio prolis in se sumpta est institutum divinum, *C.* Generatio prolis cum relatione ad gratiam est institutum divinum, *subd.* Cum relatione ad gratiam in prolem derivandam, *C.* Cum relatione ad gratiam proli denegandam, iterum *subd.* Quatenus illa denegatio gratiae est poena peccati a capite generis humani libere commissi, *C.* Quatenus illa denegatio in se sola consideratur, *N.* Nam in statu naturae elevatae Deus non instituit generationem prolis ut fontem vitae mere naturalis, cui ex ordinatione divina nulla gratia proli conferenda adnexa esset. Quare Deus nunc non simpliciter denegat gratiam, sed denegat eam in poenam peccati Adami.

3° Juxta communem sententiam inter theologos, peccatum Adami fuit condonatum: *Atqui* peccatum condonatum jam non existit: *Ergo* Adami posteri eo infici nequeunt, nisi quatenus ipsi illud in Adamo commisisse dicantur.

Resp. Juxta communem sententiam inter theologos, peccatum Adami personale fuit condonatum, *C.* Ipsum quoque peccatum originale, seu privatio gratiae quatenus in posteros derivanda, *N.* Igitur

peccatum Adami quidem in posteros derivatur, non tamen simul etiam istius peccati remissio. Et ratio est, quia Deus instituit Adamum caput generis humani ad gratiam conservandam, non autem ad eam recuperandam.

4° Traductio peccati originalis per generationem repetenda esset, vel ex productione animae, vel ex conjunctione animae cum corpore: *Atqui* ex neutra repeti potest: *Ergo* peccatum originale generatione non traducitur in filios.

Resp. Traductio peccati originalis per generationem repetenda est ex productione animae, *N.* Ex conjunctione animae cum corpore, *subd.* Ex conjunctione animae cum corpore in se sumpta, *N.* Ex conjunctione animae cum corpore ex Adamo derivato, iterum *subd.* Eo sensu quod anima ex ipso corpore peccatum contraheret, *N.* Eo sensu quod ex conjunctione animae cum hoc corpore resultat humanum suppositum, quod nexum moralem habet cum Adamo, *C.* Anima a Deo creatur, et qua creata nullam relationem sive ad gratiam sive ad ejus privationem dicit; ideoque ex ipsa sui productione non contrahit peccatum originale. Anima etiam a Deo cum corpore conjungitur, nam Deus eam infundendo creat; sed haec conjunctio per se solum tendit ad constituendum suppositum humanum, quod per se non habet peccatum originale. Quia vero hoc suppositum est filius Adami, qui divina ordinatione constitutus erat caput morale generis humani, inde praecise vi hujus generationis anima peccato originali infecta existit.

5° Atqui etiam haec explicatio deficere videtur; nam sic generatus ab ipso Deo constituitur peccator: *Atqui* Deus non potest hominem constituere peccatorem: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Sic generatus ab ipso Deo constituitur peccator, id est, Deus est causa cur iste generatus sit peccator, *N.* Deus est causa cur novum subjectum peccati ab Adamo derivati existat, *C.* Ipsum scilicet peccatum originale non est novum peccatum ex hac generatione ortum; sed novum est subjectum cui illud peccatum, quod jam est in mundo, nunc inest. Neque melius esset huic subjecto simpliciter non esse quam sic esse; nam licet forte ab hoc peccato nunquam liberetur, tamen assecutio finis ultimi naturalis materialiter sumpti ei possibilis manet, ut in thesi infra ponenda ostendetur.

6° Anima, si crearetur in corpore vulnerato vel in igne posito, statim doleret. *Ergo* a pari anima, quae creatur in corpore prono ad peccandum, statim maculatur; et sic origo peccati originalis potius repetenda est a pronitate ad peccandum seu a concupiscentia habituali infantis.

Resp. Nego paritatem; "nam inter physicam causam et physicum effectum est nexus; sed inter corpoream dispositionem ut talem et moralem effectum peccati non est nexus. Ergo quod *S. Augustinus* dicit animam in corpore ut in vase inquinato vitiari (Contra Jul. 5, 4, 17), non refertur ad malam qualitatem corpoream, sed ad rationem nexus cum Adamo" (*Pesch,* Compend. II, n. 355).

ARTICULUS VII

De Effectibus Peccati Originalis in Hac Vita

THESIS XXIV.—Per peccatum originale homo secundum animam et corpus in deterius mutatus est; ita tamen ut naturalia ejus integra permanserint.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, II, q. 85, aa. 1-5; *Cont. Gent.* l. 4, c. 52; *De Malo,* q. 5, a. 4; Bellarminus, *De Grat. Primi Hom.* c. 5; *De Amissione Gratiae et Statu Peccati,* cc. 6 sqq.; Suarez, *De Vitiis et Peccatis,* disp. 9, sect. 5; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 78-80; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 738 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 282 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 1054 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 243 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 262 sqq.; Hurter, *Compend.* II, nn. 391 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2, s. 3, a. 5.

298. **STATUS QUAESTIONIS.**—Cum peccatum originale vere insit Adami posteris unicuique proprium, cumque ex ipsa rei natura omne verum peccatum praeter reatum culpae etiam reatum poenae includat, satis evidenter sequitur homines solo originali peccato inquinatos poenae esse reos, tam in hac vita quam in vita futura. Qualisnam vero sit haec poena, et imprimis quidem in hac vita, modo investigare suscipimus.

299. **EXPOSITIO TERMINORUM.**—a) Status naturae lapsae comparari potest vel ad statum *originalis justitiae* vel ad statum *naturae purae.* In prima parte theseos status naturae lapsae ad statum *originalis* justitiae comparatur, et relate ad hunc statum homo dicitur in *deterius mutatus,* tum quoad animam tum quoad corpus. Haec autem in deterius mutatio *primarie* in eo consistit, quod homo per peccatum originale iis bonis spoliatus est, quibus gratuito collatis status originalis justitiae constituebatur; *secundarie* vero etiam in extrinseca quadam ipsius naturae vulneratione, ut inferius exponetur. Jam vero bona gratuito collata complectebantur *gratiam sanctificantem, immunitatem a concupiscentia et a necessitate moriendi,* atque *felicitatem vitae.* His igitur bonis homo per peccatum originale privatus est, et ratione hujus privationis dicitur in deterius mutatus.

b) Notandum tamen est, privationem gratiae sanctificantis non esse *poenam peccati* originalis eodem sensu, quo est ejus *ratio formalis.* Nam haec privatio duplicem aversionem includit: aversionem hominis a Deo fine ultimo supernaturali, et aversionem Dei ab homine peccato originali coinquinato. Aversio hominis a Deo ipsum peccatum originale formaliter constituit; aversio autem Dei ab homine prout hic jam gratia privatus existit, est istius peccati poena. Cum hac poena connectitur amissio *immunitatis a concupiscentia,* quae immunitas absolute etiam post peccatum originale conservari potuisset; et ratione *utriusque* homo per peccatum originale secundum *animam* in deterius mutatus est.

c) Secundum *corpus* vero in deterius mutatus est propter amissionem *immunitatis a necessitate moriendi* et ob perditionem *felicitatis vitae.* Hanc enim ob causam homo tum morti subjectus est tum multifariis morbis et vitae miseriis obnoxius existit. Attamen haec mala ad peccatum originale consequentia, licet apparenter poenam *positivam* constituant, re tamen vera non sunt nisi poena *privativa;* quia ad illa bona amissa homo nullum jus stricte naturale habebat, et ideo mala eorum privatione inducta cum naturali hominis conditione connectuntur. Quare homo jam in hac vita ob peccatum originale vere quidem punitur; at poena non *positiva* sed *privativa* dumtaxat.

d) In altera vero parte theseos, in qua agitur de naturalibus hominis perfectionibus, status naturae lapsae comparatur ad statum *naturae purae.* Et secundum hanc comparationem thesis affirmat hominem respectu perfectionum *naturalium* nunc esse essentialiter in eadem conditione, in qua fuisset in statu naturae nullo supernaturali dono auctae. Hoc igitur sensu integra permanserunt hominis *anima* et *corpus,* integra ipsius *intellectus* et *voluntas,* integer quoque *facultatum usus.* Neque Deum naturaliter cognoscendi atque amandi capacitatem amisit, neque liberum in agendo arbitrium perdidit. Neque a Deo *fine naturali* aversus est, quia non propria voluntate peccavit; tamen finem ultimum naturalem nunc non habet, quia ad finem supernaturalem destinatus manet. Ex altera tamen parte nunc caret *auxiliis* quibusdam ad Dei *naturalem* providentiam spectantibus, quae in statu naturae purae habuisset; quia loco horum habentur in statu naturae elevatae quaedam *auxilia medicinalia,* quae proprie pertinent ad providentiam Dei *supernaturalem.* Insuper in statu naturae lapsae homo infestationibus diaboli turbatur, a quibus probabilius immunis fuisset in statu naturae purae; quia "a quo quis superatus est, hujus et servus est" (II Petr. 2, 19).

e) Quare bene intelligendus est sensus istius axiomatis, inter theologos valde communis, nempe hominem esse *spoliatum gratuitis* et *vulneratum in naturalibus.* Haec enim vulneratio ad ipsam spoliationem restringi debet. Eam ita exponit *S. Thomas:* "Per justitiam

originalem perfecte ratio continebat inferiores animae vires, et ipsa ratio a Deo perficiebatur ei subjecta. Haec autem originalis justitia subtracta est per peccatum primi parentis. Et ideo omnes vires animae remanent quodammodo destitutae proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, et ipsa destitutio vulneratio naturae dicitur. Sunt autem quatuor potentiae animae, quae possunt esse subjecta virtutum: scilicet ratio, in qua est prudentia; voluntas, in qua est justitia; irascibilis, in qua est fortitudo; concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiae; in quantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiae; in quantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis; in quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiae. Sic igitur ista quatuor sunt vulnera inflicta toti humanae naturae ex peccato primi parentis" (I. II, q. 85, a. 3).

f) Iidem hi defectus etiam haberentur in statu naturae purae, ibi tamen *vulnera* non dicerentur; quia in illo statu natura sibi simpliciter relicta esset, non autem gratuitis spoliata. Unde homo in statu naturae lapsae et homo in statu naturae purae ad invicem comparari possunt sicut *nudatus* ad *nudum;* ille ante peccatum Adami donis gratuitis vestitus erat, hic ab ipsa sua origine in puris naturalibus existeret.

300. **ADVERSARII.**—Primam partem theseos nemo impugnat, nisi utique *Pelagiani, Rationalistae,* alii, qui ejus suppositum, scilicet ipsam existentiam peccati originalis, negant. Alteri vero parti adversantur quidam theologi, ut *Gregorius Arimiensis, Alvarez, Contenson, Thomas de Lemos, Esparza,* et inter recentiores *Franciscus Schmid* (Quaestiones Selectae, pp. 228 sqq), qui asserunt naturae vires esse intrinsece debilitatas. Sunt etiam qui externam quamdam in deterius mutationem propugnent, sed eorum sententia cum nostra thesi componi potest.

301. **NOTA.**—Prima pars theseos est *de fide tenenda,* ex *Arausicano II* (DB. 174) et *Tridentino* (DB. 788, 789), e quibus ipsa verba theseos desumpta sunt. Altera pars, quatenus ei opponuntur *Novatores,* liberum hominis arbitrium perditum esse affirmantes, est *de fide definita,* ex *Concilio Tridentino* (sess. 6, can. 5 DB. 815). Quatenus vero ei adversantur nonnulli *Catholici,* qui vires naturales intrinsece diminutas esse asserunt, haec pars proponit sententiam *fere communem* et *certam.*

I. Per peccatum originale homo secundum animam et corpus in deterius mutatus est.

302. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex jam probatis.—Per peccatum originale a) amissa est *gratia sanctificans una cum sacro virtutum comitatu;* b) amissa quoque est *naturae integritas, corporis immortalitas,* et *felicitas vitae;* c) subjectus est homo *servituti diaboli:* **Atqui** haec necessario ostendunt hominem secundum animam et corpus in deterius mutatum esse: **Ergo.**

Minor est evidens ex ipsis terminis.—*Major* probatur per partes: a) Amissio gratiae sanctificantis constat ex thesi de natura peccati originalis (supra, nn. 274 sqq); amissa autem gratia sanctificante, amissae etiam sunt virtutes, quippe quae hanc gratiam consequuntur. b) Amissio integritatis naturae, immortalitatis corporis, et felicitatis vitae, sequitur ex thesi de peccato protoparentum (supra, nn. 236 sqq), cum Adamus peccando non sibi tantum sed nobis quoque justitiam originalem perdiderit. c) Hominem subjectum esse servituti diaboli, patet ex II Petri (2, 19), ubi dicitur: "A quo quis superatus est, hujus et servus est"; cf. Col. 1, 13; 2, 14, 15; Lc. 11, 21 sqq.

303. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex doctrina Ecclesiae.—Haec doctrina explicite statuitur in conciliis superius (n. 301) allegatis, eamque testantur omnes SS. Patres, necnon eam late exponunt theologi tam veteres quam moderni. Insuper eandem doctrinam quoque proponit Sacra Scriptura; cf. Rom. 5, 12 sqq.

II. Naturalia hominis integra permanserunt.

304. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex ratione theologica.—In peccato originali *reatus culpae totus quantus ad ordinem supernaturalem restringitur:* **Ergo** etiam reatus poenae: **Atqui** poena ad ordinem supernaturalem restricta hominis naturalia integra relinquit: **Ergo.**

Antecedens ex eo patet, quod peccatum originale formaliter consistit in privatione gratiae sanctificantis, quae in Adami posteris continet quidem aversionem a Deo ut fine ultimo supernaturali, non vero etiam aversionem a Deo ut fine naturali, neque ullam conversionem ad creaturas.

Consequens inde sequitur, quod reatus culpae et reatus poenae in eodem ordine sint oportet; secus enim debita proportio inter culpam et poenam deesset.—*Minor subsumpta* per se patet.

305. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex auctoritate theologorum.—Doctrinam theologorum ita refert *Suarez:* "Communis et vera sententia est vires hominis vel liberi arbitrii quoad gradum seu per-

fectionem, quam in statu purae naturae haberent, non fuisse diminutas in natura lapsa ex vi solius peccati originalis, sed solum quoad robur et integritatem quam a justitia originali accipiebant. Haec sine dubio est sententia S. Thomae et communis antiquorum theologorum'' (De Grat. proleg. 4, c. 8, n. 5). Cf. *S. Thomas,* I. II, q. 85, aa. 1, 3, q. 87, a. 7; De Malo, q. 5, a. 2.

Quare *Bellarminus* jure concludit: ''Non magis differt status hominis post lapsum a statu quidem in puris naturalibus, quam differt spoliatus a nudo, neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, neque magis ignorantia et infirmitate laborat, quam esset et laboraret in puris naturalibus condita. Proinde corruptio naturae non ex alicujus doni naturalis carentia, neque ex alicujus malae qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob Adae peccatum amissione profluxit. Quae sententia communis est doctorum scholasticorum veterum et recentiorum'' (De Grat. Primi Hom. l. unic. c. 5).

306. *Confirmatur* haec pars ex ipso *Concilio Tridentino,* quod hominis in deterius mutationem in sola donorum supernaturalium amissione collocare videtur; nam statuit: ''Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, A. S.'' (sess. 5, can. 1; DB. 788). Haec deinde mala in sequente canone dicit transmissa fuisse in Adae posteros, in quantum videlicet ex amissione originalis justitiae profluant.

307. **Scholion: Quo sensu S. Augustinus docuerit liberum hominis arbitrium perditum esse per peccatum originale.**

Haec quidem quaestio proprie pertinet ad tractatum de gratia, ubi de naturali hominis lapsi facultate perficiendi opera honesta ex professo sermo habetur; attamen cum *Novatores* necnon *Baius* et *Jansenius,* etiam quum de sequelis peccati originalis agunt, ad *S. Augustinum* provocent, quaedam de ejus mente hoc in loco notasse juvabit.

Negari quidem nequit *S. Augustinum* aliosque Patres verbotenus docere per peccatum amissam esse libertatem, vel etiam liberum arbitrium; attamen hisce non naturalem indifferentiae libertatem intelligunt, sed libertatem filiorum Dei, quae in eo consistit quod creata voluntas per gratiam Dei expedita est ad totam legem implendam atque ad opera aeternae beatitudinis meritoria perficienda. Unde ipse *S.*

Augustinus ait: "Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam. Propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino: 'Si vos Filius liberavit, tunc vere liberi estis,' utique liberi ad bene justeque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant et amore peccati" (Contra duas epist. Pelag. l. 1, c. 2, n. 5; ML. 44, 552). Et ad Valentinum scribit: "Quantum ergo potuimus, egimus cum istis et vestris et nostris fratribus, ut in fide sana catholica perseverent, quae neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam sive in bonam, neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum, sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sempiternum perveniat, ubi jam non timeat ne deficiat" (Epist. 215, n. 4; ML. 33, 973).

308. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Ubi eadem est culpa, ibi eadem quoque debet esse poena: *Atqui* culpa peccati originalis eadem est in omnibus; mala autem, quae ejus poena dicuntur, non sunt eadem in omnibus: *Ergo* ista mala non sunt poena peccati originalis.

Resp. Ubi eadem est culpa, ibi eadem quoque debet esse poena directe ex culpa proveniens, *C.* Eadem etiam debet esse poena indirecte tantum ex culpa proveniens, *N.* Directe ex culpa originali provenit subtractio donorum supernaturalium, et haec eadem est in omnibus posteris Adami; indirecte vero ex illa culpa provenit, quod mala inde sequentia sunt in quibusdam magis intensa. Cum enim natura sibi relicta non sit aequalis in omnibus, neque eaedem sint circumstantiae sub quibus ista natura in concreto operatur, facile evenire potest ut propter hanc naturae inaequalitatem, vel circumstantiarum diversitatem, ipsa quoque mala ex originali culpa provenientia in uno magis intensa quam in alio inveniantur.

Ad rem *S. Thomas:* "Soluto vinculo originalis justitiae, sub quo quodam ordine omnes vires animae continebantur, unaquaeque vis animae tendit in suum proprium motum, et tanto vehementius quanto fuerit fortior. Contingit autem vires aliquas animae esse fortiores in uno quam in alio, propter diversas corporis complexiones. Quod ergo unus homo sit pronior ad concupiscendum quam alter, non est ratione peccati originalis, cum in omnibus aequaliter solvatur vinculum originalis justitiae et aequaliter in omnibus partes inferiores animae sibi relinquantur, sed accidit hoc ex diversa dispositione potentiarum" (I. II, q. 82, a. 4 ad 1). Eodem quoque modo explicatur inaequalitas quantum ad defectus corporales (cf. ibid. q. 85, a. 5 ad 1).

2° Condonato peccato, tollenda est poena peccati: *Atqui* etiam post peccati originalis condonationem, ut in renatis, concupiscentia, morbi, miseriae vitae remanent: *Ergo* haec mala non sunt poena peccati originalis.

Resp. Condonato peccato, tollenda est poena peccati, praecise in quantum est poena, *C.* Etiam in quantum est mere poenalitas, scilicet malum ex ipsa hominis natura ratione peccati ortum, *subd.* Tollenda est haec poenalitas in vita beata, *C.* Jam in hac vita, iterum *subd.* Nisi sit ratio illam interim relinquendi ob bonum aliquem finem consequendum, *C.* Cum sit hujusmodi ratio, *N.* Haec mala, quae poenam peccati originalis constituunt, oriuntur ex ipsa hominis natura sibi relicta; quapropter post peccati originalis condonationem non amplius poena sed poenalitates dicuntur, quae juxta Dei ordinationem ad virtutes exercendas inserviunt. Hoc sensu *Concilium Tridentinum* (sess. 5, can. 5; DB. 792) docet, ipso originali peccato penitus sublato, concupiscentiam relinqui ad agonem. Et idem valet de aliis miseriis hujus vitae; quare *S. Thomas* ait: "Utrumque fit secundum ordinem divinae sapientiae congruo tempore. Oportet enim quod ad immortalitatem, et impassibilitatem gloriae, quae in Christo inchoata est, et per Christum nobis acquisita, perveniamus conformati prius passionibus ejus. Unde oportet quod ad tempus ejus passibilitas in nostris corporibus remaneat ad impassibilitatem gloriae promerendam conformiter Christo" (I. II, q. 85, a. 5 ad 2).

3° Ille in naturalibus vulneratus dici nequit, cujus natura permansit integra: *Atqui* homo peccato originali in naturalibus vulneratus est: *Ergo.*

Resp. Ille in naturalibus vulneratus dici nequit, cujus natura permansit integra neque privata est perfectionibus supernaturalibus, quas ante peccatum habuit, *C.* Cujus natura permansit integra sed simul privata est perfectionibus supernaturalibus, quas ante peccatum habuit, *N.* Nam ipsa perfectionum supernaturalium subtractione quaedam inter naturae vires deordinatio subsecuta est, ratione cujus homo in naturalibus vulneratus esse haud immerito dicitur (cf. superius, n. 299 c).

4° Est universalis fidelium persuasio, quae etiam in catechismis exprimi solet, hominis intellectum peccato originali obscuratum esse, ejusque voluntatem esse debilitatam: *Atqui* hujusmodi universalis fidelium persuasio falsa esse nequit: *Ergo.*

Resp. Est universalis fidelium persuasio, quae etiam in catechismis exprimi solet, supradictos effectus aliquo modo ex peccato originali profluere, *C.* Est universalis fidelium persuasio supra dictos effectus immediate et directe ex peccato originali provenire, eosque esse hominis

facultatibus intrinsecos, *N.* Nam fideles, et ipsi quoque catechismi, nudum factum respiciunt, quin de intima ejus explicatione quidquam dicere velint.

5° Ex peccato oriuntur habitus vitiosi: *Atqui* habitus vitiosi sunt facultatibus intrinseci: *Ergo* hominis facultates peccato originali intrinsece vitiatae seu vulneratae sunt.

Resp. Ex peccato habituali, quod in sola gratiae sanctificantis privatione formaliter consistit, quale scilicet est peccatum originale, oriuntur habitus vitiosi, *N.* Ex peccato actuali, nempe quod propria peccatoris voluntate committitur, oriuntur habitus vitiosi, *subd.* Si illud peccatum saepius repetitur, *C.* Si semel tantum fuerit commissum, *N.* Nam habitus, sive mali sint sive boni, ordinarie non tam ex ipso actu quam ex iterata ejus positione ortum habent. Quare neque dici potest ex peccato Adami in posteros ejus derivatam esse dispositionem aliquam corporalem, propter quam in certum genus peccati propensi essent, sicut plerumque contingit in prole ex parentibus luxuriosis et ebriosis generata; nam inter unum eumque brevissimum actum peccaminosum et hujusmodi dispositionem jam nulla esset proportio.

ARTICULUS VIII

De Effectibus Peccati Originalis in Altera Vita

THESIS XXV.—Qui in solo peccato originali e vita decedunt, eo sensu damnantur, quod visione beatifica in aeternum privati existunt; non tamen puniuntur poenis positivis, neque carent bonis sibi naturaliter debitis.

Cf. S. Thomas, In II Sent. d. 33, q. 2, aa. 1, 2; *De Malo,* q. 5, a. 2; S. Bonaventura, In II Sent. d. 33, a. 3, qq. 1, 2; Scotus, *In II Sent.* d. 33, q. unica; Lessius, *De Perfectionibus Divinis,* l. 12, c. 22, nn. 144 sqq.; Vasquez, *In I, II,* disp. 134, c. 3; Suarez, *De Vitiis et Peccatis,* disp. 9, sect. 6; Bellarminus, *De Amissione Gratiae et Statu Peccati,* l. 6, c. 6; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 81; append. pp. 765 sqq.; Muncunill, *De Deo Creante,* nn. 743 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 287 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 1040 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 252 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2, s. 3, n. 4.

309. **STATUS QUAESTIONIS.**—Haec thesis sua quasi sponte ex praecedente sequitur. Nam si homo per peccatum originale donis supernaturalibus privatus est, utique titulum ad visionem beatificam non jam habet, et hoc sensu aeternae damnationi obnoxius existit. Ex altera tamen parte, si per peccatum originale sua bona naturalia non amisit in hac vita, jam nulla apparet ratio cur bona sibi naturaliter debita amitteret in vita futura, vel etiam cur poenis positivis post

mortem esset affligendus. Haec igitur conclusio, quae per se omnino rationabilis videtur, in praesenti thesi argumentis stabilienda est.

310. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Effectus originalis peccati pro vita futura, quatenus in hac thesi investigantur, respiciunt *solos parvulos* seu *infantes absque baptismo morientes;* quibus hac in re utique accensentur *perpetuo amentes,* et secundum aliquos illi etiam adulti qui propter causas quasdam particulares plenum rationis usum nunquam attingunt. Reliqui vero adulti, qui cum rationis usum habent quo peccatum mortale deliberatum committere valent, aut Dei gratia utentes salvabuntur, aut eam negligentes in aeternam damnationem ruunt. Igitur haec prima pars theseos merito ad parvulos seu infantes restringitur.

b) Imprimis ergo infantes, qui in peccato originali e vita decedunt, in aeternum *visione beatifica* privantur. Utrum forte aliqui in casu particulari sine baptismate a reatu peccati originalis liberentur, hic non quaerimus; sed dicimus tantum, si de facto in peccato originali moriuntur, eos non consequi vitam aeternam. Hinc hujusmodi infantes finem suum ultimum *supernaturalem,* qui in visione beatifica consistit, nunquam attingent. Neque tamen attingere possunt finem ultimum *naturalem,* id est sub formali ratione finis. Nam in ipsa humani generis ad finem supernaturalem elevatione, sublatus est finis naturalis; et non obstante aversione totius humani generis a fine ultimo supernaturali, finis naturalis sublatus manet. Itaque qui finem supernaturalem non assequuntur, vere *damnantur;* et quidem non modo quia in aeternum privantur visione beatifica, verum etiam quia fine naturali in perpetuum privati existent.

c) Patiuntur igitur in solo peccato originali decedentes poenam *damni,* non vero etiam poenam aliquam *positivam,* puta poenam ignis, famis, sitis, aut aliorum hujusmodi, sive animam sive corpus affligentium. Quare reapse in eo statu versantur, qui est *materialiter* idem ac finis ultimus naturalis in statu naturae purae; iisdem scilicet bonis cumulatus, ab iisdemque malis immunis. Formaliter tamen, seu sub formali ratione finis, illi status juxta superius jam dicta distinguuntur. Hinc in statu *naturae purae* homines bonis in termino sibi debitis fruentes dicerentur *beati,* dum in statu *naturae lapsae* homines eadem bona possidentes dicuntur *damnati;* illi enim consecuti essent suum finem, hi vero suum finem nunquam consequentur. Item illi essent Deo *grati,* dum hi semper manent Deo *exosi;* utique non in se ipsis, sed secundum originale peccatum, quod nunquam ab eis auferetur. In se ipsis amantur a Deo, ipsique Deum amant; semper tamen coram Deo peccatores existunt, peccato scilicet originali gravati, et illud peccatum Deus odio habet.

311. **ADVERSARII.**—Primam partem theseos hoc sensu olim negabant *Pelagiani*, quod dixerunt infantes sine baptismo morientes, etsi e regno caelorum excluderentur, tamen habituros esse vitam aeternam, seu beatificam Dei visionem. Quia vero non admittebant infantes esse peccato originali infectos, inde suppositum theseos potius quam ipsam thesim negabant. Eodem modo huic thesi adversantur *Sociniani, Unitarii, Liberales Protestantes.*—Alteram partem impugnabant nonnulli Patres Latini: *Augustinus, Hieronymus, Fulgentius, Gregorius Magnus, Isidorus Hispalensis.* Etiam quidam theologi: *Anselmus, Gregorius Ariminensis, Petavius, Norisius, Berti.*—Tertiam partem negant multi *Thomistae,* qui naturalem beatitudinem etiam materialiter sumptam non admittunt. Item *Bellarminus,* et nostro tempore *F. Schmid.*

312. **NOTA.**—Prima pars est *de fide tenenda;* docet enim *Concilium Florentinum* "illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas" (Decret. pro Graecis; DB. 693); qui autem in infernum descendit puniendus, utique visione beatifica privatur.—Altera pars proponit sententiam nunc *fere communem* et *vix non certam.*—Tertia denique pars multo *communior* atque *probabilior* est.

I. Qui in solo peccato originali e vita decedunt, eo sensu damnantur, quod visione beatifica in aeternum privati existunt.

313. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Juxta Sacram Scripturam, a) soli ex aqua et Spiritu Sancto renati possunt *introire in regnum Dei;* b) in caelum nihil *coinquinatum intrabit:* **Atqui** qui in peccato originali e vita decedunt, non sunt renati ex aqua et Spiritu Sancto, suntque peccato coinquinati: **Ergo.**

Minor ex ipsis terminis patet.—*Major* sic probatur per partes: a) "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei" (Jo. 3, 5). b) "Non intrabit in eam (Jerusalem caelestem) aliquod coinquinatum" (Apoc. 21, 27). Regnum Dei objective idem significare ac vitam aeternam, seu visionem beatificam, omnibus satis notum est.

314. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex declarationibus Ecclesiae.**—*Concilium Florentinum,* hanc doctrinam statuens, jam superius (n. 312) allegatum est. Idem docet *Concilium Tridentinum,* videlicet, si quis dicit parvulos "nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, . . . A. S." (sess. 5, can. 4; DB. 791).

315. Confirmatur haec pars non modo ex consensu omnium SS. Patrum et theologorum, verum etiam ex ratione theologica. Nam juxta

Sacram Scripturam et doctrinam Ecclesiae beati sunt filii dilectionis, illi vero qui peccato originali afficiuntur sunt filii irae Dei (cf. DB. 793); nemo autem potest esse simul filius dilectionis et filius irae, et ideo qui moriuntur in peccato originali satis evidenter a visione beatifica excluduntur. Hoc igitur sensu vere damnati sunt, eodemque sensu in inferno versantur.

II. Non tamen puniuntur poenis positivis.

316. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex ratione theologica.— Poenae positivae infliguntur pro *illicita delectatione, quam peccatores in creaturis quaesierunt:* **Atqui** in solo peccato originali morientes nullam ex hoc peccato delectationem habuerunt: **Ergo.**

Major tum ex natura rei tum etiam ex Sacra Scriptura constat. Et quidem ex *natura rei*, quia debita proportio inter culpam et poenam postulat ut peccator in iis puniatur in quibus culpam admisit. Ex *Sacra Scriptura* autem, quia in Apocalypsi (18, 7) legitur: "Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum" (cf. Is. 47, 7, 8; Jer. 50, 29).

Minor patet ex ipsa formali ratione peccati originalis, quippe quod non in aliquo actu sed in ipsa gratiae sanctificantis privatione consistit, quae non proprio sed alterius actu inducta fuit. Hanc ob causam ita jam arguit *S. Gregorius Nazianzenus:* "Nec caelesti gloria nec suppliciis a justo judice afficiuntur, utpote qui, licet signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint quam fecerint. Neque enim, quisquis dignus supplicio non est, protinus honorem quoque meretur; quemadmodum nec, quisquis honore indignus est, statim etiam poenam promeretur" (In S. Baptisma, n. 23; MG. 36, 389).

317. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex auctoritate theologorum. —Imprimis omnes fere alicujus nominis theologi docent parvulos in peccato originali morientes non puniri poena ignis, vel alia poena sensus. Ita v. g. *S. Thomas,* qui ait: "Peccato originali non debetur poena sensus, sed solum poena damni, scilicet carentia visionis divinae" (De Malo, q. 5, a. 2; cf. In II sent. d. 33, q. 2, a. 1; Sum. III, q. 1, a. 4 ad 2). Ita etiam *S. Bonaventura* (In II Sent. d. 33, a. 3, qq. 1, 2), *Scotus* (Ibid. q. unica), necnon *Thomistae, Scotistae,* et theologi *Societatis Jesu* communiter. Quare jam suo tempore scripsit *Dominicus Soto:* "Augustinus plus justo videtur torquere parvulos. Unde qui ejus sententiae subscribunt, perpauci sunt et tortores parvulorum nuncupantur" (De Nat. et Grat. l. 1, c. 5).

Ex his quidem theologis nonnulli putant illos parvulos pati tristitiam quamdam de amissione bonorum caelestium; sed etiam haec

sententia raros defensores habet. Inter eos tamen numeratur *Bellarminus*, qui ait: "Dicimus igitur parvulos sine baptismo decedentes dolorem animi habituros, quod intelligant se beatitudine privatos, a consortio piorum fratrum et parentum alienos, in carcerem inferni detrusos et in tenebris perpetuis vitam acturos; ceterum hunc dolorem in iis levissimum mitissimumque multis de causis futurum" (De Amiss. Grat. l. 6, c. 6). Simili quoque modo loquitur *Dominicus Soto* (De Nat. et Grat. l. 1, c. 14), paucique alii his consentiunt; eorum tamen opinio nulli solido argumento innititur, et nunc practice derelicta est.

318. *Confirmatur* haec pars auctoritate ecclesiastica, licet hac in re nihil definitum sit. Ita v. g. *Innocentius III ait:* "Poena originalis est carentia visionis Dei, actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus" (Lib. III Decret. tit. 42, c. 3; DB. 410). Item cum Jansenistae mitiorem hanc theologorum sententiam Pelagianismi accusassent, *Pius VI* contra eos statuit: "Doctrina, quae velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur, perinde ac si hoc ipso, quod poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium, expertem culpae et poenae, inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani, falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa" (DB. 1526).

Fortior tamen ratio desumitur ex *Concilio Lugdunensi II* (DB. 464) et *Florentino* (DB. 693), quae statuunt "illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas." Nam ut scite notat *Palmieri* (op. cit. thes. 81, n. 2): "Disparitas nequit esse poenae in eo tantum quod mitiore poena ignis afficiantur qui cum solo originali decedunt; hoc enim discrimen etiam inter eos, qui cum actualibus mortalibus peccatis decedunt, existit, inter quos tamen nullum a concilio discrimen indicatur. Quare si poena ignis vel mitiore plectuntur infantes, res eo tandem redit ut nullum discrimen existat inter eos et ceteros peccatores, sicut nullum designatur inter ipsos peccatores qui actualiter peccarunt, etsi quis plus, quis minus patiatur. Significatur ergo discrimen aliud praeter illud quod inter eos est, qui plus minus puniuntur poena ignis, discrimen scilicet specificum. Hoc autem non aliud esse potest quam quod solo originali obstricti poena tantum damni multentur."

III. Neque carent bonis sibi naturaliter debitis.

319. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex ipsa natura rei.**—Ad bona naturaliter debita homo per *ipsam naturam immediate ordinatur:* **Atqui**

hujusmodi bonis homo carere non debet nisi propter peccatum personale: **Ergo.**

Major per se liquet.—*Minor* ex eo satis constare videtur, quod secus haberetur naturalis exigentia quae ab ipso naturae Auctore in perpetuum frustraretur, cum in ipsa natura nulla dispositio ad istam frustrationem inveniatur, neque ulla hujusmodi dispositio ex peccato originali repeti possit.

320. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex auctoritate theologorum.** Olim hanc partem theseos multi quidem negaverunt, sed recentiores fere omnes sequuntur *S. Thomam,* qui ait: "Quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo, quantum ad illam conjunctionem quae est per gloriam, non tamen ab eo penitus separati sunt. Imo ipsi conjunguntur per participationem naturalium bonorum: et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione" (In II Sent. d. 33, q. 2, a. 2 ad 5).

In hanc Sancti Doctoris aliorumque sententiam commentans, *Suarez* ita parvulorum post ultimum judicium conditionem exponit: "Ex quo infero fore, ut illi parvuli habeant tunc (sicut nunc) veram Dei cognitionem naturalem et amorem ejus super omnia atque adeo reliquas virtutes naturales et corpora impassibilia, non per intrinsecam dispositionem, sed ex providentia Dei et ipsorum, quia debent esse aeterna; unde non indigebunt cibo neque potu, quia omnis alteratio tunc cessabit, Deo ita providente. Itaque neque patientur rebellionem carnis neque interiorem neque exteriorem pugnam, quia etiam haec esset poena sensibilis, et omnia haec pertinent ad viam, illi vero sunt suo modo in termino. Atqui in his fere conveniunt theologi; solum de loco, in quo sunt, dubitant aliqui: Soto vult futuros in loco inferni prorsus tenebroso, quia Augustinus 1, de Peccatorum meritis, c. 23, id indicat, sed vere non affirmat, ut patet ex c. 24 et 25. Idem tamen tenet Bonaventura. Ceteri vero pie et probabiliter censent habitationem illorum futuram in hoc mundo, quia revera magna poena sensibilis esset detineri in illo loco: unde quidam censent, licet non recte, non esse aliam poenam ignis in inferno. Est etiam alia ratio, quia tota poena parvulorum debet esse privativa sicut culpa, detineri vero in illo loco positiva poena est. Tandem quia naturalia non fuerunt hoc peccato diminuta: habebunt ergo illum locum, qui ipsis consentaneus est ex sua natura" (De Vit. et Pecc. disp. 9, sect. 6, n. 6).

Eodem ferme modo arguit *Lessius,* qui docet parvulorum cognitionem longe perfectiorem esse nostra cognitione in hoc mundo, "ut innumerabilis ille infantium populus in suo ordine non sit otiosus, ne frustra in mundo esse videatur, sed ut ex cognitione sui et aliarum rerum creatarum auctorem suum et mundi totius illustri modo cog-

noscant et cognoscendo ament et laudent et gratias ei de beneficiis acceptis in omnem aeternitatem agant. . . . Neque hinc sequitur illos habituros beatitudinem naturalem, quia peccati labes obstat, quominus beatitudinem naturalem obtinere dicantur, etsi forte omnia alia bona illius status habeant'' (De Perf. Div. l. 12, c. 22, nn. 144, 145).

321. Scholion: Quod doctrina de peccato originali cum recta ratione non pugnat.

Sociniani, Unitarii, et Rationalistae multa quidem objiciunt, e quibus sequi contendunt Catholicam de peccato originali doctrinam ipsi rationi repugnare, praesertim quatenus cum Dei bonitate atque justitia conciliari non possit; eorum tamen objectiones pro maxima parte ex perverso istius peccati conceptu profluunt, ideoque nostram positionem intactam relinquunt. Catholicam autem doctrinam hac in re valde rationabilem esse, inter alios breviter et clare ostendit *cl. Van Noort,* quem igitur audiamus.

''Libenter fatemur, peccatum originale, magnum illud 'mysterium iniquitatis,' ab omni obscuritate purgari non posse; attamen nisi quis sententiis severioribus, quae Ecclesia non imponit, adhaerere voluerit, cum justitia et bonitate Dei non ita difficulter conciliatur. Etenim:

a) Peccatum originale ex omni parte habet rationem privationis; privat autem tum in hac vita, tum postea, bonis pretiosissmis quidem, sed plane indebitis. Atqui bonorum gratuitorum subtractio, etiam citra culpam personalem, nullo modo injusta est (cf. S. Thomas, Comp. Theol. c. 195).

b) Ordinatio divina, qua Adam constituebatur caput morale generis sui, non in perniciem sed in favorem humanitatis facta erat, ut scilicet universum genus humanum eximia gratiae dona sibi appropriaret, idque per observantiam praecepti ita facilis, ut ipsa ejus levitas Rationalistis scandalo sit.

c) Deus ruinam generis humani in Adamo permisit, ut ex magno malo majus bonum eliceret. Sane genus nostrum peccato perditum non dereliquit, sed statim post lapsum promisit Semen mulieris, Christum, novum Adam, qui copiosa redemptione omnia felicius restauraret. Unde S. Bernardus: 'Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus et mulier una nocuerunt, sed, gratias Deo! per unum nihilominus virum et mulierem unam omnia restaurantur, nec sine magno fenore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita et donum; sed excedit damni aestimationem beneficii magnitudo' '' (op. cit. n. 278).

322. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° In disputatione de sequelis peccati originalis, SS. Patrum doctrina tenenda est: *Atqui* SS. Patres docent parvulos in originali peccato morientes poenis positivis puniri: *Ergo.*

Resp. In disputatione de sequelis peccati originalis, SS. Patrum doctrina tenenda est, quatenus moraliter omnes Patres eandem doctrinam proponunt, *C.* Quatenus alii hanc doctrinam proponunt, alii vero diversam, *subd.* Una vel altera tenenda est, *C.* Necessario una prae altera, *N.* Licet multi Patres Latini poenis positivis faveant, Orientales tamen unanimiter docent poenam parvulorum in originali peccato morientium esse totam quantam privativam. Praeterea neque Latini suam sententiam apodictice proposuerunt; nam ipse *S. Augustinus*, quem alii fere omnes hac in re sequuntur, satis dubie loquitur. Dicit enim: "Cum ad poenas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam, prorsus invenio" (Epist. 166, c. 6, n. 16; ML. 33, 727). Et iterum; "Quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum nec ullis propriis gravantur, in damnatione omnium levissima futuros? Quae qualis et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod iis, ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret" (Cont. Julian. l. 5, c. 11; ML. 44, 809). Unde hoc unum dici potest, quod hanc rem exploratam non habuit.

2° Juxta *Concilium Florentinum* (cf. DB. 693) parvuli in peccato originali morientes cum aliis peccatoribus in infernum descendunt: *Atqui* qui in infernum descendunt, poenis positivis puniuntur: *Ergo*

Resp. Juxta *Concilium Florentinum* parvuli in peccato originali morientes cum aliis peccatoribus in infernum descendunt, "poenis tamen disparibus puniendi," *C.* Iisdem poenis puniendi, *N.* Immo ex declaratione haud improbabiliter ad nostram conclusionem arguitur, ut superius (n. 318) ostensum est.

3° In ultimo judicio omnes homines dividuntur in duas classes, eorum scilicet qui ibunt in vitam aeternam, et eorum qui ibunt in ignem aeternum: *Atqui* parvuli originali peccato infecti non ibunt in vitam aeternam: *Ergo.*

Resp. In ultimo judicio omnes homines usum rationis adepti dividuntur in illas duas classes, *C.* Inter illos homines sic in duas classes dividendos etiam parvuli in originali peccato mortui includuntur, *N.* Responsum ex ipso textu (Mt. 25, 31 sqq) satis patet; nam illi ibi dicuntur judicari, qui durante eorum vita terrena praecepta Dei servare poterant. Utrum isti parvuli in universali judicio adfuturi sint necne, inter theologos disputatur; affirmat *S. Thomas*, qui ait: "Etiam pueri, ante perfectam aetatem decedentes, in judicio comparebunt,

non autem ut judicentur, sed ut videant gloriam judicis'' (Suppl. q. 89, a. 5 ad 3).

4° Parvuli in peccato originali morientes cognoscunt se esse gloria caelesti privatos: *Ergo* in altera vita saltem tristitia affliguntur.

Resp. Transmitto antecedens, et nego consequens. Nam ut notat *S. Thomas:* ''Nulla ratio videtur esse, quare subtrahatur eis exterior poena sensus, si attribuitur eis interior afflictio, quae est multo magis poenalis'' (De Malo, q. 5, a. 3). Et censet *S. Thomas* infantes ideo non tristari de privatione tanti boni, quia illud non cognoscunt; nemo enim per sua naturalia cognoscere potest vel possibilitatem visionis beatificae, multo minus propriam destinationem ad illam. Si reapse adfuturi sint in ultimo judicio, intelligent quidem alios homines pro meritis a Deo praemiari et puniri; sed cum simul intelligant sibi citra propriam culpam occasionem merendi fuisse substractam, de hujusmodi praemii carentia non magis dolent quam sapiens rusticus dolere solet de carentia potestatis regalis (cf. In. II Sent. d. 33, q. 2, a. 2).

5° Parvuli per peccatum originale a fine ultimo naturali aversi sunt: *Atqui* qui ab ipso fine aversus est, ejus bona possidere non potest: *Ergo.*

Resp. Nego majorem. Nam aversio a fine ultimo sequitur naturam peccati, quo quis inquinatus existit. Si aliquis committit peccatum actuale mortale, utique se totaliter a Deo avertit, ideoque etiam a fine ultimo naturali; quia scienter et volenter transgreditur praeceptum legis naturalis, quo Deo mandatum supernaturale imponenti obedire jubemur: at qui eatenus tantum peccato inquinatus est, quatenus gratia sanctificante privatur, talem actum non posuit; et ideo nonnisi a Deo fine ultimo supernaturali aversus est, etsi propter elevationem generis humani finem naturalem proprie loquendo non habeat (cf. superius, n. 310 b).

SECTIO VI

De Angelis

ARTICULUS I

De Angelorum Existentia

THESIS XXVI.—Praeter hominem existunt aliae substantiae rationales creatae, homine praestantiores, quae angeli vocantur.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 50, a. 1; *Cont. Gent.* l. 2, c. 46; l. 2, c. 91; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 1, p. 2, a. 3, q. 1; Scotus, *In II Sent.* d. 1, q. 5; Suarez, *De Angelis*, cc. 1-4; Beraza, *De Deo Creante*, nn. 363 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante*, thes. 17; Muncunill, *De Deo Creatore*, nn. 238 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 356 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante*, nn. 249 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante*, nn. 410 sqq.; Hurter, *Compend.* II, nn. 399 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature*, p. 2, c. 3, aa. 1, 2; *Hist. Dogm.* I, pp. 293 sqq.; II, pp. 113 sqq.

323. **STATUS QUAESTIONIS.**—Homo ex anima et corpore constituitur, ita ut sit ens substantialiter compositum. Ratione corporis est pars mundi visibilis; ratione autem animae quodammodo ad mundum invisibilem pertinet. Nam licet anima sese suis actionibus in hoc mundo visibili manifestet, ista tamen manifestatio solum mediante corpore peragi potest. Anima hominis spiritualis est, substantia videlicet simplex intellectu et voluntate praedita; ejus corpus vero materiale est, substantia nempe quae in concreta sua existentia partibus integratur. Ratione corporis homo est animal, ratione autem animae est substantia rationalis; unde ratione utriusque simul est animal rationale. Estque homo solum ens rationale in hoc mundo; reliqua enim omnia, sive substantiae organicae sint sive anorganicae, solis materialibus perfectionibus absolvuntur. Quaeritur tamen num aliae sint substantiae rationales, quae licet non hunc mundum visibilem, ipsam tamen universitatem rerum creatarum quodammodo compleant; ita ut in opere creativo Dei omnis gradus entitativae perfectionis repraesentetur. Ad hanc quaestionem nostra thesis affirmative respondet.

324. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Non igitur in ipso hoc mundo visibili, sed in *universitate rerum creatarum* dicuntur praeter hominem existere aliae substantiae rationales, quae a Deo creatae fuerunt. Utrum hujusmodi substantiae sint *puri spiritus*, an sint suo

quoque modo ex materia quadam subtiliore et spiritu compositae, in hac thesi non ex professo investigamus; id enim in thesi infra ponenda examinandum erit. Unde generali tantum modo affirmamus eas esse *substantias spirituales,* quatenus praeditae sint intellectu et voluntate, ideoque dici possint et debeant substantiae rationales. Rationalis enim aliqua substantia ex ratione dicitur; ratio autem per prius intellectum et per posterius liberum arbitrium seu voluntatem signat.

b) Sunt autem illae substantiae homine *praestantiores,* et quidem tum ratione earum naturae, tum etiam ratione facultatum per quas ista natura operatur. Attamen haec thesis *solum factum* istius praestantiae affirmat, prout id ex textibus modo citandis aperte colligitur; intima enim ejus ratio ex alia thesi infra ponenda apparebit. Insuper dicuntur illae substantiae *creatae,* quod tamen assertum speciali probatione vix indiget; nam ex argumentis quibus prima thesis hujus tractatus probata est (cf. nn. 20 sqq), creatio omnium rerum praeter Deum existentium dilucide constat. Has autem substantias esse *a Deo distinctas,* ideoque *praeter Deum existentes,* in ipsa praesentis theseos probatione indicabitur; quatenus nempe juxta textus allegandos ipsae sunt Deo inferiores, eumque colere dicuntur.

c) Denique supradictae substantiae *angeli vocantur.* Hoc nomen ex Graeca lingua (ἄγγελος) transcriptum est, et vi vocis idem est ac missus seu nuntius; unde non naturae sed officii nomen est, illos videlicet designans qui ad opus aliquod perficiendum vel ad mandatum deferendum a Deo mittuntur. Qua de re *S. Augustinus* ait: "Spiritus autem angeli sunt; et cum spiritus sunt, non sunt angeli, angelus enim officii nomen est non naturae. Quaeris nomen hujus naturae, spiritus est; quaeris officium, angelus est. Ex eo quod est, spiritus est; ex eo quod agit, angelus est" (In Ps. 103, n. 15; ML. 37, 1348). Idem hoc nomen in Sacris Litteris aliquando etiam hominibus applicatur eo quod ad specialia quaedam ministeria adimplenda a Deo missi sunt. Ita ipse Christus de Joanne Baptista ait: "Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te" (Mt. 11, 10).

d) Attamen in subjecta materia nomine angelorum illas unice substantias rationales intelligimus, de quibus supra dictum est; et quidem tum *bonas* tum *malas,* licet in vulgari fidelium usu solum spiritus boni hoc nomine designari soleant. Has substantias, quas nostra thesis existere affirmat, *angelos vocari,* speciali argumento probari non debet; id enim ex innumeris fere Sacrae Scripturae locis luculenter apparet, neque unquam in dubium vocatum fuit. Igitur probandum est existere hujusmodi substantias, ideoque nomine angelorum non designari *meras divinarum operationum personificationes,* ut quidam adversarii volunt; item eas esse *homine praestantiores,* ne quis putet eas cum ani-

mabus separatis identificari, ut alii adversarii dictitare solent. Haec autem convenienter *per modum unius* probantur, cum plerique textus pro una parte allegandi simul et alteram partem demonstrent.

325. **ADVERSARII.**—In Vetere Testamento existentiam angelorum negabant *Saducaei*, de quibus in Actibus Apostolorum legitur: "Saducaei enim dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum" (23, 8). *Philo Judaeus* angelorum existentiam admittit, sed eos cum animabus humanis quodammodo identificare videtur (cf. Hist. Dogm. I, p. 32). *Gnostici* docuerunt eos esse deos inferiores per emanationem quamdam ex supremo Deo derivatos (cf. Hist. Dogm. I, pp. 103 sq).

Inter acatholicos *Anabaptistae*, plerique *Sociniani*, et nonnulli quoque alii *Protestantes* docent angelos esse personificationes proprietatum vel operationum divinarum, prout vel in bonum vel in malum hominis manifestentur. *Swedenborgiani* et *Spiritistae* moderni contendunt angelos esse animas defunctorum, quae sese sub datis quibusdam adjunctis rebus mundanis immiscere possint. *Rationalistae* vero moderni fere communiter censent Judaeos doctrinam de angelis tempore exsilii a gentilibus accepisse, et huic doctrinae Christum postea sese accommodasse; quo deinde factum est, ut ipsa quoque Ecclesia hac de re in errorem abierit (cf. *Janssens*, Sum. Theol. VI, pp. 464 sqq).

326. **NOTA.**—Haec thesis quoad singula asserta *de fide tenenda est.* Imprimis enim omnino clare in Sacra Scriptura continetur; deinde ex jugi quoque Ecclesiae magisterio patet; et denique ipsa haec doctrina definita est in *Concilio Lateranensi IV*, ubi statuitur: "Qui (Deus) sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem: angelicam videlicet et mundanam; ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Diabolus enim et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali" (DB. 428). In hac igitur definitione, a *Concilio Vaticano* (DB. 1783) confirmata, aperte definitur angelos esse a Deo creatos, eorumque naturam esse spiritualem, non ex materia mundana et spiritu compositam, et hoc saltem sensu eos esse homine praestantiores.

327. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—In Sacra Scriptura angeli dicuntur, a) *creati* in Verbo; b) Deum *adorare* eumque *laudare*, Deo *obedire;* c) *peccare* et *puniri;* d) homine *superiores* esse, eumque *custodire;* **Atqui** haec simul sumpta evidenter ostendunt praeter hominem existere alias substantias rationales creatas, homine praestantiores, quae angeli vocantur: **Ergo.**

Minor ex ipsis terminis constat; nam tantum substantiae creantur, tantum substantiae creatae rationales Deum adorant, laudant, eique

obediunt, atque peccare et puniri possunt; eumque sint homine superiores, eumque custodiant, necessario ab homine distincti sunt et tamquam substantiae praestantiores praeter eum existunt.

Major probatur per partes. Itaque, a) *angeli dicuntur creati in Verbo:* "Quoniam in ipso (Verbo) condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt" (Col. 1, 16). His autem nominibus ipsi angeli designantur.

b) *Dicuntur Deum adorare eumque laudare:* "Adorate eum omnes angeli ejus" (Ps. 96, 7); "Benedicite Domino omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus" (Ps. 102, 11); item, obedire Deo: "Cumque extendisset manum suam angelus Domini super Jerusalem ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, et ait angelo percutienti populum: Sufficit; nunc contine manum tuam. Erat autem angelus Domini juxta aream Areuna Jebusaei" (II Reg. 24, 16).

c) *Dicuntur peccare et puniri:* "Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari; . . . novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos" (II Petr. 2, 4, 9).

d) *Dicuntur homine superiores esse:* "Minuisti eum (hominem) paulo minus ab angelis" (Ps. 8, 6); "De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli caelorum, nisi solus Pater" (Mt. 24, 36), quibus verbis angelorum praestantia haud obscure indicatur. Item *hominem custodiunt:* "Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum" (Ps. 90, 11). Praeterea *praestantes sunt sapientia* (II Reg. 14, 17, 20), *viribus* (IV Reg. 19, 35); *immunes a lege gravitatis aliisque legibus physicis* (Jud. 13, 20; I Par. 21, 16; Tob. 12, 19 sqq).

328. *Notandum:* Ad hoc argumentum scripturisticum quod attinet, prae mente habendum est non uno alterove loco in Sacris Litteris, et quasi obiter, sermonem esse de angelis; sed a tertio jam capite Geneseos usque ad ultimum caput Apocalypsis iterum atque iterum eorum existentiam, diversa ministeria, necnon naturae praestantiam commemorari; et ideo tum Vetus tum Novum Testamentum hanc doctrinam eo modo proponere, ut ejus rejectio quamcumque ob causam eo ipso sacro eloquio directe adversetur. Evolutio quaedam istius doctrinae utique admitti potest, sicut etiam in aliis doctrinis fide certis admittitur; non tamen per rei extraneae intussusceptionem, sed per clariorem ipsius doctrinae expositionem, prout vel temporum vel religiosae vitae adjuncta id postulare videntur.

329. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex traditione.—Haec traditio ab ipsa aetate Apostolica et deinceps adeo semper universalis et constans erat, ut plura hic SS. Patrum testimonia congerere supervacaneum esse videatur. Audiantur igitur perpauca, quae jam per se sola nostram doctrinam clare evincunt.

a) *S. Clemens Romanus:* "Gloriatio nostra et fiducia in ipso (Domino) sit: voluntati ejus subjiciamur et multitudinem universam angelorum ejus diligenter consideremus, quomodo adstantes voluntatem ejus exsequantur" (I ad Cor. 34, 5; Funk, 1, 142).

b) *S. Justinus Martyr:* "Colimus exercitum bonorum angelorum, qui Deo obediunt et ipsi similes sunt" (Apol. I, 6; MG. 6, 335).

c) *S. Athenagoras:* "Multitudinem angelorum et ministrorum agnoscimus, quos creator et opifex mundi Deus per Verbum suum distribuit et ordinavit, ut circa elementa, caelos, mundum et quae in eo sunt eorumque temperationem versarentur" (Legat. pro. Christ. 10; MG. 6, 910).

d) *Origenes:* "Est etiam illud in ecclesiastica praedicatione, esse angelos Dei quosdam et virtutes bonas, qui ei ministrant ad salutem hominum consummandam; sed quando isti creati sunt vel quales aut quomodo sint, non satis in manifesto designatur" (De Principiis, praef. 10; MG. 11, 120).

e) *S. Chrysostomus:* "Cum enim Dei potentia operatur, illud quomodo non est addendum. . . . Quomodo, quaeso, fecit virtutes immensas, turmas caelestes angelorum et archangelorum, superioraque his agmina? Dic, oro, modum quo fecit. Hic nihil dicere aliud possum, quam quod sola voluntas ad haec suffecerit" (De Resurrect. Mort. 7; MG. 50, 429).

f) *S. Ambrosius:* "Factus est ergo mundus, et coepit esse, qui non erat. . . . Sed etiam angeli, dominationes et potestates, etsi aliquando coeperunt, erant tamen jam quando hic mundus est factus" (Hexaem. l. 1, c. 5, n. 19; ML. 14, 131).

g) *S. Augustinus:* "Quamvis non videamus apparitiones angelorum, tamen angelos esse novimus ex fide, et multis apparuisse legimus" (In Ps. 103, serm. 1, n. 15; ML. 37, 1348). Item: "In quo (mundo) nihil melius instituit quam spiritus, quibus intelligentiam dedit et suae contemplationis habiles capacesque sui praestitit" (De Civ. Dei, l. 22, c. 1, n. 2; ML. 41, 751).

330. *Confirmatur* haec thesis etiam ex ratione; non quidem argumento apodictico, sed suasivo. Hoc argumentum *S. Thomas* ita proponit: "Necesse est ponere aliquas creaturas incorporeas. Id enim quod praecipue in rebus creatis Deus intendit, est bonum, quod consistit in assimilatione ad Deum. Perfecta autem assimilatio effectus ad

causam attenditur, quando effectus imitatur causam secundum illud per quod causa producit effectum, sicut calidum facit calidum. Deus autem creaturam producit per intellectum et voluntatem. Unde ad perfectum universi requiritur quod sint aliquae creaturae intellectuales. Intelligere autem non potest esse actus corporis, nec alicujus virtutis corporeae; quia omne corpus determinatur ad hic et nunc. Unde necesse est ponere, ad hoc quod universum sit perfectum, quod sit aliqua incorporea creatura. . . . Hoc ipsum quod intellectus est altior sensu, rationabiliter ostendit esse aliquas res incorporeas a solo intellectu comprehensibiles'' (Sum. Theol. I, q. 50, a. 1). Cf. Cont. Gent. l. 2, c. 46.

331. Scholion: Quo tempore angeli creati sint.

Imprimis de fide tenendum est *angelos non fuisse creatos ab aeterno,* cum *Concilium Lateranense IV definierit* Deum simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, ''spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam; ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam'' (DB. 428). Ex hac tamen definitione non sequitur angelos et materiam mundanam eodem temporis instanti fuisse creata; nam istud ''simul'' non simultaneitatem temporis sed paritatem temporalis creationis designat; ita ut sensus sit, ''utramque naturam, angelicam videlicet et mundanam, non esse aeternam, sed pariter seu aeque ab initio temporis a Deo esse creatam.'' Hoc enim ex ipso concilii scopo deducitur, qui fuit ut contra *Manichaeos, Albigenses,* aliosque statueretur omnes res habere Deum auctorem; ideoque concilium nostram hanc quaestionem nullo modo prae mente habuit, eamque definire noluit. Quare neque illud ''deinde'' opponitur particulae ''simul,'' sed potius illis verbis, ''ab initio temporis''; ita ut significetur hominem post angelicam et mundanam naturam fuisse productum.

Unde quod *Concilium Lateranense* spectat, quaestio de tempore creationis angelorum intacta manet; neque ex recursu ad dicta SS. Patrum solvi potest, cum ipsi Patres hac de re inter se non conveniant. Licet enim *S. Epiphanius* (Adv. Haer. l. 2, haer. 65, n. 5; MG. 42, 20), *S. Augustinus* (De Gen. ad Litt. l. 2, c. 8, n. 16; ML. 34, 269; De Civ. Dei. l. 11, c. 6; ML. 41, 321), *Theodoretus,* (In Gen. c. 1, Interr. 3; MG. 80, 80), *S. Gregorius Magnus* (Moral. l. 32, c. 12, n. 16; ML. 76, 644), et alii, vel ut probabilem vel etiam ut certam propugnent sententiam angelos fuisse simul cum materia mundana creatos; satis tamen communiter Patres Orientales, et nonnulli etiam Latini, docent angelos creatos fuisse ante mundum visibilem, neque de hac creationis prioritate dubitare videntur. Ita v. g. *S. Basilius* (In Hexaem. hom. 1, n. 5; MG. 29, 13), *S. Gregorius Nazianzenus* (Orat. 38, n. 9; MG. 36, 320), *S. Chrysostomus* (In Gen. hom. 2, n. 2; MG. 53, 29), *S. Joannes Da-*

mascenus (De Fide Orthod. l. 2, c. 3; MG. 94, 873), *S. Ambrosius* (Hexaem. l. 1, c. 5, n. 19; ML. 14, 131), *S. Hilarius* (In Ps. 135, n. 8; ML. 9, 772), *S. Hieronymus* (In Tit. 1, 2; ML. 26, 594). Immo *Cassianus* ait: "Ante conditionem hujus visibilis creaturae spirituales caelestesque virtutes Deum fecisse, . . . nemo fidelium dubitat" (Collat. 8, c. 7; ML. 49, 730). Haec tamen Cassiani verba rem quodammodo exaggerare, ex supradictis satis patet.

Itaque usque ad *Concilium Lateranense IV* haec quaestio hinc inde disputabatur; et ut superius vidimus, neque concilium eam dirimere voluit. Nihilominus post istud concilium theologi fere omnes docere coeperunt angelos simul cum materia mundana creatos fuisse; non praecise quia putabant hoc fuisse a concilio definitum, sed potius quia secundum magis obvium verborum sensum id praeferendum esse censebant. Praeterea etiam ad primum caput Geneseos provocabant, ubi legitur Deum in principio creasse caelum et terram; desumendo argumentum ex voce "caelum," quam pro angelis supponi contendebant. Insuper arguebant ex rei congruitate, quatenus angeli sint pars quaedam totius universitatis a Deo creatae; totam enim universitatem rerum simul creatam fuisse quodammodo magis congruum esse constat (cf. *S. Thomas*, I, q. 61, a. 3). Quare sententia affirmans angelos simul cum hoc mundo creatos esse jam nunc adeo certa esse videtur, ut opposita absque temeritate defendi vix possit (cf. *Suarez*, op. cit. l. 1, c. 3, n. 15).

332. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° In narratione Mosaica de creatione angelorum nihil dicitur: *Atqui* si angeli ut substantiae rationales ab homine distinctate reapse existerent, Moyses eorum creationem haud dubie commemorasset: ***Ergo.***

Resp. Transmitto majorem, et nego minorem. Nam angelos in sensu exposito revera existere, ex nostris argumentis certissimum est; si igitur Moyses de eorum creatione nihil dixerit, utique de ea nihil dicere debuit. Cum enim ipse (Gen. 3, 24; 16, 7; 10, 1; 21, 17; 22, 11) praeter hominem alias creaturas rationales commemoret, merito dicitur eum angelorum existentiam ut bene notam supposuisse, et ideo in genere tantum narrasse Deum esse omnium rerum, etiam invisibilium, auctorem. Praeterea major transmissa est, quia juxta multos angelorum creatio in primo versiculo Geneseos de facto commemoratur, ut superius (n. 331) jam dictum est.

2° Quae in Genesi de angelis dicuntur, intelligi possunt de hominibus specialiter a Deo missis: *Ergo* supra data explicatio nihil valet.

Resp. Quaedam in Genesi de angelis dicta intelligi possunt de hominibus specialiter a Deo missis, *Tr.* Omnia et singula sic intelligi

possunt, *N.* Nam illi "Cherubim," quos Deus "collocavit ante paradisum voluptatis" (Gen. 3, 24), homines esse non poterant, cum tunc temporis Adam et Eva essent soli homines in terra.

3° Ipsa Sacra Scriptura nomine angelorum modo homines designat (Mal. 2, 7; 3, 1; Apoc. 2, 1; 3, 1), modo vero etiam entia irrationalia (Ps. 103, 4): *Ergo* ex Scriptura perperam concluditur angelos esse substantias rationales praeter hominem a Deo creatas.

Resp Concedo antecedens, et nego consequens. Nam nostrum argumentum non ex nomine desumptum est, sed ex modo quo Sacra Scriptura quaedam entia hoc nomine insignita repraesentat. Cum nomen angeli non sit naturae sed officii, diversis utique entibus applicari potest.

4° In prioribus Sacrae Scripturae libris, ante populi Israelitici exsilium scriptis, parum de angelis invenitur; in aliis vero, qui post exsilium conscripti fuere, doctrina de angelis plane evoluta exhibetur: *Ergo* merito inferri videtur Judaeos fere totam hanc doctrinam ex gentilibus accepisse.

Resp. Transmitto antecedens, et nego consequens. Nam evolutio alicujus doctrinae, si vera evolutio est, ipsam doctrinam jam supponit; et in nostro casu non admitti posse evolutionem per intussusceptionem doctrinae alicujus extraneae, ex ipsa Sacra Scriptura satis patet. Angeli enim, de quibus in prioribus libris agitur, plane ejusdem sunt naturae ac illi quorum mentio in posterioribus libris repetita vice occurrit. Unde argumentum nostrum indiscriminatim tum ex prioribus tum ex posterioribus libris desumptum est. Quare etiam transmissum est antecedens potius quam concessum; quia licet in prioribus Sacrae Scripturae libris non adeo frequenter ac in posterioribus de angelis agatur, tamen simpliciter verum non est de eis ibi parum inveniri. Invenitur enim ibi eorum natura, utpote entium rationalium homine praestantiorum atque Deo inferiorum, clare exhibita; quod utique parum non est.

5° *S. Augustinus* negare videtur angelos esse homine praestantiores; nam ait: "Quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse quod Deus est; ita praesumendum, nihil inter omnia quae creavit, Deo esse propinquius" (De Quant. Animae, c. 34; ML. 32, 1077); item: "Nec quidquam est melius rationali anima nisi Deus" (De 83 Quaest. q. 54; ML. 40, 38): *Ergo* angelorum super hominem praestantia saltem dubia est.

Resp. S. Augustinus alibi (De Civ. Dei. l. 22, c. 1, n. 2) satis clare dicit Deum nihil melius instituisse quam spiritus; immo textus in objectione allegatos ipse retractavit, saltem quoad sensum, cum ait: "Quod dixi, quod autem est omni anima melius, id Deum dicimus;

magis dici debuit: omni creato spiritu melius'' (Retract. l. 1, c. 26; ML. 32, 627). Possunt tamen illi textus recte intelligi, quatenus scilicet S. Doctor considerasse dicitur dignitatem spiritualem animae, quin ad diversos spiritualitatis gradus attendere voluerit.

ARTICULUS II

De Spiritualitate Angelorum

THESIS XXVII.—Angeli non modo vera aliqua ratione spiritus sunt, verum etiam puri spiritus dici debent.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I. q. 50, aa. 1, 2; *Cont. Gent.* l. 2, cc. 49, 50; *In I Sent.* d. 10, q. 1, a. 4; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 8, p. 1, a. 1, q. 1; d. 3, p. 1, a. 1, q. 1; Suarez, *De Angelis,* l. 1, cc. 5–7; De Valentia, I, d. 4, q. 1, p. 2; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 414 sqq.; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 262.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 271 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 18; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 417 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 361 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 110 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 3, s. 1, n. 2; *Hist. Dogm.* I, pp. 293 sqq.; II, pp. 117 sqq.

333. **STATUS QUAESTIONIS.**—Ex praecedente thesi habetur angelos esse substantias rationales; omnis autem substantia rationalis etiam spiritualis est, quia solum substantia spiritualis intellectu et libero arbitrio praedita esse potest. Ipsa tamen spiritualitas, prout in concreto existit, gradus admittit; et ideo alia entia spiritualia aliis perfectiora esse possunt, non modo secundum rationem aliquam accidentalem, verum etiam secundum ipsam substantiam qua in ratione entis constituuntur. Ita anima humana est substantia spiritualis, licet in hac vita sit actu corpori materiali conjuncta; nihil tamen obstat quominus concipiatur substantia spiritualis creata quae animam humanam in ipsa ratione spiritualitatis essentialiter superet, ita ut juxta suam naturam omnimode independenter a materia existat atque operetur. Quaeri igitur potest, num angelorum substantia hoc altiore sensu spiritualis dicenda sit; ad quam quaestionem nostra thesis affirmative respondet.

334. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Spiritus *in genere* dici potest *substantia quae est quantitative simplex et intrinsecus independens a corpore tum in essendo tum in operando.* Quantitative autem simplex illa substantia dicitur, quae non habet partes integrantes, ratione quarum ipsa per spatium diffundi nata est. Estque intrinsecus independens a corpore in essendo, si est subsistens per se, ita ut absque corpore existere queat. Et est intrinsecus independens a corpore in operando, si saltem in supremis suis operationibus non indiget corpore ut comprincipio, quo ipsa in ratione principii earundem operationum

compleatur. Simul tamen cum ista independentia in essendo adesse potest intrinseca ordinatio ad corpus, quatenus scilicet illa substantia simplex nata est ut corpus informet, et una cum corpore ens substantialiter compositum constituat. Et similiter simul cum ista independentia in operando adesse potest extrinseca quaedam dependentia a corpore, in quantum nempe illud principium spirituale operationes suas proprias elicere non valet, nisi circa ea quae sibi a sensibus fuerunt renuntiata et sese ad phantasmata convertendo.

b) Substantia spiritualis modo descripta in ratione spiritualitatis *infimum locum* tenet, et satis evidenter *purus spiritus* dici nequit. Obstat enim quod vel actu corpori unitur, vel saltem ex natura sua ad unionem cum corpore ordinatur, et quod insuper etiam in propriis suis operationibus aliquo modo a corpore pendet. Hujusmodi substantia spiritualis est *anima humana,* quae quidem est subsistens per se et absque intrinseca a corpore dependentia operatur, quae tamen est simul per se et essentialiter corporis forma. Unde est spiritus quidem, sed spiritus *non purus.*

c) Ex dictis sat facile apparet, quid nomine spiritus puri intelligatur; *substantia* videlicet *quantitative simplex, quae non modo intrinsecus independens est in essendo et in operando, sed quae insuper nullam habet habitudinem ad unionem intrinsecam cum corpore, et* proinde est etiam *extrinsecus* independens a corpore. Cum igitur hujusmodi spiritus omnino independenter a corpore existat atque operetur, hoc sensu *spiritus purus* vel etiam *forma separata* nominatur. Quare forma separata et anima separata non idem sonant, sed altera ab altera ratione spiritualitatis plane diversa est. Neque potest spiritus purus proprio sensu munere animae fungi, licet extrinsece, per modum motoris, ita cum corpore uniri queat, ut inde apparenter quasi humanum compositum resultet.

d) Ad *simplicitatem* spiritus puri quod attinet, notandum est *eum non esse simplicitatem ipsius Dei;* quaelibet enim creatura sub omni respectu a Deo infinite distat. Ita in Deo non habetur compositio ex *potentia et actu,* quae tamen in spiritu puro admittenda est; non enim hujusmodi spiritus necessario existit. In Deo non habetur compositio *naturae et personae,* quae iterum in spiritu puro admittenda est; quia spiritus purus a divina persona hypostatice assumi potest. In Deo nulla est compositio ex *substantia et accidente,* quae tamen in spiritu puro certe locum habet; cum nullum ens creatum formaliter suum agere esse possit. Quare in spiritu puro *tria* distingui possunt, nempe *substantia, potentia, actio;* dum haec omnia in Deo plane idem sunt. Hinc solus Deus *omnimoda* simplicitate guadet, quapropter ipse solus actus *purissimus* dici potest.

e) Ad supradictam in spiritu puro compositionem respicientes, *S. Bonaventura* (In II Sent. d. 3, p. 1, a, 1, q. 1), *Scotus* (De Rer. Princ. q. 7, aa. 1, 4), eorumque discipuli fere communiter docent in angelis admittendam esse *materiam* et *formam*, quatenus in eis aliud elementum *determinabile* et aliud elementum *determinans* concipi possit. Quare *S. Bonaventura*, loco citato, ita arguit: "Cum in angelo sit ratio mutabilitatis non tantum ad non-esse, sed secundum diversas proprietates, sit iterum ratio possibilitatis, sit iterum ratio individuationis et limitationis secundum propriam naturam: non video causam nec rationem, quomodo defendi potest, quin substantia angeli sit composita ex diversis naturis, et essentia omnis creaturae per se entis: et si composita est ex diversis naturis, illae naturae se habent per modum actualis et possibilis, et ita materiae et formae. Et ideo illa positio videtur verior esse, scilicet quod in angelo sit compositio ex materia et forma."

Hanc sententiam defendens, concludit *Scotus:* "Mundus est arbor quaedam pulcherrima, cujus radix et seminarium est materia prima, folia fluentia sunt accidentia, frondes et rami sunt creata corruptibilia, flos rationalis anima, fructus naturae consimilis et perfectionis natura angelica; unicus autem hoc seminarium dirigens et formans a principio est manus Dei" (op. cit. q. 7, a. 4, n. 3). Haec utique sententia thesi non opponitur.

f) Denique quoad *nomen* spiritus notandum est, illud tum in sermone vulgari tum etiam in Sacris Litteris sat diversis significationibus adhiberi, ita ut aliquando res quoque corporeas designet. Hac de re *S. Thomas* ait: "Dicendum quod spiritus est nomen positum ad significandam subtilitatem alicujus naturae; unde dicitur tam de corporalibus quam de incorporeis. Aer enim spiritus dicitur propter subtilitatem, et exinde attractio aeris et expulsio dicitur inspiratio et respiratio: et exinde ventus etiam dicitur spiritus: et exinde etiam subtilissimi vapores, per quos diffunduntur virtutes animae in partes corporis, dicuntur spiritus. Et similiter incorporei propter suam subtilitatem dicuntur spiritus, sicut dicimus Deum spiritum, et angelum, et animam" (In I Sent. d. 10, q. 1, a. 4).

g) Primum incisum theseos, nempe *angelos vera aliqua ratione esse spiritus,* probatione non indiget; nam eo ipso quod sunt substantiae rationales, ut ex praecedente thesi probatum relinquitur, hoc saltem sensu spiritus dicendi sunt, sicut etiam anima humana spiritus est. Proinde hoc unum probandum est, *angelos non esse entia ex spiritu et corpore composita;* si enim hujusmodi compositio in angelis nullatenus habetur, neque ad eam habetur naturalis ordinatio aut habitudo, vel ulla a corpore dependentia, et ideo sunt puri spiritus. Ex-

cludi autem debet *quodlibet* corpus, etiam illud quod nostris corporibus subtilius esset, ita ut in angelis nulla substantia *partialis* admittatur.

335. **ADVERSARII.**—Huic thesi olim adversabantur plures Patres, qui tribuebant angelis corpus aliquod proprium valde subtile, aethereum aut igneum, nostro corpore longe perfectius. Quare *S. Fulgentius* refert: "Plane ex duplici eos angelos esse substantia asserunt magni et docti viri, id est, ex spiritu incorporeo, quo a Dei contemplatione nunquam recedunt, et ex corpore, per quod tempore hominibus apparent" (De Trinit. c. 9; ML. 65, 505). Inter illos autem magnos et doctos viros numerantur *S. Justinus Martyr* (Apol. II, c. 5; MG. 6, 451), *Clemens Alexandrinus* (Paedag. l. 3, c. 2; MG. 8, 575), *S. Ambrosius* (De Virg. l. 1, c. 8, n. 53; ML. 16, 203), *Claudianus Mamertus* (De Statu Animae l. 1, cc. 13, 14; ML. 53, 716), et alii. *S. Augustinus* aliquibus locis (In Ps. 85, n. 17; In Ps. 145, n. 3; 37, 1084, 1885; Serm. 362, c. 15, n. 17; ML. 39, 1622) eandem sententiam proponit; alibi vero (De Civ. Dei. l. 13, c. 23; ML. 395; De Trin. l. 3, c. 1; ML. 42, 867) dubitanter loquitur. *S. Bernardus* ait: "Videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse, nec mihi perspicuum est, unde alterutrum doceam, et nescire me fateor" (In Cant. serm. 5, n. 7; ML. 183, 801).

Hos Patres secuti sunt quidam theologi, inter quos *Cajetanus,* qui angelos aereos spiritus esse putavit: "Verum, inquit, appellatione aeris non intelligo elementum aeris, sed subtile corpus nostris sensibus ignotum, corpus simplex ac incorruptibile, natum moveri localiter ab anima ad omnes differentias positionis absque pugnantia aliqua ex natura corporis" (In Eph. c. 2) Ad hos accedunt heterodoxi quidam philosophi, *Leibnitzius, Wolffius, Kantius, Bonnet, Cudworth,* alii, "quia putant spiritum activum sine corpore existere non posse" (*Beraza,* op. cit. n. 424).

336. **NOTA.**—De certitudine hujus theseos theologi non omnino inter se conveniunt. Ita *Suarez* dicit: "Hanc assertionem hoc tempore fere certam esse judico, propter communem Ecclesiae consensum, cum definitione fere manifesta et in Scriptura et Patribus fundata" (op. cit. l. 1, c. 6, n. 6). *De Valentia* ait: "Si quis autem quaeret quam certa sit haec secunda sententia, . . . respondeo, ex sententia D. Thomae quaest. 16, de Malo, art. 1, non esse illam quidem usque adeo certam ut sit plane haereticum asserere angelos esse corporeos; est tamen adeo certa ut id jam asserere esset omnino temerarium atque etiam putari posset erroneum" (In I, d. 4, q. 2, punc. 1).

Inter recentiores *Van Noort* ponit: "Propositio saltem ita certa est, ut sine ingenti temeritate in dubium revocari non posset" (op. cit. n. 110). *Pesch* dicit: "Haec doctrina nondum est ab Ecclesia diserte definita, attamen tam communiter recepta est ut theologice certa dici

possit'' (op. cit. n. 361). Idem fere habet *Palmieri,* qui exponit quomodo ex universali theologorum consensu scientifice probetur hanc doctrinam in revelatione contineri (thes. 18, n. 8).

Datae qualificationes referendae sunt ad thesim ut jacet, nempe angelos esse *omnino* incorporeos, ita ut neque subtiliora corpora habeant; si autem quaeratur de certitudine alterius propositionis, nempe eos non habere corpora *nostris corporibus consimilia,* ex eadem grossa materia constituta, dicendum videtur eam esse *de fide tenendam.* Nam Dominus noster clare dicit: ''Quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere'' (Lc. 24, 39; cf. Ephes. 6, 12).

337. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Sacra Scriptura a) clare docet *angelos non habere corpora nostris corporibus consimilia;* b) semper vocat *angelos simpliciter spiritus,* non vero *animas* vel *spiritus alicujus entis compositi;* c) nunquam mentionem facit corporum *quae sint propria angelorum:* **Atqui** haec simul sumpta satis clare ostendunt angelos nullo vero sensu corpora habere, seu eos esse puros spiritus: **Ergo.**

Minor satis liquet; nam a) eo quod dicitur angelos non habere corpora sicut nos habemus, juxta satis obvium sensum jam innuitur eos esse revera incorporeos, licet id non explicite dicatur; b) eo quod Scriptura angelos semper simpliciter spiritus vocat, neque unquam de eorum corporibus mentionem facit, nostra conclusio omnino certa evadit. Ratio est, quia spiritum hominis animam vocare solet, hominisque constitutionem ex anima et corpore iterum atque iterum indicat (cf. supra, n. 126); cum igitur ex altera parte de angelis semper affirmet eos esse spiritus, eumque de eorum constitutione ex spiritu et corpore nihil unquam edicat, obvia conclusio est angelos nullum omnino corpus habere, ideoque eos esse puros spiritus.

Major probatur per partes, juxta divisionem indicatam. a) *Non habent corpora nostris corporibus consimilia:* ''Stetit Jesus in medio eorum, et dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere. Conturbati vero, et conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum: palpate, et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere'' (Lc. 24, 36-39). Item: ''Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem: sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in caelestibus'' (Ephes. 6, 11, 12). Et notandum est, hic agi de angelis malis, relate ad quos in re specialis difficultas moveri solet; eosque simpliciter spiritus (spiritualia nequitiae) dici, utique in oppositione ad homines, ita tamen ut

quis nonnisi per quamdam ipsius nominis detorsionem iis corpora vel tenuiora affingere possit.

b) *Semper vocat angelos simpliciter spiritus, non vero animas vel spiritus alicujus entis compositi.* Veritas hujus partis utique tantum incomplete ostendi potest, cum omnes textus huc spectantes adferri nequeant. Sint ergo quaedam exempla: "Vespere autem facto, obtulerunt ei multos daemonia habentes: et ejiciebat spiritus verbo" (Mt. 8, 16). Item: "Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur" (Lc. 6, 18). Item: "Et spiritus nequam egrediebantur" (Act. 19, 12). Item: "Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?" (Hebr. 1, 14).

c) *Nunquam mentionem facit corporum quae sint propria angelorum.* Veritas hujus partis ex eo jam satis liquet, quod de corporibus angelorum tunc tantum sit sermo, quando hominibus visibiliter apparuerunt; istis autem occasionibus habere videbantur corpora sicut homines, quae tamen ipsa Sacra Scriptura eorum propria esse negat (cf. superius, a).

338. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.**—Hoc utique argumentum vere demonstrativum non est, cum plures Patres vel contrarium docuisse vel saltem hac in re dubitasse dicendi sint; tamen cum certe valorem habet, quo sequenti argumento ex theologis derivando solidum fundamentum praebeatur. Praeterea infra in scholio ostendetur, adversam quorumdam Patrum sententiam non magnum valorem habere. Itaque audiantur quidam Patres qui nostram doctrinam certe proposuerunt, quique prae aliis numero longe plures sunt.

a) *Eusebius Caesareensis:* "Voluit enim Deus, . . . suorum thesaurorum plures enasci participes, et jam omnem rationalem creaturam producturus, incorporeas aliquas intelligentes et divinas potestates (ἀσωμάτους τινὰς νοερὰς καὶ θείας δυνάμεις), angelos et archangelos, immateriales et omnino puros spiritus (ἄϋλά τε καὶ πάντη καθαρὰ πνεύματα), et praeterea animas hominum" (Demonst. Evang. l. 4, c. 1; MG. 22, 252).

b) *S. Gregorius Nyssenus:* "Divisa est omnis rationalis creatura in incorpoream et in corpoream naturam (εἴς τε τὴν ἀσώματον καὶ τὴν ἐνσώματον φύσιν). Incorporea est angelica; altera autem species, nos homines" (De Orat. Dom. 4; MG. 44, 1165).

c) *S. Joannes Damascenus:* "Ipse angelorum opifex et conditor est, ut qui eos ex nihilo produxerit, . . . naturam incorpoream (φύσιν ἀσώματον) velut spiritum quemdam aut ignem materia vacuum (πῦρ ἄϋλον), . . . Angelus itaque est substantia intelligens (οὐσία νοερά), perpetuo motu et libertate praedita, corporis expers (ἀσώματος)" (De Fide Orthod. l. 2, c. 3; MG. 94, 865).

d) Inter Graecos similiter loquuntur *S. Gregorius Nazianzenus* (Orat. 24, n. 20; MG. 36, 71; Orat. 38, n. 9; MG. 36, 319), *S. Chrysostomus* (Hom. 22 in Gen. n. 2; MG. 53, 186), *Didymus* (De Spir. Sancto, n. 4; MG. 39, 1035), *S. Epiphanius* (Haer. 26, 13; MG. 41, 351), *Theodoretus* (In Gen. q. 20; MG. 80, 110), et alii, quos refert *Petavius* (De Angelis, l. 1, c. 3).

e) Inter Latinos *Gregorius Magnus* ait: "Duas ad intelligendum se (Deus) creaturas fecerat: angelicam videlicet et humanam, . . . sed una tegmen carnis habuit, alia vero nihil infirmum de carne gestavit. Angelus namque solummodo spiritus, homo vero et spiritus est et caro" (Moral. l. 4, c. 3, n. 8; ML. 75, 641). Item: "Quis sanum sapiens esse spiritus corporeos dixerit?" (Dial. l. 4, c. 29; ML. 77, 368).

f) Similia habent *Marius Victorinus* (Adv. Arium, l. 4, n. 11; ML. 8, 1121), *S. Hieronymus* (Epist. 75, n. 2; Epist. 108, n. 22; ML. 22, 687, 900), *S. Leo Magnus* (Epist. ad Turib. 15, c. 6; ML. 54, 683), alii, quos vide sis apud *Petavium* (op. cit. l. 1, c. 3). Haec igitur sufficiant ad ostendendum nostram doctrinam esse in Ecclesiae traditione bene fundatam.

339. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex consensu theologorum.— Uno alterove excepto, tam veteres theologi quam recentiores doctrinam in thesi propositam omnes tuentur, eamque ut certe tenendam proponunt. Ita v. g. jam suo tempore scripsit *S. Bonaventura:* "Dubitaverunt aliquando magni doctores, utrum scilicet angeli habeant corpora naturaliter sibi unita; unde super hoc dubie loquitur tam Augustinus quam Bernardus, sed nunc satis certitudinaliter tenetur, et Magister et Richardus affirmant, quod angeli sunt naturaliter incorporei nec habent corpora naturaliter sibi unita" (In II Sent. d. 8, p. 1, a. 1, q. 1). Progressu vero temporis haec sententia adeo universaliter accepta est, ut theologi oppositam omnino temerariam dicant (cf. superius, n. 336).

340. **Scholion I: Quid de sententia negativa quorumdam Patrum censendum sit.**

Ad istorum Patrum dicta rite intelligenda, *Palmieri* haec observanda notat: "Scilicet 1, certum esse debet quod Patres iique generatim omnes habuerint conceptum clarum ejus rei, quam nos dicimus spiritum, entis videlicet intelligentis, a materia independentis ac omnino secreti: patet id non solum ex testimoniis citatis, sed praesertim ex eo quod conceptu claro et distincto Dei, quoad ejus fieri potest, Patres ex Scriptura et Traditione edocti certe potiebantur, qui conceptum spiritus profecto continet.

2. Tenendum est normam quandam communem pro usu certorum

terminorum quoad plures res nondum definitas ante aetatem scholasticam non exstitisse.

3. Cum in quaestione dogmatis agitur de solo facto apostolicae traditionis ejusque notitia ab historico testimonio Patrum quaeritur, non immerito postulatur ut antiquiorum Patrum auctoritas praeferatur. At cum agitur de pleniore conceptu dogmatis revelati, qui conceptus fructus est reflectionis et analysis, immerito lex haec statueretur, ut sensus antiquiorum praevalere debeat sensui posteriorum; possibilis enim quoad hoc est ac reapse habet locum progressus in intellectu catholico.

His positis facile est expedire quod ex iis Patribus objicitur, qui angelos corpora esse dicunt, vel ignem aut aetherem; qui quidem Patres secernendi sunt ab iis qui angelos faciunt corporatos, hoc est, duplici elemento constantes spiritu et corpore. Illi enim priores non negant reapse angelos esse spiritus puros'' (op. cit. thes. 18, n. 4, pp. 162, 163).

Itaque illi priores Patres, qui angelos *corpora* esse dicebant, verum quidem spiritus conceptum habebant, sed tunc terminus ''corpus'' vel ''corporeum'' non semper idem significabat quod nunc significare solet. Juxta eorum loquendi modum, corpus plerumque significat *quidquid finitum* est, vel *quidquid non est Deus.* Solus Deus omni limitatione omnique objectiva distinctione caret; et ideo solus Deus, juxta hunc loquendi modum, absolute *incorporeus* est. Ita v. g. *S. Joannes Damascenus,* postquam dixit angelum esse naturam incorpoream, prosequitur: ''Incorporea vero et immaterialis dicitur quantum ad nos; quidquid enim cum Deo confertur, qui solus nulli comparari potest, crassum et materiale invenitur. Sola quippe divina natura vere immaterialis est et incorporea'' (De Fide Orthod. l. 2, c. 3; MG. 94, 865). Unde eo ipso quod illi Patres dicunt angelos esse *corpora* vel *corporeos* et *materiales,* non necessario negant eos esse puros spiritus.

Similiter illi qui dicunt angelos esse *ignem* vel *aetherem,* his vocibus plerumque saltem non veri nominis materiam significare volunt, sed potius ignem vel aetherem *immaterialem,* qui ipse est substantia intelligens ideoque *spiritualis.* Ita inter alios *S. Gregorius Nazianzenus,* qui ait: ''Atque ita secundi splendores procreati sunt, primi splendoris administri; sive intelligentes spiritus, sive ignem velut immaterialem et incorporeum, sive aliam quamdam naturam, quam proxime ad has accedentem, eas existimare oportet'' (Orat. 38, n. 9; MG. 36, 320).

Denique sunt Patres qui videntur angelis tribuere *verum corpus,* nostro quidem corpore perfectius sed non ab eo dissimile secundum *speciem,* ita ut in ipso exerceant angeli *opera vitae animalis,* puta *manducare, concupiscere, coire cum feminis;* ad eos autem quod attinet,

imprimis notandum est eos fere omnes pertinere ad prima Ecclesiae saecula, quo tempore haec nostra doctrina nondum plane exposita erat. Inter eos enim numerantur *S. Justinus* (Apol. II, c. 5), *Tatianus* (Adv. Graecos, c. 11), *S. Athenagoras* (Legat. pro Christ. n. 24), *Clemens Alexandrinus* (Paedag. l. 2, c. 2), *Lactantius* (Instit. l. 2, c. 15), quibus consentire videtur *S. Irenaeus* (Adv. Haer. l. 4, c. 16). Eorum sententia jam quarto saeculo a fere omnibus absolute rejecta fuit. Quare ait *S. Chrysostomus:* "Quanta non dementia plenum fuerit dicere angelos ita dejectos ut cum mulieribus rem haberent, et incorporea illa natura copularetur corporibus?" (In Gen. hon. 22, n. 2; MG. 53, 188). In Apostolica traditione illa sententia utique nullum prorsus fundamentum habuit, sed orta esse videtur ex Gen. 6, 2 male intellecto; nam ibi terminus "filii Dei" non angelos significat, ut illi putabant, sed Sethitas seu filios Seth, qui cum filiabus Cain matrimonium inierunt.

Forte tamen nonnulii ex illis Patribus eo sensu intelligi possunt, quod censuerint angelos non ex natura sua corpus habere, sed illud tamquam quoddam extrinsecum suae naturae complementum accepisse, vi cujus datis occasionibus opera vitae animalis exercere possent. At res valde obscura atque incerta est, eamque ulterius prosequi haud vacat (cf. *Palmieri,* op. cit. pp. 170 sqq).

341. **Scholion II: Num angeli nonnunquam assumant corpora.** Ad hanc quaestionem respondet *S. Thomas:* "Quidam dixerunt angelos nunquam corpora assumere, sed omnia quae in Scripturis divinis leguntur de apparitionibus angelorum, contigisse in visione prophetiae, hoc est, secundum imaginationem. Sed hoc repugnat intentioni Scripturae. Illud enim quod imaginaria visione videtur, est in sola imaginatione videntis. Unde non videtur indifferenter ab omnibus. Scriptura autem divina sic introducit interdum angelos apparentes, ut communiter ab omnibus viderentur; sicut angeli apparentes Abrahae visi sunt ab eo et tota familia ejus, et a Loth, et a civibus Sodomorum; similiter angelus qui apparuit Tobiae, ab omnibus videbatur. Ex quo manifestum fit hujusmodi contigisse secundum corpoream visionem, qua videtur id quod positum est extra videntem, unde ab omnibus videri potest. Tali autem visione non videtur nisi corpus. Cum igitur angeli neque corpora sint, neque habeant corpora naturaliter sibi unita, relinquitur quod interdum corpora assumant" (I, q. 51, a. 2).

Et quoad modum assumptionis ponit: "Corpus assumptum unitur angelo non quidem ut formae, neque solum ut motori, sed sicut motori repraesentato per corpus mobile assumptum. Sicut enim a Sacra Scriptura proprietates rerum intelligibilium sub similitudinibus rerum sensibilium describuntur, ita corpora sensibilia divina virtute sic

formantur ab angelis, ut congruant ad repraesentandum angeli intelligibiles proprietates. Et hoc est angelum assumere corpus'' (Ibid. ad 2). Hanc sententiam theologi fere communiter sequuntur.

342. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° In Sacra Scriptura eae actiones et passiones angelorum repraesentantur, quae cum similes sint humanis postulant in angelis naturam corpoream. Ita a) apparent sub forma sensibili, eorumque figura singularis describitur (Dan. 10, 5 sqq), inter se loquuntur voce sensibili (Zachar. 1, 11; 3, 4), tuba canunt (Mt. 28, 31), epulantur (Gen. 18, 9; 10, 3), cum hominibus luctantur (Gen. 32, 24). b) Sono citharae compescuntur (I Reg. 16, 23), fumo jecoris fugantur (Tob. 6, 19), apprehenduntur ab aliis angelis et religantur (Tob. 8, 3). c) Igne corporeo torquentur (Mt. 25, 41; II Petr. 2, 4): *Ergo* angeli aut corpora sunt aut propria corpora habent.

Resp. Nego assertum, quatenus illa natura corporea angelorum propria dicitur, et ad rationes additas ex ordine dico: a) Textus in hac prima classe positi, et alii ejusdem generis qui adduci possent, facile explicantur ex supposito angelos sibi per extrinsecam quamdam unionem corpora assumpsisse, ope quorum actiones specietenus humanas producerent. Dico ''specietenus,'' quia cum angeli hujusmodi corpora non informent, actus vere vitales in eis producere nequeunt. Unde Deo permittente possunt quidem quamlibet corporis formam vel figuram inducre, illud corpus localiter movere, sonos articulatos edere, cibum intromittere, et alia hujusmodi; sed in his omnibus nihil humanae actionis habetur praeter apparentiam externam. Unde etiam Raphael angelus ad Tobiam dixit: ''Videbar quidem vobiscum manducare et bibere; sed ego cibo invisibili et potu (contemplatione Dei), qui ab hominibus videri non potest, utor'' (Tob. 12, 19).

b) Textus hujus secundae classis satis absque corporis assumptione explicantur, cum Deus pro lubito uti possit rebus materialibus ad daemones compescendos vel fugandos, eosque per angelos bonos in aliquo determinato loco religare seu detinere valeat; quare hujusmodi textus nullam difficultatem facessunt. Immo ''si sermo sit de actione indirecta in ipsos, directa autem in aliud, puta in homines, quos e. g. suavitas cantus eximit a tristitia, dissipatque melancholicum humorem; manifestum est quod haec efficacia naturalis prorsus esse potest: eoque spectat, ut subtrahat daemonibus naturalia media, quibus utuntur ad affligendos homines. Quocirca hujusmodi actio efficax ex aequo erit sive daemon sit spiritus purus, sive sit corporatus'' (*Palmieri,* loc. cit. p. 157).

c) In ultimo textu, quod videlicet daemones igne torquentur, non tam difficultas quam potius mysterium habetur. Non habetur difficultas contra hanc thesim, quia idem factum admittendum est

quoad animas perditas a corpore separatas, quarum tamen substantia certe spiritualis est; et habetur mysterium, quia licet ipsum factum ex revelatione constet, intima tamen ejus natura nos quodammodo latet. Quae hac de re rationabiliter dici possunt, infra in tractatu de Novissimis proferentur.

2° Argumentum ex traditione desumptum nihil valet; nam tot fere Patres contra hanc thesim adduci possunt, quot in ejus favorem allegari solent: *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: Apparenter tot fere Patres contra hanc thesim adduci possunt, quot in ejus favorem allegari solent, *Tr.* Revera, rectae interpretationis regula servata, *N.* Haec distinctio ex supra (n. 340) dictis satis patet.

3° Theologorum consensus circa spiritualitatem angelorum fundatur in definitione Concilii Lateranensis IV: *Atqui* ista definitio non de spiritualitate angelorum edita est: *Ergo* ex theologorum consensu non habetur firmum argumentum.

Resp. Theologorum consensus circa spiritualitatem angelorum directe fundatur in definitione Concilii Lateranensis IV, *N.* Indirecte fundatur in illa definitione, *subd.* Quatenus in ipso modo illam definitionem edendi mens Ecclesiae relate ad spiritualitatem angelorum quodammodo indicatur, et hac ratione theologi postea hanc quaestionem magis accurate investigaverunt, *C.* Quatenus falso putaverint definitionem concilii ipsam spiritualitatem angelorum pro objecto habuisse, *N.* Unde theologi hanc thesim non ex concilii definitione probant, sed ex iis quae in Sacra Scriptura et traditione inveniuntur. Cum tamen illud concilium distinguat inter naturam materialem, spirtualem, et ex materia et spiritu compositam, eumque angelicam naturam simpliciter spiritualem dicat, haud immerito inde infertur angelos juxta mentem Ecclesiae esse puros spiritus, licet hac de re nihil definitum fuerit. Hoc autem habito, jam erat ratio cur theologi hanc quaestionem solertius investigarent, et tandem Sacra Scriptura et traditione duce ad nostram thesim firmiter stabiliendam pervenirent.

ARTICULUS III

De Angelorum Praesentia in Loco

ASSERTUM.—Angeli in loco quidem sunt, non tamen circumscriptive sed definitive; possunt quoque se ipsos necnon corpora e loco in locum movere.

De angelorum relatione ad locum, sicut etiam de eorum vi motrice, multa inter theologos hinc inde disputantur, quorum tamen plurima probabilitatis fines vix attingunt vel certe non excedunt. Cum autem

hujusmodi speculationibus immorari haud vacet, ea duntaxat hac de re notabimus, quae vel certa sunt vel vera aliqua probabilitate gaudent.

343. Sollemne est *duplicem* locum distinguere, *extrinsecum* videlicet et *intrinsecum*. Locus extrinsecus est extrema superficies corporis aliud ambientis, seu est id in quo res contineri dicitur. Locus vero intrinsecus est illa formalis ratio, vi cujus res dicitur esse hic et non alibi. Haec autem formalis ratio est modus positivus ipsius rei hic potius quam alibi existentis, qui secundum alios realiter ab ipsa re locata distinctus est, secundum alios vero realiter cum ea identificatur. Hic modus positivus τό ubi intrinsecum rei vocari solet, per quod ipsa res, cui inest, formaliter ubicatur seu in loco constituitur. Triplex autem ubicatio distinguitur: *localis, spiritualis, transcendentalis.* Ubicatio localis convenit corporibus; spiritualis vero, spiritibus creatis; transcendentalis denique, soli Deo. Localis igitur ubicatio cum ipso hoc mundo sensibili incepit, eumque necessario supponit; spiritualis autem ab existentia mundi sensibilis praescindit, et per se nullam habitudinem ad res corporeas importat; transcendentalis demum est ipsa Dei immensitas, ab omni prorsus creatura independentis.

344. Locus utique est *pars spatii;* spatium autem est vel *reale* vel *absolutum,* prout vel cum mundo sensibili identificatur vel meram ejus possibilem existentiam denotat. Unde cum dicimus angelos esse in loco, non necessario nomine loci partem spatii *realis,* intendimus, sed sufficit ut saltem pars spatii *absoluti* intelligatur. Quatenus angeli in hoc mundo sensibili praesentes dicuntur, utique in spatio reali locati sunt; quatenus vero praesentes dicuntur ubi nulla corpora existunt, in spatio absoluto locati sint necesse est. Affirmamus igitur *angelos esse in aliquo loco,* ita tamen ut non necessario sint in loco *extenso,* qui sit pars spatii realis.

345. Angeli autem sunt in loco, quia secus essent ubique, quod tum Sacrae Scripturae tum traditioni tum etiam ipsi rationi repugnat. Juxta enim Sacram Scripturam modo dicuntur esse in *caelo,* modo in *terra,* modo in aliquem *determinatum locum* adveniunt, ibique sese manifestant, modo in *alium locum* abeunt; modo *huc* a Deo mittuntur, modo *illuc;* quae quidem locutiones rationabiliter intelligi non possent, si angeli essent ubique. Eodem modo loquuntur SS. Patres, qui *triplicem* agelorum locum distinguere solent; *caelum, infernum* et *aerem,* ita ut cum sunt in uno non sint simul in alio. Idem quoque ipsa ratio docet; quia si angeli essent ubique. eo ipso *immensi* dici deberent, cum absque sui mutatione praesentes essent ubicumque in spatio absoluto aliquod corpus crearetur. Immensitas autem *solius Dei* propria est. Quare omnes theologi vel ut temerariam vel ut erroneam, vel etiam ut haereticam, rejiciunt sententiam *Durandi,* qui, non asserendo sed tan-

tum referendo, angelos ubique esse docuit (cf. *Suarez,* De Angelis, l. 4, c. 1, n. 12).

346. Ad ubicationem alicujus entis in loco extenso, seu in hoc mundo, quod attinet, *triplex* praesentia distinguenda est: *circumscriptiva, definitiva, repletiva.* Praesentia repletiva etiam *inadaequata cum excessu* dicitur, et *solius Dei* propria est; quippe quae in eo consistit, quod Deus est totus in toto loco totusque in singulis loci partibus, et ita quidem ut nullo determinato loco definiatur sed ubique praesens existat. Circumscriptiva vero praesentia propria est *entis corporei,* et haec *tria* involvit: *Primum* ut ens ita sit in uno loco ut non sit simul in alio; *alterum* ut totum ens sit in toto hoc loco; *tertium,* ut non totum ens sed singulae ejus partes singulis loci partibus respondeant. Definitiva denique praesentia propria est *entis spiritualis,* et similiter *tria* includit: *Primum,* ut ens ita sit in uno loco ut non sit simul in alio; *alterum,* ut totum ens sit in toto loco; *tertium* ut totum ens sit etiam in singulis loci partibus, ita ut ubique in hoc uno loco totum inveniatur.

347. Hisce igitur positis, dicimus imprimis *angelos non esse circumscriptive in loco;* et hoc quidem ex supradictis satis liquet. Est enim angelus purus spiritus, qui partes non habet; si igitur est in aliquo loco, utique *non modo totus in toto loco verum etiam totus in singulis loci partibus* existit. Ipse quidem locus extrinsecus extensus est, et minoris majorisve dimensionis esse potest; angelus tamen in eo existens non per partes, quas scilicet non habet, sed per totam suam et indivisibilem substantiam cuilibet istius loci dimensioni respondet.

348. Itaque cum angeli *circumscriptive* in loco esse nequeant, inde jam sua sponte sequitur eos esse in loco *definitive;* supra enim ostensum est eos non esse ubique, sed in aliqua sive realis sive absoluti spatii parte locatos; neque repletive in loco esse possunt, cum praesentia repletiva Dei propria dicenda sit. Et hoc quidem non modo omnes theologi tuentur, verum etiam SS. Patres aperte docent. Ita v. g. *S. Joannes Damascenus* ait: "Circumscripti sunt (angeli), quoniam, cum in caelo sunt, non sunt in terra; cum in terram a Deo mittuntur, non manent in caelo. Cum autem intelligentiae sint, etiam intelligibilibus in locis sunt, non corporum more circumscripti. Non enim ut corpora secundum naturam figurantur neque triplici dimensione constant, sed eo ipso sunt in loco, quod intelligibiliter praesentes sint et agant ubicumque esse jussi sunt, nec valeant eodem momento simul hic et illic esse et agere" (De Fide Orthod. l. 1, c. 3; MG. 94, 870). Sunt igitur angeli in loco sicut anima humana est in corpore, sola corporis informatione dempta.

349. Haec conclusio certa est; sed si ulterius quaeratur, per quid angeli *formaliter constituantur* in loco, sat diversa a diversis theologis dantur responsa. Aliter respondet *S. Thomas,* aliter *S. Bonaventura,* aliter *Suarezius,* quorum singuli suos discipulos habent. Juxta *S. Thomam* angeli sunt in loco per *applicationem propriae virtutis;* aliis enim explicationibus rejectis, ait: "Relinquitur ergo quod angelus definiri vel determinari non potest ad locum aliquem nisi per actionem et operationem. Et ista est tertia opinio, quae ponit angelum esse in loco in quantum alicui loco per operationem applicatur. . . . Et ideo hanc opinionem sequendo, quae rationabilior videtur, dico, quod angelus et quaelibet substantia incorporea non potest esse in corpore vel in loco nisi per operationem quae effectum aliquem in eo causat" (In I Sent. d. 37, q. 3, a. 1; cf. Sum Theol. I, q. 52, a. 1). Nonne tamen ipsa angeli praesentia in aliquo loco ejus operationi in eodem loco praesupponi debet? Quomodo igitur angelus per suam operationem in illo loco constituitur?

350. *Scotus* hanc Aquinatis sententiam acriter impugnat eamque haereticam esse putat (In II Sent. d. 2, q. 6), et deinde ad mentem *S. Bonaventurae* (In II Sent. d. 2, p. 2, a. 2, q. 1) docet angelos esse in loco per *solem suam substantiam,* ita ut nec virtus nec virtutis applicatio, nec quidquam aliud ab ipsa angelorum substantia distinctum, eos formaliter in loco constituat. Huic sententiae inter modernos consentit *Palmieri,* qui ait: "Est ergo angelus in aliquo loco eo quod ejus substantia est realiter praesens (locus extrinsecus) vel immediate inest (locus intrinsecus) alicui corpori, vel est ubi realis extensio esse potest" (op. cit. p. 184).

351. *Suarezius* ab hac sententia una tantum ratione differt, quatenus scilicet existimat τό ubi intrinsecum rei esse *modum aliquem a rei substantia realiter distinctum.* Suam mentem sic exponit: "Dicimus ergo, angelum esse in loco per solam praesentiam substantiae suae indistantis a corpore in quo esse dicitur; ac proinde denominationem hanc essendi in loco ex parte angeli solum dicere intrinsecum modum praesentiae, seu ubi, quod supra capite secundo explicuimus: connotare autem coexistentiam corporis in eodem situ seu spatio in quo angelus praesens existit" (op. cit. l. 4, c. 7, n. 1). Item: "Dico primo, angelum non esse in extrinseco loco, quin praeter illum, et omnem actionem in illum, supponatur in ipso angelo aliquis intrinsecus modus accidentalis, et ex natura rei a substantia distinctus" (Ibid. c. 2, n. 4). Et hoc ubi intrinsecum, connotans simultatem seu propinquitatem alicujus corporis, sufficit ut angelus dicatur esse in loco extrinseco, "quia nulla est ratio cur illa propinquitas et simultas ad hujusmodi denominationem non sufficiant. Nam in corporibus propinquitas et indistantia

inter ultimo ultimos terminos seu superficies sufficit ut unum dicatur esse in alio; cur ergo intima praesentia angeli ad corpus non sufficit ut dicatur esse in illo?'' (Ibid. c. 7, n. 4).

352. Cum hac quaestione de angelorum praesentia in loco, connectitur illa alia de *motu* angelorum. Cum enim non semper sint in eodem loco, utique possunt se de loco in locum movere; quaeritur autem *quomodo ille motus peragatur.* Num angelus ex uno loco ad alium distantem se movens debeat *transire per medium,* an possit *absque hujusmodi transitu* sese ad illum distantem locum transferre? Illi qui putant angelum esse in loco per applicationem virtutis, hoc alterum tenent. *S. Thomas* hoc modo arguit: ''Corpus est in loco sicut contentum ab eo, et ideo oportet quod in movendo sequatur loci conditionem, ut scilicet pertranseat media priusquam ad extrema loci perveniat. Sed cum angelus sit in loco per contactum virtutis, non subditur loco ut contentus ab eo, sed magis continet locum sua virtute, supereminens in loco. Unde non habet necesse ut sequatur in suo motu conditionem loci, sed voluntati suae subest quod applicet se per contactum virtutis huic loco vel illi, et si vult, absque medio; sicut etiam intellectus potest applicari intelligendo uni extremo, puta albo, et postea nigro indifferenter, vel cogitando vel non cogitando de mediis coloribus'' (Quod. l. 1, a. 5).

Alii vero, qui docent angelum esse in loco per ipsam suam substantiam, vel per modum aliquem ei intrinsecum, communiter negant motum sine transitu per medium esse angelo naturaliter possibilem; non praecise quia hujusmodi motus implicat, sed potius quia requirere videtur potentiam infinitam, cum aequivalere dicendus sit replicationi simultaneae angeli in pluribus locis utcumque distantibus, quae divinitus fieri potest. Hanc rem late exponit *Suarezius,* qui tamen sententiam *S. Thomae* probabilem esse existimat (op. cit. l. 4, c. 19).

353. Quaeri etiam solet de *vi motrice* angelorum, quatenus tum circa spiritus tum circa corpora exerceri valeat. Ipsum *factum,* angelos hujusmodi vi praeditos esse, ex Sacris Litteris (Dan. 14, 35; Jo. 5, 4; Act. 8, 39; Mt. 4, 5; Tob. 8, 3) liquido constat; *modus* autem, quo illa vis ab angelis exerceatur, nos latet. Admittendum esse contactum virtutis, non vero contactum quantitatis, manifestum est; quomodo vero iste contactus virtutis fiat, solus Deus ipsique angeli noverunt. Neque ambitus istius virtutis motricis determinari potest. Num forte unus angelus, Deo permittente, possit totum orbem terrarum contra motum ejus naturalem movere, vel determinatam aliquam ejus partem dumtaxat? Prorsus nescimus. Haec et alia quaedam similia disputata invenies apud *Suarezium* (op. cit. l. 4, cc. 30 sqq).

ARTICULUS IV

De Cognitione Angelorum

THESIS XXVIII.—Angeli cognitione quidem praestant, naturaliter tamen neque secreta cordis neque libera futura neque mysteria cognoscere possunt.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, qq. 54-58; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 3, p. 2, a. 2, qq. 1, 2; d. 7, p. 2, a. 1, qq. 1-3; Scotus, *In II Sent.* d. 3, qq. 10, 11; d. 9, q. 2; Suarez, *De Angelis,* cc. 1 sqq.; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 465 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 373 sqq.; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 295 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 428 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 347 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 20; *Hist. Dogm.* II, pp. 121 sqq.

354. **STATUS QUAESTIONIS.**—Cum jam probatum sit angelos esse substantias rationales, de ipso facto angelicae cognitionis nihil dicendum superest; exploranda tamen manet quaestio de ejus *perfectione,* necnon de *limitatione objectorum* ad quae sese naturaliter extendere potest. Multa quoque hinc inde disputari solent de ejus principio *proximo,* de *modo* quo comparatur, et de ejus *medio;* haec tamen pro maxima parte adeo incerta sunt, ut ea ad modum theseos proponere haud expediat. Unde restringitur nostra thesis ad illa duo puncta supra notata; de aliis vero quaedam notatu digna infra in scholio proferentur.

355. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Praestantia cognitionis angelicae, de qua in thesi, non *absolute* sed *relative* accipienda est; quatenus videlicet comparatur ad perfectionem *cognitionis humanae,* quia ejus perfectio in se considerata nobis parum nota est. Insuper *solum factum* istius praestantiae affirmamus in thesi, quin simul determinare velimus ultimam hujus facti rationem. Generalis quaedam ratio utique exinde colligitur, quod juxta superius probata angeli sint puri spiritus, substantiae rationales homine praestantiores, et proinde facultatibus altioris ordinis praediti, ope quarum actus proportionaliter magis perfectos ponere valent. At haec dum factum illius praestantiae probant, ejus intimam naturam nobis non aperiunt.

b) Ambitum cognitionis angelicae in ipsa thesi non *positive* sed *negative* determinamus, assignando quaedam objecta quae angeli naturaliter cognoscere non possunt. Et imprimis quidem cognoscere nequeunt *secreta cordis,* non quidem propter eorum incognoscibilitatem quatenus in se spectantur, sed potius propter naturalem ordinem hac in re a Deo stabilitum. Per secreta autem cordis, vel etiam *cogitationes cordis* quae vocantur, intelliguntur *operationes liberae entis rationalis nullo signo exterius manifestatae,* actus igitur voluntatis et

actus intellectus a voluntate imperati. Cum autem operationes liberae in concreto aut moraliter bonae sunt aut malae, etiam dici potest et dicitur secreta cordis complecti *omnes et solos actus per se morales,* prout in ipsis facultatibus spiritualibus absolvuntur atque manent, nec ab eos habente ad alios communicationis causa diriguntur. Quare in subiecta materia non est quaestio de actibus qui *per se* morales non sunt, puta actus *sensus interni, phantasiae, appetitus sensitivi;* hos enim actus, juxta communiorem sententiam, angeli naturali virtute cognoscere possunt, saltem citra moralitatem quae eis per accidens inesse potest. Neque est quaestio de illis actibus *per se* moralibus, quos angelis innotescere *positive* volumus, ut quando corde preces fundimus ad angelos bonos; nam satis communiter admittitur actus sic positos posse naturaliter ab angelis cognosci.

c) Deinde angeli naturaliter neque cognoscere possunt *futura libera,* quamdiu in suis causis nondum praecontinentur, aut sic praecontenta non exterius manifestantur. Futura enim libera aut sunt *ipsi actus immanentes* sive eliciti sive imperati a voluntate, aut sunt *effectus ad extra,* qui pendent a *determinatione voluntatis* sive Dei sive alterius entis intelligentis. Quatenus sunt ipsi actus immanentes, ad *secreta cordis* pertinent et sic juxta supra jam dicta angelis impervii sunt; quatenus vero sunt effectus ad extra, ante actualem eorum positionem *nullatenus existunt* nisi in mente Dei, qui solus ea certe praecognoscit. Possunt tamen angeli saepe saepius *conjecturalem* quamdam cognitionem de hujusmodi effectibus habere, quatenus sive ex adjunctis sive ex jam nota alicujus hominis dispositione divinare valent, quid data occasione libere acturus sit. At certa horum effectuum praecognitio solius Dei propria est.

d) Denique angeli naturali sua virtute cognoscere nequeunt *mysteria,* utique ordinis supernaturalis seu gratiae, vel etiam ordinis increati. Haec altera sunt intrinseca Deo, ut v. g. Trinitas in unitate; illa priora sunt in Dei operibus ad extra, puta incarnatio Verbi. Haec autem mysteria in se spectari possunt vel *ante* vel *post* ipsorum revelationem. Ante revelationem angeli ad summum cognoscere valent *mysteria in genere esse possibilia,* non vero hoc vel illud particulare mysterium sive possibile sive futurum esse. At post revelationem, sive miraculis sive aliter comprobatam, mysteriorum *existentiam* quidem naturaliter cognoscere possunt, non vero etiam eorum *quidditatem;* supponimus enim ea esse mysteria proprie dicta.

356. ADVERSARII.—Primam partem thesees, qua affirmatur angelos cognitione praestare, nemo impugnat. Alteri parti adversantur quidam theologi antiquiores, inter quos numerantur *Durandus* (In II Sent. d. 8, q. 5) et *Scotus* (In II Sent. d. 9, q. 2; cf. In IV, d. 45, q. 4), qui contendunt secreta cordis posse naturaliter ab angelis cog-

nosci; simul tamen docent ex Dei dispositione haberi, ut angeli boni dumtaxat secreta cordis actu cognoscant. Tertia et quarta pars adversarios non habent.

357. **NOTA.**—Prima pars est *theologice certa;* nam de fide est angelos esse homine praestantiores, cum autem sint substantiae intelligentes, haec praestantia satis obvie ad eorum cognitionem extendi debet. Reliquae vero partes *de fide tenendae sunt,* tum ex Sacra Scriptura tum ex traditione, ut ex argumentis infra ponendis apparebit.

I. Angeli cognitione praestant.

358. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Juxta Sacram Scripturam angeli a) sunt *homine praestantiores;* b) eorum sapientia est velut *exemplar perfectissimae sapientiae inter homines;* c) eorum scientia quasi *medium locum tenet inter scientiam Dei et hominum:* **Atqui** ex his necessario sequitur angelos homini cognitione praestare: **Ergo.**

Minor satis liquet; nam imprimis cum angeli sint substantiae intelligentes, eorum praestantia ad totum intelligentiae ordinem extendi debet, ideoque non modo ad cognitionis principium verum etiam ad ipsam cognitionem. Deinde omne exemplar ex ipsa rei natura suo exemplato superius est. Denique illud quod inter duo extrema quasi medium locum tenet, infimum extremum superet necesse est.

Major probatur per partes, juxta ordinem indicatum. Itaque, a) *Ps. 8, 6:* "Minuisti eum (hominem) paulo minus ab angelis"; et ideo angeli homine praestantiores sunt. b) *II Reg. 14, 20:* "Tu Domine mi rex (David), sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram"; itaque sapientia regis adeo magna dicitur, ut quodammodo ad sapientiam angeli Dei accedat, quae igitur tamquam eximiae sapientiae exemplar indicatur. c) *Mt. 24, 36:* "De die autem illa (ultimi judicii), et hora nemo scit, neque angeli caelorum, nisi solus Pater"; unde merito infertur scientiam angelorum, licet sit Dei scientia infinite inferior, esse hominum scientia multo praestantiorem, et hoc sensu medium quasi locum tenere inter scientiam Dei et hominum.

359. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.**—Mens SS. Patrum hac de re partim ex disertis eorum testimoniis colligitur, partim vero ex aliis eorum dictis infertur. Ita *S. Gregorius Nazianzenus* angelos appellat "splendores secundos primi splendoris administros, spiritusque intelligentes" (Orat 38, n. 9); *S. Fulgentius* ait: "Excellentiorem ac primam in creaturis artem reperimus rationalem angelorum naturam" (De Trin. c. 8); *S. Joannes Damascenus* edicit, "angeli secunda sunt intellectualia lumina, ex primo et carente principio lumine illuminationem suscipientia" (De Fide Orthod. l. 2, c. 3).

Indirecte vero eorum mens praecipue ex eo infertur, quod docent angelos in creatione fuisse a Deo ceteris suis operibus praepositos tamquam suos ministros; oportet enim ut ea tantum natura, quae sub Deo est potior atque sapientior, ceteris naturis sub Deo regendis praeficiatur. Ita jam *Hermas* (Pastor, Vis. 3, 4, 1), *S. Justinus* (Apol. II, n. 14), *S. Athenagoras* (Legat. pro. Christ. n. 24), *Origenes* (De Princ. 1, praef. 10), *S. Joannes Damascenus* (De Fide Orthod. l. 2, c. 4), alii. SS. Patribus denique consentiunt omnes theologi, tam veteres quam recentiores.

360. Eadem conclusio colligitur ex eo quod angeli sint spiritus puri; hoc autem ita ostendit *Palmieri:* "Nempe animus noster spiritus est, cujus cognitio partim est sensitiva, partim intellectiva, atque ita ut per cognitionem sensitivam cognitio intellectiva adjuvetur; quare naturaliter unitur corpori, parsque existit naturae compositae, ut vitam sensitivam vivere possit. Vis proinde cognoscitiva animae humanae divisa est veluti in partes, ejusque intelligentia indiget adminiculo sensationis. At e contrario in angelo vis cognoscitiva ad unitatem reducitur, neque est opus sensatione pro intelligentia rerum, atque est angelus totus mens a quavis corporis naturali societate secretus. Jam vero vis unita est praestantior, et vis adminiculo alterius non egens est potentior. Ergo angelus qui est ex toto mens, qui sensatione non eget, quemadmodum propinquior est intellectui divino, ita est nostro excellentior" (op. cit. p. 189).

II. Angeli naturaliter cognoscere non possunt secreta cordis.

361. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Juxta Sacram Scripturam *certa secretorum cordis cognitio Dei propria est:* **Atqui** cognitionem Dei propriam angeli naturaliter attingere nequeunt: **Ergo.**

Minor est evidens.—*Major* hisce textibus probatur: "Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum" (III Reg. 8, 39). "Pravum est cor omnium et inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes" (Jer. 17, 9, 10). "Omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit" (I Par. 28, 9; cf. Sap. 1, 6; Act. 1, 24). Unde Deus simpliciter dicitur "scrutator cordium" (Ps. 7, 10), "discretor cogitationum et intentionum cordis" (Hebr. 4, 12). Quare etiam cardiognosia, seu scrutatio cordium, in Evangeliis repetita vice affertur ut argumentum divinitatis Christi (cf. Mt. 9, 4; Jo. 1, 47-50; 2, 24).

362. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex dictis SS. Patrum.**—Unanimis SS. Patrum consensus hac in re satis notus est, et ideo paucos dumtaxat allegasse sufficiat. Itaque, a) *S. Athanasius:* "Solus Deus

res praescit, et cordium cognitor est. Neque enim ipsi angeli norunt ea quae sunt in corde, nec quae futura sunt'' (Ad Antioch. q. 100; MG. 28, 660). b) *S. Hieronymus:* ''Quia diabolus in anima intrinsecus nescit quid cogitet homo, nisi per exterius motum intelligat'' (In Ps. 16, 20; ML. 26, 860). c) *Cassianus:* ''Nulli dubium est quod possunt spiritus immundi cogitationum nostrarum attingere qualitates, sed indiciis eas sensibilibus forinsecus colligentes, id est aut ex nostris dispositionibus aut ex verbis et studiis in quae propensius nos perspexerint inclinari. Ceterum illas quae necdum de internis animae prodierunt, adire omnino non possunt'' (Coll. 7, c. 15; ML. 49, 687). Quare SS. Patres, contra Arianos disputantes, probant divinitatem Christi ex eo quod secreta cordis perspecta habuit. Ita, v. g. *S. Hilarius* (In Ps. 139, n. 3; ML. 9, 817), *S. Fulgentius* (Ad Trasim. l. 2, c. 16; ML. 65, 263), *S. Cyrillus Alexandrinus* (In Joan. 1, 49, l. 2, c. 1; MG. 73, 224).

363. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex consensu theologorum.— Quoad factum omnes theologi conveniunt, licet quoad rationem facti in diversas sententias abeant. Ita *Scotistae* communiter assignant *providentiam Dei,* qui, ut secreta cordis serventur, denegat angelis hac in re suum concursum (cf. Mastrius, In II, d. 2, q. 8, a. 1). *S. Thomas* ait: ''Solus Deus cogitationes cordium et affectiones voluntatum cognoscere potest. Cujus ratio est, quia voluntas rationalis creaturae soli Deo subjacet, et ipse solus in eam operari potest qui est principale ejus objectum, ut ultimus finis. . . . Et ideo ea quae in voluntate sunt, vel quae ex voluntate sola dependent, soli Deo sunt nota. Manifestum est autem quod ex sola voluntate dependet quod aliquis actu aliqua consideret, quia cum aliquis habet habitum scientiae vel species intelligibiles in eo existentes, utitur eis cum vult. Et ideo dicit Apostolus I Cor. 2, quod quae sunt hominis, nemo novit nisi spiritus hominis qui in ipso est'' (Sum. Theol. I, q. 57, a. 4).

Alii ex *ipsa horum actuum natura* rationem petunt: ''Nam cognitio est quidem expressio objecti cogniti, sed expressio vitalis. Expressio autem vitalis non est talis nisi pro principio intrinseco a quo procedit. Ergo cognitio non exprimit objectum nisi pro illo intellectu cujus est cognitio. Pari ratione actus volitionis non est formaliter volitio alicujus objecti determinati nisi pro illa voluntate a qua elicitur. Solus igitur Deus, cujus est cognoscere omne quod verum est esse, et a quo omnis spiritus omnesque ejus actus essentialiter et totaliter dependent, novit quod cogitat et vult spiritus creatus'' (*Beraza,* op. cit. n. 517).

III. Angeli naturaliter cognoscere non possunt libera futura.

364. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scripturam *praescientia et praedictio hujusmodi futurorum est*

certum divinitatis argumentum: **Atqui** hoc dato, futura libera ab angelis naturaliter cognosci non possunt: **Ergo.**

Minor est evidens.—*Major* probatur ex textibus omnino claris. Ita *Is. 41, 23:* "Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos." *Ibid. 46, 9, 10:* "Recordamini prioris saeculi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei. Annuntians ab exordio novissimum, et ab initio quae necdum facta sunt." Similiter Christus ex praedictione futurorum suam divinam missionem probavit, dicens: "Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis" (Jo. 14, 29). Item: "Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli quia hoc dicebat, et crediderunt Scripturae, et sermoni quem dixit Jesus" (Ibid. 2, 22).

365. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex dictis SS. Patrum.**—SS. Patres unanimiter docent *certam futurorum cognitionem esse Dei propriam.* Ita v. g. *S. Hilarius,* qui ait: "Proprium autem Deo quid aliud quam cognitio futurorum est"? (De Trin. c. 9, n. 61; ML. 10, 330). Item *S. Joannes Chrysostomus:* "Certa praedictio futurorum immortalis dumtaxat Dei opus est" (In Jo. hom. 19, n. 2; MG. 59, 122). Item *S. Cyrillus Alexandrinus:* "Nulli alii quam uni ac soli naturali Deo futura nosse convenit" (In Jo. 6, 71, l. 4, c. 4; MG. 73, 631). Simili quoque ratione *Concilium Vaticanum,* de miraculis et vaticiniis loquens, ait: "Quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima" (De Fide, c. 3; DB. 1790).

366. *Confirmatur* haec pars theseos ex ratione: "Nam, si angeli secreta cordium praesentia non cognoscunt, a fortiori futura non cognoscunt. Praeterea libera futura alia ratione naturaliter sciri nequeunt, nisi quia intellectus est in perfecta actualitate relate ad omne verum; nam id, quod futurum est, plus conferre nequit ad sui cognitionem nisi objectivam terminationem veritatis suae. Atqui solus intellectus infinitus est in actu perfecto ad cognoscendum omne verum. Praeterea nihil futurum est nisi dependenter a voluntate Dei; atqui quid Deus decreverit de futuro, angelus non naturaliter scit; ergo libera futura sunt ei naturaliter abscondita" (*Pesch,* op. cit. n. 378).

IV. Angeli naturaliter cognoscere non possunt mysteria.

367. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex ipsa rei natura.**—Mysteria aut sunt *intrinseca Deo,* ut trinitas personarum in unitate naturae, aut *extra Deum in ordine gratiae continentur:* **Atqui** neutra mysteria angeli naturaliter cognoscere possunt: **Ergo.**

Major satis liquet; nam agimus in thesi de mysteriis proprie dictis.—*Minoris prima pars* ex eo constare videtur, quod naturalis angelo-

rum cognitio est mere analoga, ex se solis rebus creatis proportionata; et ideo licet angeli, sicut etiam homines, naturaliter Deum cognoscant, ipsius tamen essentiam exploratam non habent. Quapropter quae in Deo ad modum mysterii existunt, eos necessario latent.

Minoris altera pars ex eo constat, quod ordo gratiae ex libera Dei voluntate pendet; "si enim unus angelus non potest cognoscere cogitationes alterius ex voluntate ejus dependentes, multo minus potest cognoscere ea quae ex sola Dei voluntate dependent; et sic argumentatur Apostolus I Cor. 2, 11: 'Quae sunt hominis, nemo novit nisi spiritus hominis, qui in ipso est; ita et quae sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei'" (S. Thomas, I, q. 57, a. 5). Haec utique solam existentiam mysteriorum gratiae spectant; ad eorum vero quidditatem quod attinet, haec altera pars minoris ex eo sequitur, quod mysteria proprie dicta sunt intrinsece supernaturalia, quatenus intrinsece participant gradum quasi specificum naturae divinae, et ideo habent cognoscibilitatem improportionatam cuicumque potentiae cognoscitivae creatae sibi relictae (cf. *Suarez,* op. cit. l. 2, c. 29).

368. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex consensu theologorum.**— Theologi communiter docent angelos non posse naturaliter cognoscere *quidditatem qualitatum* vel *actuum in sua substantia supernaturalium,* cujus generis sunt mysteria gratiae, de quibus agitur in hac thesi; et similiter etiam docent mysteria Deo intrinseca angelos omnino latere (cf. *Suarez,* loc. cit. nn. 4 sqq).

369. **Scholion I: Quomodo angeli cognoscant.**

Imprimis cum angeli sint entia creata, eorum *intelligere non est eorum esse,* quippe quod non verificatur nisi in ente infinito. Neque admitti potest in angelis *potentiam intellectivam cum eorum essentia identificari,* quod ex eo sequitur quod in angelis intelligere et esse non sint unum idemque (cf. *S. Thomas,* I, q. 54, aa. 2, 3). Cognoscunt igitur angeli ope potentiae, quae ab eorum essentia promanat. Juxta *S. Thomam* (Ibid. a. 4) in illa potentia non distinguitur intellectus agens et possibilis, sicut in potentia intellectiva humana; "quia neque sunt (angeli) quandoque intelligentes in potentia tantum respectu eorum quae naturaliter intelligunt; neque intelligibilia eorum sunt intelligibilia in potentia, sed in actu." *Scotus* vero (In II Sent. d. 3, q. 11) et alii pauci contrarium docent.

Ad *se ipsos* cognoscendos angeli non indigent *speciebus;* suam enim essentiam et omnia quae ei insunt immediate per *propriam substantiam* cognoscunt. Ita fert communis theologorum sententia, contra *Alexandrum Halensem* aliosque perpaucos (cf. *S. Thomas,* I, q. 56, a. 1; *Suarez,* op. cit. l. 2, c. 4). Sed ad cognoscenda directe objecta sibi subjective extrinseca eis opus est speciebus impressis, quae ista objecta

virtualiter repraesentant. Ita *S. Thomas* (Ibid. q. 55, a. 1), quem theologi hac in re satis communiter sequuntur. Quidam tamen negant, juxta quos scilicet "in ipsa creatione movit Deus efficacia sua intellectum angeli ad apprehensionem intuitivam tum substantiae ipsius angeli tum ceterarum rerum existentium sive corporalium sive spiritualium. Haec ab initio existens determinatio satis fuit ad informandam eam cognitionem angeli quae est ei naturalis. Nam his objectis praesentibus positis, vidit intellectus angelicus vi suae energiae essentias et proprietates rerum; et cum ea intuitio semper perseveret, videt successiva phaenomena quae in objectis materialibus contingunt, inter quae phaenomena sunt etiam novae substantiae quae ex materia praeexistente fiunt" (*Palmieri,* op. cit. thes. 20, p. 189).

Inter eos qui in angelis species impressas postulant, habetur satis magna dissensio quoad earum originem. Juxta *S. Thomam* (I. q. 55, a. 2) hujusmodi species sunt angelis connaturales eisque ipsa creatione a Deo infusae; scilicet angeli "suam perfectionem intelligibilem consequuntur per intelligibilem effluxum, quo a Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura." Et haec sententia a multis tenetur. *Scotus* tamen (In II Sent. d. 3, q. 11) ejusque discipuli fere omnes docent angelos haurire species impressas ab objectis, mediante intellectu agente, quem illi in angelis supponunt. *S. Thomas* (Ibid. q. 55, a. 3) cum aliis multis ponit illas species esse universales, eo videlicet sensu quod multa simul objecta repraesentant; et ideo quo universaliores sunt, eo quoque plura objecta repraesentare valent. *Scotus* e contrario (In II Sent. d. 3, q. 10) cum suis discipulis negat angelos habere, vel etiam habere posse, species universales impressas; et tenet eos cognoscere res per species intelligibiles particulares, ab ipsis objectis desumptas.

Disputatur etiam inter theologos num cognitio angelorum possit esse discursiva. *S. Thomas* (I. q. 58, a. 3) negative respondet; "quia (angeli) statim in illis quae primo naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia quaecumque in eis cognosci possunt." Hanc sententiam *Thomistae* communiter tuentur. *Scotus* autem (In II Sent. q. 5) et *Scotistae* communiter docent angelorum cognitionem posse esse discursivam, etiam quatenus versatur circa ea quae ex primis principiis per se notis evidenter ducuntur. Denique *Suarez* (op. cit. l. 2, c. 33) et multi alii mediam quodammodo viam ingrediuntur, docendo angelos non habere cognitionem discursivam circa objecta naturalia quae intuitive vident, sed solum circa objecta supernaturalia et illa naturalia quae non assequuntur nisi conjecturaliter. Eodem ferme modo auctores inter se differunt quoad cognatam quaestionem, num scilicet angeli intelligant componendo et dividendo (cf. *S. Thomas,* I, q. 58, a. 4). Necnon quoad hanc aliam, num in intellectu angeli possit esse falsitas (cf. ibid. a. 5).

370. Scholion II: De locutione et illuminatione angelorum.

Angeli ad invicem loqui dicuntur, quatenus conceptus mentis inter se manifestant. Factum locutionis angelicae certum est, tum ex Sacra Scriptura (cf. Is. 6, 3; Jud. 9; I Cor. 13, 1) tum ex dictis SS. Patrum (cf. *S. Chrysost.* In I Cor. 13, 1, hom. 32, n. 3; MG. 61, 268; *S. Joannes Damasc.* De Fide, l. 2, c. 3; MG. 94, 867); modus autem valde obscurus et incertus est. Illam manifestationem mentis fieri absque signis sensibilibus per se patet, cum angeli sint puri spiritus; immo praeter actum voluntatis, quo unus angelus alteri conceptum mentis manifestari vult, nihil aliud intervenire videtur (cf. *S. Thomas,* I. q. 107, a. 1). Unde *S. Joannes Damascenus,* loco citato, ait: "Angelis nec lingua opus est nec auribus, sed sine ulla prolati sermonis ope mutuo sibi sensa sua communicant et consilia." Quaenam autem sit ultima ratio propter quam angelus conceptum suae mentis ad alteri manifestandum efficaciter ordinare possit, solus Deus novit. Vide sis tamen hac de re *Suarezium* (De Angelis, l. 2, c. 28, n. 57).

Cum locutione angelorum intime connectitur, eamque supponit atque includit, angelorum *illuminatio;* haec enim definiri solet "manifestatio veritatis ignotae, quam angelus superior inferiori tradit, per modum cujusdam magisterii, et in ordine ad Deum" (*Beraza,* op. cit. n. 538). Omnis igitur illuminatio est locutio; non autem e converso omnis etiam locutio illuminatio est, cum non omnis locutio sit de veritate ignota, nec per modum magisterii habita, nec in ordine ad Deum proposita (cf. *S. Thomas,* I, q. 107, a. 2). Haec illuminatio insuper supponit alios angelos esse aliis superiores, ita ut quasdam veritates exploratas habeant quae alios latent. Tota haec res valde incerta est neque quoad ipsum factum sive in Sacris Litteris sive in dictis SS. Patrum solidum fundamentum habet. Scholastici tamen omnes hanc doctrinam proponunt, duce *Pseudo-Dionysio,* qui passim de angelorum illuminatione, quam etiam purgationem et perfectionem vocat, loquitur (De Caelest. Hierarch. cc. 4, 7 sqq; MG. 3, 180, 219 sqq).

371. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Praestantia angelorum, de qua in Sacris Litteris et in scriptis SS. Patrum sermo est, tota quanta ex eorum spiritualitate repeti potest: *Ergo* non exinde probatur eos cognitione praestare.

Resp. Nego antecedens. Nam in nostro argumento (nn. 358, 359) allegavimus textus, qui directe de praestantiore angelorum cognitione procedunt. Insuper, etiam dato non concesso antecedente, consequens stare nequit; quia ubi substantia spiritualis seu intellectualis superior est, ibi etiam superior cognitio concedi debet. Nam in omni ente ipsa substantia, potentiae et actus sibi invicem proportionata sint oportet. Si igitur angeli substantia intellectuali praestantiores sunt hominibus, simul etiam intellectu et cognitione praestant.

2° Angeli ipsam substantiam angelicam, necnon humanam animam, intuitive cognoscunt: *Ergo* etiam actus ibi existentes, seu secreta cordis cognoscunt.

Resp. Concedo antecedens, et nego consequens. Nam isti actus vitales sunt, et qua vitales non existunt nisi pro eos habente, quamdiu scilicet nullo modo exterius manifestantur. Praeterea, etsi haec ratio forte non omnibus sufficiens videatur, ipsum factum nihilominus admittendum est; quia omne ens rationale in suos actus morales dominium habere debet, quod postulat ut secreta cordis nonnisi soli Deo innotescant (cf. *S. Thomas,* I, q. 57, a. 4).

3° Juxta Sacram Scripturam (Jo. 13, 2; Act. 5, 3) diabolus in cor hominis peccatoris intrare solet: *Ergo* quae ibi aguntur cognoscit.

Resp. Diabolus in cor hominis peccatoris intrare solet suggestione, *C.* Etiam naturali hominis cogitationum perceptione, *subd.* Quatenus istae cogitationes forte aliquo signo manifestentur, *C.* Citra hujusmodi manifestationem, *N.*

4° Daemones in energumenis plerumque secretas aliorum cogitationes produnt: *Ergo* eas cognoscunt.

Resp. Concedo antecedens, et distinguo consequens: Eas cognoscunt conjecturaliter, *C.* Certo, *subd.* Videndo eas in effectibus earum externis, vel aliquando etiam in se ipsis propter permissionem divinam, *Tr.* Videndo eas in se ipsis naturaliter, *N.* Factum in objectione allegatum sat certum videtur, sed ejus explicatio ex principiis in hac thesi stabilitis petenda est.

5° Daemones saepe futura contingentia praenuntiarunt, ut patet ex gentilium oraculis: *Ergo* ea cognoscebant.

Resp. Transmitto antecedens, et distinguo consequens: Ea cognoscebant conjecturaliter, *C.* Certo, *subd.* Per divinam revelationem hominibus factam, *Tr.* Per naturales suas vires, iterum *subd.* Quatenus ista futura contingentia per ipsos forte daemones efficienda essent, vel in causis necessario agentibus jam continerentur, *C.* Citra hos casus, *N.* Transmissum est antecedens, quia historice de istis oraculis fere nihil certum habetur, nisi quod fuerint deceptionibus plena; si tamen aliquando aliquod futurum liberum in eis praenuntiatum fuerit, id juxta distinctionem datam explicandum est. Poterant quidem daemones ex prophetarum vaticiniis aliqua futura libera praecognoscere eaque praenuntiare; sed num hoc vere factum fuerit, historice non constat.

ARTICULUS V

De Numero et Ordine Angelorum

ASSERTUM.—Magna est angelorum multitudo, in qua angeli determinato aliquo ordine inter se disponuntur.

372. Multitudinem angelorum esse satis magnam omnino certum est; id enim tum ex Sacris Litteris tum ex dictis SS. Patrum clare constat. Ita de bonis angelis Deo inservientibus dicitur: "Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei" (Dan 7, 10). Alibi "millia millium" (Apoc. 5, 11) et "multorum millium angelorum frequentia" (Hebr. 12, 22) legitur. Item Dominus noster Petro dixit: "An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum?" (Mt. 26, 53). Quae dicta satis ostendunt multitudinem angelorum esse quidem magnam, quin tamen de *absoluto* eorum numero aliquid ullo modo determinatum innuant. Neque *comparative ad homines* ille numerus determinari potest, licet plures Patres parabolam de ove perdita (Lc. 15, 4 sqq) ita exponant, ut per nonaginta novem oves intelligant angelos et per unam perditam genus humanum quod perierat. Ita v. g. *S. Cyrillus Hierosolymitanus,* qui ait: "Considera eos (homines) qui fuerunt ab Adam usque ad hodiernum diem. Magna quidem haec multitudo, sed haec tamen parva est, plus enim sunt angeli. Nonaginta novem oves sunt illae, tu vero centesima, quoniam unum est tantum genus humanum" (Catech. 15, n. 24; MG. 33, 904).

373. In hac autem immensa angelorum multitudine aliquem *determinatum ordinem* esse admittendum seu angelos esse in diversos ordines distinctos, Sacra Scriptura innuit et SS. Patres communiter docent. In Sacra enim Scriptura angeli diversis nominibus ab invicem distinguuntur, quibus diversae quodammodo angelorum classes designari videntur. Haec autem nomina diversis in locis occurrunt: *Cherubim* (Gen. 3, 24; Exod. 25, 18; Ps. 17, 11; Ez. 10, 3) *Seraphim* (Is. 6, 2), *Archangeli* (I Thess. 4, 15; Jud. 9), *Angeli, Potestates, Virtutes* (I Petr. 3, 22), *Principatus, Dominationes* (Ephes. 1, 20, 21), *Throni* (Col. 1, 16). Hisce nominibus designari illas rationales substantias quas angelos vocamus, in fere omni casu ex ipso contextu plane constat. Insuper huic nominum varietati aliquam *objectivam rationem* subesse, satis manifestum est; ne enim nomina quidem sine ratione multiplicanda sunt. In quanam vero re ista objectiva ratio consistat, sive in perfectionibus diversorum angelorum propriis sive in muneribus eis assignatis, ex Sacris Litteris nullatenus apparet.

374. Novem sunt igitur nomina, quibus aliqua ratione novem angelorum *classes* seu *ordines* respondere videntur; et haec istorum nominum interpretatio paulatim inter Patres et theologos recepta est. Ad sextum tamen usque saeculum diversi auctores hac de re satis dubie loquebantur. Ita v. g. *S. Augustinus,* qui ait: "Certe ait Apostolus: Sive sedes, sive dominationes, principatus, potestates (Col. 1, 16). Et esse itaque sedes, dominationes, principatus, potestates in caelestibus apparatibus, firmissime credo et differre inter se aliquid indubitata fide teneo. Sed, quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quaenam ista sint et quid inter se differant nescio" (Ad Orosium, c. 11, n. 14). Iterum: "Quomodo se habeat beatissima illa et superna societas, quae ibi sint differentiae praepositurarum, ut, cum omnes tamquam generali nomine angeli nuncupentur, . . . sint tamen archangeli; et utrum iidem archangeli appellentur virtutes, . . . et quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus universam ipsam caelestem societatem videtur Apostolus esse complexus (Col. 1, 16), . . . dicant qui possunt; ego me ista ignorare confiteor" (Enchir. c. 58; ML. 40, 259).

375. Simili modo etiam loquuntur Orientales. Ita *S. Joannes Chrysostomus* edicit: "Sunt angeli et archangeli et throni et dominationes et principatus et potestates. Sed non solum isti sunt coetus in caelis, verum infinitae gentes et nationes ineffabiles, quas nulla potest explicare oratio" (Hom. 4 de Incomprehens. n. 2; MG. 48, 729). Immo etsi nonnulli aliquando novem ordines ponunt, numquam tamen eidem numero atque eidem enumerationis dispositioni insistunt. Ita v. g. *S. Cyrillus Hierosolymitanus* uno loco (Catech. 23, n. 6; MG. 33, 1114) enumerat "angelos, archangelos, virtutes, dominationes, principatus, potestates, thronos, cherubim, seraphim"; alio vero loco (Catech. 16, n. 23; MG. 33, 950) habet "angelos, archangelos, spiritus, virtutes, principatus, potestates, thronos, dominationes." Unde Petavius bene notat: "Neque tamen veterum quisquam, qui nondum cognitis Dionysii libris exstiterunt, ita ordinum istorum nomina posuit, uti certo eos numero complexus sit, aut ut novem, quomodo ille, constituerit, sed tam illud in incerto reliquerunt quam singulorum proprietates ac discrimina" (De Angelis, l. 2, c. 1, n. 8). Et paulo infra: "Primus Dionysius novem angelorum ordines et gradus distincte ac definite posuit, idque se a magistro suo et initiatore didicisse confirmat" (Ibid. n. 12).

376. Attamen ipse *Dionysius,* vel potius *Pseudo-Dionysius,* innuit se de iis tantum ordinibus loqui qui nobis sunt manifesti; num vero et alii sint, ipse fatetur soli Deo angelisque esse notum (De Caelest. Hierarch. c. 6; MG. 3, 200). Inter Latinos novem angelorum ordines

tandem stabilisse videtur *S. Gregorius Magnus,* qui ait: "Novem vero angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim atque seraphim. Esse namque angelos et archangelos paene omnes sacri eloquii paginae testantur. Cherubim vero atque seraphim saepe, ut notum est, libri prophetarum loquuntur. . . . Dum ergo illis quatuor quae ad Ephesios dixit (Paulus, cf. Eph. 1, 21), id est principatibus, potestatibus, virtutibus atque dominationibus, conjunguntur throni (cf. Col. 1, 16), quinque sunt ordines qui specialiter exprimuntur. Quibus dum angeli et archangeli, cherubim atque seraphim adjuncta sunt, procul dubio novem esse angelorum ordines inveniuntur" (In Evang. l. 2, hom. 34, n. 7; ML. 76, 1249). Deinceps novem esse angelorum ordines vel choros universaliter inter theologos receptum est. Ordo tamen enumerationis non omnino idem apud omnes invenitur.

377. Illos novem ordines idem *Pseudo-Dionysius* (De Caelest. Hierarch. c. 6; MG. 3, 200) in tres *hierarchias* divisit, quarum quaelibet tres ordines complectitur; hanc deinceps divisionem posteriores Patres et theologi acceperunt eamque etiamnum tuentur. Est autem hierarchia *sacrorum principatus,* cujus finis est promotio creaturae rationalis in Deum. *Suprema* hierarchia satis communiter dicitur complecti *Cherubim, Seraphim* et *Thronos,* quibus potissimum convenit Deo adstare, et qui a solo Deo immediate illuminantur atque mittuntur; *intermedia* vero, *Dominationes, Potestates* et *Virtutes,* qui a superioribus angelis illuminantur ac mittuntur, et qui pro sua etiam parte sibi inferiores illuminant atque mittunt; *infima* demum, *Principatus, Archangelos* et *Angelos,* qui, sive a Deo sive a superioribus angelis missi, praecipue circa ministerium hominum occupantur (cf. *S. Thomas,* I, q. 108, aa. 1, 2, 6).

378. Ad ultimam distinctionis rationem quod attinet, sive ordines spectantur sive hierarchiae, nihil certum habetur; attamen *S. Thomas* eam ita exponit: "Ordo gubernationis, qui est ordo multitudinis sub principatu existentis, attenditur per respectum ad finem. Finis autem angelorum potest accipi dupliciter. Uno modo secundum facultatem suae naturae, ut scilicet cognoscant et ament Deum naturali cognitione et amore; et secundum respectum ad hunc finem distinguuntur ordines angelorum secundum naturalia dona. Alio modo potest accipi finis angelicae multitudinis supra naturalem facultatem eorum, qui consistit in visione divinae essentiae, et in immobili fruitione bonitatis ipsius, ad quem finem pertingere non possunt nisi per gratiam; unde secundum respectum ad hunc finem ordines distinguuntur in angelis completive quidem secundum dona gratuita, dispositive autem secundum dona

naturalia; quia angelis data sunt dona gratuita secundum capacitatem naturalium, quod non est in hominibus'' (I, q. 108, a. 4). Totam hanc de ordinibus et hierarchiis quaestionem fuse disputatam invenies apud *Suarezium* (De Angelis, l. 1, c. 13), juxta quem de fide est in angelis generatim esse ordinem inferiorum et superiorum secundum varios dignitatis gradus (Ibid. n. 2).

379. Denique cum quaestione modo exposita ista alia quodammodo connectitur, quae circa *specificam angelorum distinctionem* versatur. Qua de re tres sunt sententiae, et reapse plures haud possibiles esse videntur. Prima est *S. Thomae* (I, q. 50, a. 4; De Spir. Creat. a. 8) et *Thomistarum,* juxta quos tot sunt angelorum species quot sunt individui angeli, ita ut in una eademque specie unus dumtaxat angelus existat. Altera est *Toleti* (In I, q. 50, a. 4) aliorumque plurium, qui docent omnes angelos esse ejusdem specici eodem modo quo omnes homines. Tertia est *S. Bonaventurae* (In II Sent. d. 3, p. 1, a. 2, q. 1), *Suarezii* (De Angelis, l. 1, c. 14, nn. 3, 13; c. 15, n. 15), aliorum, qui ponunt esse plures angelorum species et plura individua in singulis speciebus, vel etiam angelos ejusdem ordinis ab angelis aliorum ordinum specie differre. Ratio primae sententiae ex eo petitur, quod juxta ejus fautores principium individuationis sit *materia signata;* cum autem angelus materiam non habeat, utique in eadem specie plura individua esse nequeunt, et ideo tot esse debent angelorum species quot sunt individui angeli. Hanc rationem omnes alii negant, ideoque nihil obstat quominus plures angelorum species admittant.

ARTICULUS VI

De Elevatione et Peccato Angelorum

THESIS XXIX.—Deus angelos ad ordinem supernaturalem evexit, et multi quidem in gratia perseverantes aeternam beatitudinem adepti sunt, alii vero multi peccato commisso in aeternam damnationem ruerunt.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, qq. 62-64; *Cont. Gent.* l. 3, cc. 107 sqq.; *Quodl.* 9, q. 4, a. 3; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 4, a. 1, qq. 1, 2; d. 5, aa. 1-3; d. 6, aa. 1, 2; Scotus, *In II Sent.* d. 4, q. unica; d. 5, q. 1; Suarez, *De Angelis,* l. 5, cc. 3, 4, 7 sqq.; l. 6, cc. 1-8; l. 7, c. 2 sqq.; l. 8, cc. 1 sqq.; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 580 sqq.; nn. 615 sqq.; nn. 681 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 389 sqq.; nn. 394 sqq.; Muncunill, *De Deo Creante,* nn. 372 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 58-60; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 419 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 435 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 121 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 3, s. 2, a. 1.

380. **STATUS QUAESTIONIS.**—Cum angeli sint substantiae rationales, necessario sequitur eos esse libera voluntate praeditos, vi cujus inter bonum et malum eligere nati sint. Ex propria natura Dei servi erant, ad infinitam ejus bonitatem manifestandam atque glorificandam conditi; poterant tamen ex gratuita Dei liberalitate ad statum filiationis divinae elevari, sicut ad eumdem statum elevatum est genus humanum. Hac autem elevatione supposita, ultimus eorum finis eo ipso erat Dei glorificatio in caelis, per visionem scilicet beatificam, quae eis non modo ut hereditas verum etiam ut praemium daretur. Cum autem liberi essent, poterant hanc beatitudinem aut in gratia perseverando consequi aut peccatum committendo amittere, prout utrumque etiam in nobis hominibus fieri potest. Haec igitur diversa puncta in praesenti thesi investiganda sunt.

381. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Per terminum "angelos" hic intelligimus *omnes omnino angelos* qui a Deo creati fuere, sive boni nunc sint sive mali. Sicut igitur totum genus humanum ad ordinem supernaturalem a Deo evectum fuit, ita quoque universa angelorum cohors; cum hoc tamen discrimine, quod genus humanum actu supernaturaliter elevatum fuit in *protoparente,* angeli vero similem elevationem sortiti sunt in *singulorum naturis.* Non enim inter eos existebat caput aliquod physicum, e quo reliqui ortum ducerent; sed singuli immediate a Deo creati sunt, eorumque sors aeterna propriae voluntati Dei gratia adjutae commissa est.

b) Quid in subjecta materia nomine *ordinis supernaturalis* significetur, jam superius (nn. 176 sqq) satis explicatum est, ubi quaestio erat de supernaturali hominis elevatione. In summa igitur, juxta explicationem ibi datam, ordo supernaturalis *ratione finis et mediorum eam entis rationalis ordinationem ad Deum importat, ad quam nullum ens creatum sibi relictum aut exigentiam habet aut capacitatem.* Totum ergo naturalem ordinem excedit, et eatenus divinus dici potest. Elevatio ad hunc ordinem in concreto efficitur per infusionem gratiae sanctificantis, cujus effectus formalis in ordine ad Deum est filiatio adoptiva, secum ferens titulum ad beatam ipsius Dei fruitionem in caelo. Una cum gratia sanctificante, eique connaturaliter adnexae, simul etiam infunduntur virtutes et dona Spiritus Sancti, necnon confertur titulus ad ea gratiae actualis auxilia, quae ad ipsam aeternae beatitudinis assecutionem requiruntur. Itaque hac elevatione non essentialiter mutatur natura creata, sed nobilitatur; divinae scilicet facta consors naturae.

c) Quonam *instanti temporis* angeli gratiam sanctificantem acceperint, utrum in ipso instanti creationis an paulo post, in thesi non ex professo declaramus; tenemus tamen illud prius esse multo probabilius, sicut jam superius (n. 194) de elevatione hominis dictum est.

Eaedem enim rationes ob quas potior theologorum pars tenet homines fuisse in ipsa creatione gratia sanctificante ornatos, aequo censu pro angelis valent. Quare etiam *S. Augustinus*, de bona voluntate seu de supernaturali caritate angelorum loquens ait: "Istam quis fecerat nisi ille, qui eos in bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit, simul in iis condens naturam et largiens gratiam? Unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore, numquam sanctos angelos fuisse credendum est" (De Civ. Dei, l. 12, c. 9, n. 2; ML. 41, 357). Quapropter hoc punctum relate ad angelos denuo disputare haud vacat.

d) Dicitur in altera parte theseos *multos angelos aeternam beatitudinem adeptos esse*, de quo inciso *tria* notanda sunt. *Primum* quidem, terminum "multi" sumi *indefinite*, ita ut de numero horum angelorum comparato ad numerum lapsorum nihil edicatur. Quot enim angeli fideles permanserint, et quot in peccatum lapsi sint, nos prorsus latet; nisi utique hoc indefinito sensu, quod ex utraque parte sint multi. Nonnulli quidem ex verbis S. Joannis (Apoc. 12, 4), "et cauda ejus (draconis) trahebat tertiam partem stellarum caeli, et misit eas in terram," opinati sunt tertiam fere partem angelorum in aeternam damnationem ruisse; at ista opinio omnino arbitraria videtur, cum "stellae caeli" in textu allegato non angelos sed homines significent.

e) *Alterum* vero notandum est, angelos fuisse creatos in *via*, ita ut bene agendo aeternam beatitudinem *merere* debuerint. Potuisset quidem Deus angelos in supernaturali beatitudine creare, sicut eos creavit in beatitudine naturali; de facto tamen creavit eos in statu viae, ut non modo ex *hereditate* verum etiam ex *merito* illam beatitudinem haberent. Itaque per aliquod tempus suae fidelitatis probationem subierunt, et denique aeternam beatitudinem adepti sunt, quia eam utpote suae fidelitati "debitam mercedem recipere meruerunt" (*S. August.* De Corr. et Grat. c. 11, n. 32).

f) *Tertium* denique notandum est, angelorum probationem fuisse *brevissimae* durationis. Hac in re theologi satis communiter docent angelos in primo instanti existentiae suae caelestem gloriam meruisse, ita ut creati sint non modo cum gratia sanctificante, sicut superius (n. 194) de homine jam dictum est, verum etiam cum actibus supernaturalibus, quibus Deum cognoscerent et agnoscerent finem suum supernaturalem. Primam gratiam utique mereri non poterant, sed in ipsa gratuita ejus collatione expediti erant ad primum gradum gloriae caelestis merendum (cf. Suarez, op. cit. l. 5, cc. 7 sqq). Hoc supposito, *tria instantia* distingui solent, in quibus tota angelorum probatio peracta est. In *primo* instanti voluntarie constituti sunt viatores ad beatitudinem; in *secundo* instanti subierunt probationem ad assequendum finem ultimum, et mox electionem fecerunt eamque

finalem; in *tertio* instanti acceperunt aeternam suae electionis retributionem. Haec instantia non erant temporis, cum angeli non vivant in tempore sicut homines, sed potius morulae quaedam in subjectiva angelorum dispositione ab invicem distinctae. Quoad angelos sanctos *Suarezius* rem ita ponit: "Prima (morula) fuit creationis et sanctificationis cum dispositione ad illam et consequenter cum merito de condigno gloriae; secunda fuit perseverantiae in gratia cum merito de condigno gratiae et gloriae; tertia receptionis gloriae" (Ibid. l. 6, c. 3, n. 5). Simili modo, mutatis mutandis, haec res etiam concipi potest quoad angelos malos (cf. *Pesch,* n. 395).

g) Per *vitam aeternam,* quam multi angeli adepti sunt, intelligimus visionem beatificam, quam tamen non hic sed infra in tractatu de Novissimis exponemus. In praesenti thesi de solo facto agimus; et idem valet quoad aeternam damnationem, in quam peccando ruerunt angeli mali. Factum damnationis hic stabilimus; naturam poenarum in isto alio tractatu aperiemus. Ratio est, quia aeterna beatitudo et damnatio angelorum atque hominum essentialiter eaedem sunt.

h) Multi autem angeli damnati sunt, quia multi peccaverunt. Usque ad illam *secundam morulam,* de qua supra dictum est, omnes angeli in eadem conditione erant; per gratiam nempe sanctificantem ad Deum conversi, et jam parati ad suae fidelitatis probationem subeundam. In illa vero morula vel in illo instanti, dum angeli boni priorem suam conversionem ad Deum confirmabant statimque gratiam finalis perseverantiae accipiebant, angeli mali sese a Deo averterunt et sic in *grave peccatum lapsi sunt.* Hic iterum ipsum *factum peccati* statuimus, quin specificam ejus naturam explicare conemur. Multa quidem de hoc peccato inter theologos disputari solent, sed ea claritatis causa infra ad scholion remittenda censemus. Peccato autem commisso, angelorum damnatio mox secuta est; utrum absque an cum praevia poenitentiae possibilitate, theologi non conveniunt. Quae hac in re teneri possint, infra dicemus.

382. **ADVERSARII.**—Primam partem theseos, quatenus affirmat omnes angelos ad supernaturalem finem destinatos fuisse, nemo negat; quatenus vero insuper statuit omnes angelos, etiam malos, actu recepisse gratiam sanctificantem, ei olim adversabantur nonnulli theologi, inter quos etiam numeratur *S. Bonaventura* (In II Sent. d. 4, a. 1, q. 2). Illi enim opinati sunt Deum angelis primo obtulisse gratias actuales, quibus se ad recipiendam gratiam sanctificantem disponerent, malos vero angelos gratiae actuali resistendo peccasse, quo factum est ut gratiam sanctificantem nunquam receperint. Cf. *Vasquez,* In I Sum. disp. 227, c. 1, n. 2.

Alteram partem, quatenus statuit angelos bonos meruisse aeternam beatitudinem, impugnabant *Vives* (De Civ. Dei, l. 11, c. 9) et alii

quidam, qui ob male intellecta quaedam *S. Augustini* verba, dixerunt bonos angelos ab ipso suae creationis initio Deum intuitive vidisse, ita ut jam tunc supernaturalem beatitudinem et quidem consummatam haberent. Cf. *Suarez,* De Angelis, l. 5, c. 2. Plerique tamen eorum rem ita explicant, quod angeli in secundo creationis instanti simul quidem habuerint meritum, gratiam et gloriam, sed gratiam dependenter a merito simpliciter sumpto, et gloriam dependenter a merito dignificato per gratiam; quare meritum non tempore sed natura prius quam acceptionem gloriae esse dicunt. Cf. *Suarez,* op. cit. l. 6, c. 1; Vasquez, op. cit. disp. 229, c. 4.

Tertiam partem theseos omnes illi rejiciunt, qui existentiam malorum angelorum seu daemonum negant. Inter hos numerantur multi philosophi et critici moderni, qui, duce *Voltaire,* totam hanc de angelis malis doctrinam ex Orientalium fabulis derivatam esse dictitant. Quare etiam asserunt Christum daemonum existentiam minime docuisse, sed de iis hinc inde locutum esse, ut pervetustae vulgi persuasioni sese accommodaret. Antiquitus hanc partem etiam impugnabant quidam *Manichaei* et *Priscillianistae,* qui docuerunt Luciferum cum suis daemonibus injuste e caelo ejectum fuisse, eumque cum omnibus suis beatitudini fore aliquando restituendum. Hoc alterum etiam *Origenistae* tuebantur, quos nunc temporis quidam acatholici sequuntur.

383. **NOTA.**—Omnes angelos fuisse ad supernaturalem finem elevatos, est *de fide tenendum;* id enim ex beatitudine bonorum et damnatione malorum, prout utraque in Sacris Litteris exhibetur, evidenter constat. Omnes aliquando habuisse gratiam sanctificantem, est sententia *fere communis* et *certa.* Angelos malos non fuisse in supernaturali beatitudine creatos, *omnino certum* est et ab omnibus docetur; neque bonos angelos in supernaturali beatitudine creatos fuisse, est *fere communis* et *certa sententia.* Cf. *Suarez,* op. cit. l. 5, c. 2; *Toletus,* In I Sum. q. 62, a. 1.

In altera parte theseos quoad adeptionem beatitudinis distinguendum est inter *factum* et *modum.* Multos angelos aeternam beatitudinem adeptos esse, ideoque ipsum factum, est *de fide tenendum;* id enim ex Sacra Scriptura clare constat, ut ex mox dicendis apparebit. Eos hanc beatitudinem meruisse, est *certa* et *communis sententia;* et quidem non in termino sed in via, est sententia *fere communis* et *vix non certa.*

Tertia pars, tum quoad peccatum angelorum tum quoad eorum aeternam damnationem, est *de fide tenenda.* Imprimis enim utrumque clare in Sacris Litteris continetur (cf. II Petr. 2, 4; Mt. 25, 41); dein ad peccatum quod attinet, *Lateranense IV* declaravit: "Diabolus enim et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali" (DB. 428), et eos peccasse statuit.

384. *Notandum:* Ne probatio theseos in longum abeat, et quidem prorsus inutiliter, hasce tres partes probasse sufficiat: I. *Omnes angeli in via gratiam sanctificantem receperunt.* II. *Angeli boni aeternam beatitudinem meruerunt.* III. *Angeli mali graviter peccaverunt et aeternaliter damnati sunt.* Horum probationem sufficere satis liquet. Nam imprimis eo ipso quod omnes angeli gratiam sanctificantem acceperunt, per se patet eos fuisse ad supernaturalem ordinem elevatos, cum gratia sanctificans ex sua natura sit quasi concreta entis rationalis ordinatio ad finem ultimum supernaturalem. Deinde si angeli boni aeternam beatitudinem meruerunt, eam utique adepti sunt. Praeterea hoc alterum ex Sacris Litteris adeo clare constat, ut ulteriore probatione non indigeat; ibi enim boni angeli dicuntur adstare ante Dominum (Tob. 12, 15), assistere Deo (Dan. 7, 10), esse in conspectu throni (Apoc. 1, 4), esse in caelis (Mt. 12, 25), videre faciem Dei (Mt. 18, 10).

I. Omnes angeli in via gratiam sanctificantem receperunt.

385. ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scripturam *angeli boni receperunt gratiam sanctificantem:* **Ergo** etiam angeli mali: **Atqui** angeli mali non receperunt illam gratiam in termino sed in via: **Ergo** etiam angeli boni, et ideo omnes angeli in via receperunt gratiam sanctificantem.

Antecedens ex multiplici loco constat; vocantur enim angeli boni iis nominibus quae gratiam sanctificantem in eis supponunt, ut "sancti" (Tob. 10, 11; Mc. 8, 38; Lc. 9, 26), "filii Dei" (Job. 1, 6; 2, 1), "angeli lucis" (II Cor. 11, 14). Praeterea eos habuisse gratiam sanctificantem ex ipsa assecutione supernaturalis beatitudinis merito infertur, cum gratia sanctificans sit connaturalis dispositio ad intuitivam Dei visionem.

Consequens primum ex eo sequi videtur, quod omnes angeli sint ejusdem naturae et ideo merito assumitur eos fuisse eodem modo ad ultimum finem ordinatos; haec autem ordinatio in concreto habetur per gratiam sanctificantem, ut de angelis bonis jam dictum est. Unde in Sacra Scriptura diabolus dicitur non stetisse in veritate (Jo. 8, 44), quae veritas communiter de supernaturali rectitudine intelligitur; item dicuntur mali angeli non servasse principatum suum, sed dereliquisse suum domicilium (Jud. 6), quae dicta etiam supernaturalem statum indicare videntur (cf. Is. 14, 12-15 et Ezech. 28, 12 sqq).

Minor subsumpta per se patet; nam angeli mali nunquam erant in termino, quippe qui creatam voluntatem impeccabilem reddit.

Consequens ultimum necessario sequitur; quia alios angelos fuisse creatos in via, alios vero in termino, nimis absonum est. Praeterea sicut in termino peccatum esse nequit, ita neque meritum; boni tamen

angeli aeternam beatitudinem meruerunt, ut in sequente parte ostendetur.

386. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex traditione.—SS. Patres docent angelos in *ipsa creatione accepisse Spiritum Sanctum* seu *gratiam sanctificantem*, bonos tamen angelos *aeternam beatitudinem meruisse:* **Ergo** juxta eos omnes angeli in via gratiam sanctificantem receperunt.

Consequens satis liquet; nam cum Patres dicunt angelos accepisse Spiritum Sanctum non distinguunt inter bonos et malos, ergo omnes includunt; et ideo supponunt eos adhuc fuisse in via, quod insuper ex ipso bonorum merito satis constat.

Antecedentis altera pars explicite in sequente parte theseos probabitur.—*Prima vero pars* hisce textibus stabilitur:

a) *S. Basilius:* "Angelos, ut essent, Verbum omnium opifex condidit; sanctificationem vero simul impendit ipsis Spiritus Sanctus. Non enim infantili statura sunt creati, deinde paulatim excitati atque perfecti, sic Spiritus susceptione digni sunt habiti; sed prima constitutione ac veluti quadam conspersione suae substantiae simul infusam habuerunt sanctitatem" (In Ps. 32, n. 4; MG. 29, 333).

b) *S. Augustinus:* "Unde sine bona voluntate, hoc est, Dei amore numquam sanctos angelos fuisse credendum est. Isti autem qui, cum creati essent boni, tamen mali sunt mala propria voluntate, . . . aut minorem acceperunt amoris divini gratiam quam illi qui in eadem perstiterunt, aut si utrique boni aequaliter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se numquam casuros certissimi fierent, pervenerunt" (De Civ. Dei, l. 12, c. 9, n. 2; ML. 41, 357).

c) *S. Joannes Damascenus:* "Per Verbum omnes angeli creati sunt et Sancto Spiritu sanctificante consummationem acceperunt, ut pro sua quisque dignitate et ordine splendoris gratiaeque participes essent" (De Fide Orth. l. 2, c. 3; MG. 94, 868).

387. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex consensu theologorum.—Licet olim nonnulli contrarium docuerint, paulatim tamen omnes fere ad hanc nostram sententiam adducti sunt; ita ut jam nunc communiter cum *S. Thoma* (I, q. 62, a. 3) doceant omnes angelos ab ipsa creatione gratia sanctificante ornatos fuisse. Quare etiam editores operum *S. Bonaventurae,* qui contrarium docuerat, notant: "Sed alterius sententiae patroni cum S. Thoma, Scoto et sententia nunc communiter recepta contendunt, et malos angelos habuisse gratiam sanctificantem vel in primo instanti, vel saltem ante lapsum" (In II Sent. d. 4, a. 1, q. 2, schol. p. 135). Hanc denique doctrinam expressis verbis proponit *Catechismus Romanus* (I, c. 2, q. 17).

II. Angeli boni aeternam beatitudinem meruerunt.

388. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scripturam, *mali angeli sese avertendo a Deo peccaverunt et damnati sunt:* **Ergo** boni angeli adhaerendo Deo meruerunt et hoc merito aeternam beatitudinem adepti sunt.

Antecedens ex professo probabitur in parte sequente.—*Consequens* ex eo liquet, quod meritum et demeritum sibi invicem correlative opponuntur; si igitur mali angeli propter demeritum Dei visione privati existunt, boni angeli ista visione propter meritum fruantur oportet. Item, cum mali angeli fuerint in via, etiam boni angeli aliquando in via fuerunt; ad quid autem essent in via, nisi ut adhaerendo Deo aeternam beatitudinem mererent?

389. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex dictis SS. Patrum.—SS. Patres modo implicite, modo vero etiam explicite beatitudinem angelorum meritis ipsorum adscribunt. Ita v. g. *S. Gregorius Nazianzenus,* qui ait: "Ex angelis autem is qui seditionem concitare ac supra dignitatem suam sese efferre . . . ausus est, dignas arrogantia sua poenas dedit, . . . a seipso caligo effectus. Reliqui vero in sua dignitate perstant; cujus primum illud est quod peccati ac dissidii expertes sunt, quippe qui a sancta ac laudanda Trinitate hoc acceperint ut unum sint; quemadmodum et ab eadem illuminationem acceperunt" (Orat. 6 de Pace, n. 13; MG. 34, 738). Item *S. Augustinus,* qui docet, sicut angeli mali per liberum arbitrium ceciderunt et beatitudinem amiserunt, "ita sanctos angelos per liberum arbitrium stetisse et hujus mansionis debitam mercedem meruisse, tantam scilicet plenitudinem beatitudinis qua illis certissimum sit semper se in illa esse mansuros" (De Corr. et Grat. c. 11; ML. 44, 935).

Idem docet *S. Gregorius Magnus,* cum ait: "Virtutes angelicae, quae in divino amore fixae perstiterunt, hoc in munere retributionis acceperunt, . . . ut in contemplatione conditoris sine felicitatis fine permaneant et in hoc quod sunt conditae aeterna stabilitate subsistant" (Moral. l. 27, c. 39; ML. 76, 848). Similiter loquuntur *S. Cyrillus Alexandrinus* (In Lc. 2, 7; MG. 72, 498), *S. Fulgentius* (De Fide ad Petrum, nn. 29, 30; ML. 64, 686), *S. Isidorus Hispalensis* (Sent. l. 1, c. 10).

390. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex consensu theologorum.—Hac in re omnes theologi conveniunt, etiam illi juxta quos angeli in supernaturali beatitudine creati fuerunt (cf. superius, n. 382). Hoc punctum ita exponit *S. Thomas:* "Soli Deo beatitudo perfecta est naturalis; quia idem est ei esse et beatum esse. Cujuslibet autem creaturae esse beatum non est naturale, sed ultimus finis. Quaelibet autem res ad ultimum finem per suam operationem pertingit; quae

quidem operatio in finem ducens vel est factiva finis, quando finis non excedit virtutem ejus quod operatur propter finem, sicut medicatio est factiva sanitatis; vel est meritoria finis, quando finis excedit virtutem operantis propter finem, unde expectatur finis ex dono alterius. Beatitudo autem ultima excedit et naturam angelicam et humanam, ut ex dictis patet. Unde relinquitur quod tam homo quam angelus beatitudinem meruerint'' (I, q. 62, a. 4).

III. Angeli mali graviter peccaverunt et aeternaliter damnati sunt.

391. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scripturam sunt plurimi angeli mali, qui vocantur *daemonia* (Deut. 32, 17; Ps. 105, 37; Lc. 8, 33), *daemones* (Mt. 8, 31; Jac. 2, 19), *spiritus nequam* (I Reg. 16, 14; Lc. 11, 26; Act. 19, 12), *spiritus immundi* (Lc. 8, 29), *rectores tenebrarum* et *spiritualia nequitiae* (Ephes. 6, 12); quorum caput vocatur *diabolus* (Mt. 25, 41), *satanas* (Lc. 11, 18; 22, 31), *homicida* et *mendax* (Jo. 8, 44), *Beelzebub* (Mt. 10, 25), *Belial* (II Cor. 6, 15), *draco* (Apoc. 12, 7), *serpens antiquus* (Apoc. 20, 2); quae nomina omnia et singula, sive ex *se ipsis* sive ex *contextu*, summam quandam moralem nequitiam significant. Insuper iidem angeli vocantur *angeli peccantes* (II Petr. 2, 4), *qui in veritate non steterunt* (Jo. 8, 44), *qui non servaverunt suum principatum* (Jud. 6), *qui ab initio peccaverunt* (I Jo. 3, 8) et *pugnaverunt contra Deum* (Apoc. 12, 7). Denique iidem angeli propter suam nequitiam atque peccatum *ejecti sunt de caelo* (Lc. 10, 18; Apoc. 12, 7 sqq), *missi sunt in ignem aeternum* (Mt. 25, 41), *rudentibus inferni in tartarum detracti cruciantur* (II Petr. 2, 4), *vinculis aeternis in caligine ligati* (Jud. 6): **Ergo** angeli mali graviter peccaverunt et propterea aeternaliter damnati sunt.

392. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex traditione.—Hanc traditionem jam a primis saeculis ubique viguisse, eamque semper fuisse constantem, omnibus satis notum est; ideoque paucos textus adduxisse sufficiat, quibus simul ostendatur juxta SS. Patres peccatum angelorum fuisse gravissimum, illudque eis irreparabilis ruinae esse causam. Ita *S. Augustinus:* ''Natura quippe rationalis quanto est ipsa superior, tanto ruina ejus pejor; et peccatum ejus quanto incredibilius, tanto est damnabilius. Ideo angelus irreparabiliter cecidit, quoniam cui plus datur, plus exigitur ab eo'' (Opus Imperf. contra Julian. l. 6, c. 22; ML. 45, 1553).

Similiter *S. Gregorius Magnus:* ''Angelus solummodo est spiritus, homo vero et spiritus est et caro. Misertus ergo creator, ut redimeret, illam (creaturam) ad se debuit reducere quam in perpetratione culpae

ex infirmitate aliquid constat habuisse; et eo altius debuit apostatam angelum repellere quo cum a persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestavit'' (Moral. l. 4, c. 3, n. 8; ML. 75, 642). Et *S. Joannes Damascenus:* ''Majori enim excusatione et venia dignus habetur qui alterius suasu quam qui suapte sponte peccat. Qui enim sua sponte peccat, inexcusabilis est. Itaque diabolus, qui sua sponte peccavit, poenitere nescit; homini vero, qui non sua sponte sed incitante diabolo peccavit, poenitentiae locus relictus est'' (Dial. contra Manich. n. 33; MG. 94, 1539).

393. Omnes theologos hanc partem theseos tueri per se patet, cum doctrina hic proposita sit de fide tenenda. Suo jam tempore scripsit *S. Leo Magnus:* ''Fides vera, quae est catholica, omnium creaturarum sive spiritualium sive corporalium bonam confitetur substantiam et mali nullam esse naturam, quia Deus, qui universitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Unde et diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret. Sed quia naturali excellentia male usus est et in veritate non stetit, non in contrariam transiit substantiam, sed a summo bono, cui debuit adhaerere, desciv'' (Epist. 15 ad Turrib. c. 6; ML. 54, 683). Et contra Albigenes declaravit *Concilium Lateranense IV:* ''Diabolus et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali'' (DB. 428).

394. Scholion I: Cujusnam speciei peccatum angeli commiserint.

Est longe communior SS. Patrum et theologorum sententia, peccatum angelorum ad *superbiam* esse revocandum. Ratio autem *duplex* est: *Prima* quidem, quia Sacra Scriptura id satis clare docere videtur (Tob. 4, 14; Eccli. 10, 15; I Tim. 3, 6); altera vero, quia aliud fundamentale peccatum in angelo intelligi vix potest, ut exponit *S. Thomas* (I, q. 63, a. 2). Erant qui putarent illud angelorum peccatum fuisse invidiam; contra hos autem ita arguit *S. Augustinus:* ''Nonnulli dicunt ipsum ei fuisse casum a supernis sedibus, quod inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porro haec invidia sequitur superbiam, non praecedit. Non enim causa superbiendi est invidia, sed causa invidendi superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiae propriae, invidia vero odium felicitatis alienae, quid inde nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam propriam vel paribus invidet, quod ei coaequentur; vel inferioribus, ne sibi coaequentur; vel superioribus, quod iis non coaequetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est. Merito initium omnis peccati superbiam Scriptura definivit dicens: Initium omnis peccati superbia'' (De Gen. ad Litt. l. 11, c. 14, n. 18; ML. 34, 436).

395. Scholion II: Quam excellentiam diabolus inordinate appetierit.

Hac de re, quae valde incerta est, multae ponuntur sententiae, ita ut fere nullum sit motivum possibile, quod non aliqui proposuerint atque tuendam putarint. Alii opinantur diabolum peccasse per nimium ac inordinatum affectum suae beatitudinis naturalis; alii vero putant eum peccasse per inordinatum affectum beatitudinis supernaturalis, ita ut illam aut sine meritis aut propriis naturae viribus assequi voluerit. Sunt etiam qui dicant diabolum per revelationem cognovisse mysterium Incarnationis, eumque renuisse Deo-Homini debitam reverentiam praestare; immo plurimi existimant eum inordinate appetivisse suae propriae naturae unionem hypostaticam. Inter hos numerantur *Suarez* (De Angel. l. 7, c. 13, n. 13), *S. Ambrosius* (De fide, l. 2, c. 13; ML. 16, 584), *S. Augustinus* (Enchir. c. 28, n. 9; ML. 40, 246). Communius tamen docent theologi diabolum peccasse appetendo esse sicut Deus (cf. *S. Thomas,* I, q. 63, a. 3).

Monet autem *S. Thomas,* loco citato, illud "esse sicut Deus" non esse intelligendum secundum aequiparantiam sed secundum similitudinem; nam illud primum esse prorsus impossibile, diabolus optime cognovit. "Sed in hoc appetiit indebite esse similis Deo, quia appetiit ut finem ultimum beatitudinis id ad quod virtute suae naturae poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quae est ex gratia Dei. Vel si appetiit ut ultimum finem illam Dei similitudinem quae datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suae naturae, non ex divino auxilio secundum Dei dispositionem. . . . Et haec duo quodam modo in idem redeunt, quia secundum utrumque appetiit finalem beatitudinem per suam virtutem habere, quod est proprium Dei."

396. Scholion III: Num angelis datum fuerit tempus poenitendi.

Hac de re duae sunt sententiae, altera affirmans et altera negans. Sententia affirmans non est nisi paucorum, qui cum *Salmeron* (In II Petr. 2, disp. 3, dub. 3) censent angelos non fuisse damnatos nisi postquam oblatam a Deo poenitentiam rejecerint. Neque veram probabilitatem habere videtur; tum quia juxta Scripturam "Deus angelis peccantibus non pepercit" (II Petr. 2, 4), tum quia communi fere Patrum et theologorum doctrinae adversatur. Ad dictum S. Petri quod attinet, nemo non videt illud aegre cum poenitentiae oblatione conciliari posse, cum prorsus incredibile sit ne unum quidem angelum repertum esse qui poenitendi gratiae responderet. Quare tam Patres quam theologi fere communiter docent angelis post lapsum nullum datum fuisse tempus, sicut nec hominibus post mortem.

Immo sunt qui dicant angelis lapsis poenitentiam esse prorsus impossibilem. Ita v. g. *S. Joannes Damascenus,* qui ait: "Poenitentiae porro (diabolus) ea ratione minime capax est, quia incorporeus est" (De Fide Orthod. l. 2, c. 3; MG. 94, 868). Hanc sententiam tuetur *S. Thomas,* qui quamlibet angeli electionem immutabilem esse docet. "Differt autem, inquit, apprehensio angeli ab apprehensione hominis in hoc quod angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut et nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus; homo vero per rationem apprehendit mobiliter discurrendo de uno ad aliud, habens viam procedendi ad utrumque oppositorum. Unde et voluntas hominis adhaeret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, et contrario adhaerere; voluntas autem angeli adhaeret fixe et immobiliter. Et ideo si consideretur ante adhaesionem, potest libere adhaerere et huic et opposito, in his scilicet quae non naturaliter vult; sed postquam jam adhaesit, immobiliter adhaeret.

"Et ideo consuevit dici quod 'liberum arbitrium hominis flexibile est ad oppositum et ante electionem et post; liberum autem arbitrium angeli est flexibile ad utrumque oppositum ante electionem, sed non post.' Sic igitur et boni angeli semel adhaerentes justitiae, sunt in illa confirmati; mali vero peccantes sunt in peccato obstinati" (I. q. 64, a. 2). Alii tamen hanc prorsus immutabilem electionem in angelis non admittunt, et potius cum aliis Patribus dicunt: "De angelis quidem (Deus) hoc disposuit et implevit, ut si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, numquam eam divino munere repararet" (*S. Fulgentius,* De Fide ad Petrum, c. 3, n. 30; ML. 65, 686); ob quam vero rationem Deus hoc disposuerit, ipse novit.

397. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Juxta Sacram Scripturam diabolus "homicida erat ab initio" (Jo. 8, 44), et "ab initio peccat" (I. Jo. 3, 8): *Ergo* nunquam gratiam sanctificantem habuit.

Resp. Juxta Sacram Scripturam diabolus "homicida erat ad initio," et "ab initio peccat," sumendo illud "ab initio" moraliter pro primo instanti creationis, *C.* Sumendo illud "ab initio" mathematice pro primo instanti creationis, *N.* Probatio scilicet angelorum fuit brevissima, et ideo licet mali angeli reapse post creationem peccaverint, possunt tamen optime dici peccasse "ab initio"; sicut alibi (Ps. 57, 4) etiam de iis, qui a prima juventute peccarunt, dicitur, "erraverunt ab utero."

2° Illud S. Joannis (8, 44), "in veritate non stetit," non de lapsu e statu gratiae sed de mendacio intelligendum est, ut patet ex contextu; "quia non est veritas in eo; cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est": *Ergo* ex illo textu inferri nequit angelos malos habuisse gratiam sanctificantem.

Resp. Ille textus etiam de mendacio intelligendus est, *Tr.* De solo mendacio, *N.* Nam illud "in veritate non stetit" necessario supponit diabolum aliquando in veritate fuisse, quae veritas includit statum innocentiae et virtutum, et ideo merito de statu gratiae intelligitur. Transmissa est prima pars distinctionis, quia illud mendacium diaboli referendum videtur ad tempus post lapsum, cum v. g. protoparentes mendaciis ad peccandum alliceret. Insuper SS. Patres illum textum de lapsu e statu gratiae interpretari solent (cf. *Mazzella,* op. cit. n. 435, 3).

3° SS. Patres nihil aliud voluisse videntur, nisi diabolum non esse ex ipsa sua natura malum; nam ita v. g. *S. Augustinus* (De Civ. Dei. l. 11, c. 13) dicit eos non consentire *Manichaeis,* qui putent diabolum statim ab initio peccasse: *Ergo* angelos malos habuisse gratiam sanctificantem ex dictis SS. Patrum probari nequit.

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: S. Augustinus ista verba quidem habet, sed statim subdit omnes angelos ab initio accepisse bonam voluntatem, per quam satis evidenter gratiam sanctificantem intelligit; immo hanc nostram doctrinam alibi explicite proponit (cf. superius, n. 386 b).

4° *S. Augustinus* in libro de Correptione et Gratia (c. 10, n. 27) docet angelos malos ante lapsum fuisse beatos: *Ergo* etiam angeli boni ab ipsa creatione beati erant, et ideo aeternam beatitudinem non meruerunt.

Resp. S. Augustinus loco citato docet angelos malos ante lapsum fuisse beatos, beatitudine radicali et imperfecta, quae in gratia et sanctitate ipsorum sita erat, *C.* Beatitudine formali et perfecta, quae actualem Dei visionem includeret, *N.* Nam ibidem subdit: "Erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summae beatitudinis plenitudinem tamque praemium ipsius permansionis acciperent."

5° Nihil obstat quominus boni angeli in beatitudine consummata creati fuerint; nam eam jam possessam adhuc mereri poterant, sicut etiam apud homines aliquis mereri potest donum, quo ad merendum utitur; *Ergo* boni angeli non in via sed in termino creati sunt.

Resp. Nego assertum et paritatem rationis additae. Nam imprimis in consummata beatitudine non ea voluntatis libertas habetur, quae ad merendum requiritur, saltem si a potentia Dei absoluta praescindatur. Deinde affirmare bonos angelos fuisse creatos in perfecta beatitudine, non vero angelos malos, satis absonum est. Denique negatur paritas in ratione addita, quia donum apud homines, quo aliquis utitur ad merendum non est nisi purum instrumentum, quo propriis viribus utendo idipsum meretur; beatitudo vero in praedicto casu foret prae-

cipua omnis meriti causa, et qua talis ipsa sub merito cadere non posset.

6° Doctrina de lapsu et damnatione angelorum adversari videtur Dei attributis, nempe *sapientiae, bonitati, justitiae.* Sapientiae quidem, quia ad quid creasset tot angelos, quos ultimum finem nunquam assecuturos esse praevidebat? Bonitati vero, quia non dedit eis gratias vere efficaces. Justitiae denique, quia propter unum peccatum eos irreparabiliter damnavit. *Ergo* tota haec doctrina merito ex gentilium fabulis derivata creditur.

Resp. Nego assertum, et ad rationes additas dico: Lapsus et damnatio angelorum non adversantur Dei sapientiae, quia finis ultimus non respectu Dei sed solum respectu angelorum frustratus est. Nam creavit angelos propter gloriam suam extrinsecam, quam etiam nunc ex eis consequitur. Neque adversantur Dei bonitati; quia angeli non modo liberam voluntatem verum etiam gratiam vere sufficientem habebant, qua adjuti aeternam beatitudinem facile assequi potuerunt. Neque adversantur Dei justitiae; quia unumquodque peccatum mortale, sive ab angelo sive ab homine commissum, aeternam damnationem meretur. Potuit quidem Deus angelorum peccatum remittere; sed nulla ratione ad id tenebatur. Haec doctrina non ex gentilium fabulis derivata est, sed gentilium fabulae plerumque particulam veritatis ex primitiva revelatione transmissam involvunt.

7° Tum juxta Sacram Scripturam (I Petr. 5, 8) tum juxta communem fidelium persuasionem mali angeli hunc mundum pervagantur: *Ergo* non sunt ad inferni cruciatus damnati.

Resp. Mali angeli hunc mundum pervagantur, quin tamen ab inferni cruciatibus liberati sint, *C.* Ut sint interim ab eis liberati, *N.* Etsi mali angeli, Deo permittente, aliquando extra locum inferni vagantur, poenas tamen inferni semper et ubique experiuntur; est enim infernus non modo determinatus locus, verum etiam permanens damnatorum status.

ARTICULUS VII

De Angelis Custodibus

THESIS XXX.—Sancti angeli deputantur in custodiam hominum in terra viventium.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 113; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 11, aa. 1, 2; Suarez, *De Angelis,* l. 6, cc. 17-19; Petavius, *De Angelis,* l. 2. cc. 7-10; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 61, 62; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 682 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 403 sqq.; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 388 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 444 sqq.; Hurter, *Compend.* II, nn. 417 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 129 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 442 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 3, s. 2, a. 2.

398. **STATUS QUAESTIONIS.**—Sanctos angelos aliquando in hunc mundum a Deo mitti, vel ad opera quaedam praestanda vel ad ejus mandata deferenda, e plurimis Sacrae Scripturae locis manifeste constat. De hac tamen quasi *extraordinaria* angelorum missione non est quaestio in thesi, sed de alia quae quodammodo *ordinaria* dici potest, quatenus juxta divinae providentiae dispositionem angeli ad determinata quaedam munera in hoc mundo curanda permanenter deputantur. De hujusmodi angelorum deputatione declarat *Catechismus Romanus:* "Est Dei providentia datum hoc negotium angelis, ut custodiant humanum genus, singulisque hominibus praesto sint, ne gravius aliquod detrimentum accipiant. Nam ut parentes, si infesta et periculosa via filiis iter faciendum sit, custodes adhibent, et periculorum adjutores; sic caelestis Parens in hoc itinere, quo ad caelestem patriam contendimus, singulis nobis praeposuit angelos, quorum ope ac diligentia tecti furtim paratos ab hoste laqueos vitaremus et factos in nos horribiles impetus repelleremus iisque ducibus rectum iter teneremus, ne objectus aliquis error a fallaci adversario nos de via posset deducere, quae ducit in caelum" (IV, c. 9, n. 4). De hac igitur angelorum custodia nostra thesis procedit.

399. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Terminus "sancti angeli" hic *indeterminate* sumiter, quin definire velimus utrum *inferiorum* tantum an etiam *superiorum* ordinum angeli ad hominum custodiam deputentur. Res inter theologos hinc inde disputari solet, et *tres* diversae sententiae habentur. *Prima* docet ministerium angelicum circa homines simpliciter ad angelos omnium ordinum pertinere, juxta illud Apostoli (Hebr. 1, 14): "Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis"? *Altera* ponit angelos omnium quidem ordinum mitti, ita tamen ut superiores ad nobiliora et inferiores ad minus nobilia munera mittantur. *Tertia* tenet supremos ordines, quorum membra angeli assistentes vocantur, nunquam extra caelestem curiam mitti, ideoque custodiam hominum ad solos inferiores angelos pertinere. Haec ultima sententia defenditur a *S. Thoma* (I, q. 112, a. 2; q. 113, a. 3), inter modernos tamen non multos patronos habet. Ceterum tota haec quaestio mitti potest, quia ad doctrinam in thesi propositam parum facit.

b) Munus autem homines custodiendi *generatim* loquendo ea omnia complectitur, *quae aliquo modo cum hominum salute connectuntur,* sive ad corpus sive ad animam spectant. Ita quoad *corpus* angeli custodes plerumque ab hominibus sibi commissis avertunt *damna exteriora,* vel homines ab eis eripiunt, vel eos etiam in *negotiis saecularibus* juvant, in iis praesertim quae ad salutem inserviunt. Haec asserta clare constant ex libro Tobiae (cc. 5 sqq) qui fere totam nostram doctrinam graphice illustrat.

c) Ad *animam* vero quod attinet, multiplici modo angeli custodes suo munere funguntur. Ita *arcent daemones,* ne nobis noceant aut ne praeter modum nos tentent (Tob. 8, 3); nos sanctis cogitationibus *incitant ad bonum* (Act. 8, 26; 10, 3 sqq); *preces nostras Deo offerunt* et *pro nobis orant* (Tob. 12, 12; Apoc. 8, 3); *medicinales quoque poenas quandoque infligunt* (II Reg. 24, 16); praesertim in articulo mortis *contra diaboli tentationes et insidias nos muniunt,* animas mortuorum *in caelum deducunt,* aut in *purgatorio detentas visitant* atque *consolantur,* ut patet ex orationibus Ecclesiae in Missa pro defunctis. Haec explicata invenies apud *Suarezium* (op. cit. c. 19, nn. 1-10; c. 16, nn. 10, 24, 38).

d) Patet sanctos angelos, dum circa homines occupentur, non privari visione beatifica, quippe quae ex primo suae inceptionis instanti usque in sempiternum sine intermissione interminabilis est. Ad tempus custodiae angelicae quod attinet, communius censetur eam pro aliquo determinato homine non incipere nisi a *momento nativitatis* ejus, ita ut infans ante nativitatem custodiatur ab angelo matris, quia adhuc veluti pars matris est (cf. *S. Thomas,* I, q. 113, a. 5). A momento autem nativitatis illa custodia continuatur *per totam hominis vitam,* eo saltem sensu quod angelus custos suum clientem nunquam totaliter deserat; quamvis eum ad tempus, punitionis causa, plus minus dimittere possit (cf. ibid. a. 6). Proprie tamen loquendo cessat in morte, cum eo instanti ipsum probationis tempus finiatur.

e) Communius tenetur unum angelum eodem tempore non custodire nisi *unum hominem,* et e converso unum hominem non habere nisi *unum angelum custodem,* nisi forte ratione muneris ei interim commissi alter accedat. Quoad homines autem qui sic custodiuntur, haec satis communiter tenentur. I. *Sancti angeli in hominum custodiam deputantur.* II. *Singuli fideles angelum custodem habent.* III. *Singuli quoque homines habent angelum custodem.* IV. *Angeli custodiunt diversas hominum societates,* quales sunt ipsa universalis Ecclesia, regna et imperia, ecclesiae particulares, communitates religiosae. Aliis igitur missis, has quatuor partes argumentis modo ponendis stabiliemus.

400. **ADVERSARII.**—Hanc thesim in toto rejiciunt *Rationalistae,* qui doctrinam de angelorum custodia ex ethnicorum fabulis de geniis cuilibet assistentibus originem traxisse contendunt. Inter Christianos primae et secundae parti, ut supra indicatis, nemo adversatur; de tertia vero et quarta nonnulli dubie loquuntur.

401. **NOTA.**—Prima pars, quae statuit angelos in hominum custodiam deputari, *de fide tenenda est;* tum ex clara Scriptura tum etiam ex jugi magisterio Ecclesiae. Altera pars, singulos fideles angelum custodem habere, est sententia *communis* et *certa.* Tertia pars,

juxta quam singuli quoque infideles angelum custodem habent, *fere communis* et *vix non certa* esse videtur. De his duabus partibus *Suarez* declarat: "Assertio catholica est. Quamvis enim non sit expressa in Scriptura, vel ab Ecclesia definita, tanto consensu Ecclesiae universalis recepta est, et in Scriptura, prout a Patribus intellecta est, tam magnum habet fundamentum, ut sine ingenti temeritate ac fere errore negari non possit" (De Angelis, l. 6, c. 17, n. 8). Quarta denique pars, etiam hominum societates ab angelis custodiri, *communior* atque *probabilior* est.

I. Sancti angeli in hominum custodiam deputantur.

402. ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scripturam, a) Deus hominum custodiam *angelis suis mandavit;* b) angeli in hominum *ministerium a Deo mittuntur:* **Atqui** hoc perinde est ac sanctos angelos in hominum custodiam deputari: **Ergo.**

Minor ex ipsis terminis constat.—*Major* multis textibus probari potest, cum tamen iidem fere textus infra allegandi sint, duo hic sufficiant. Itaque, a) *Ps. 90, 11, 12:* "Quoniam angelis suis (Deus) mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum." Haec verba non unice ad Christum referenda esse, ex ipso initio psalmi satis patet; incipit enim: "Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei caeli commorabitur," id est, qui sperat in Deum, ipsi Deus adjutor erit; adjutor autem, ut liquet ex verbis supra citatis, per angelos suos.

b) *Hebr. 1, 14:* "Nonne omnes (angeli) sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis?" Hunc textum, qui etiam ex se sat clarus est, SS. Patres unanimi consensu de angelis custodibus interpretantur.

403. ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.—Hanc traditionem esse pervetustam, inter alios testatur *Origenes* cum scribit: "Est etiam in ecclesiastica praedicatione positum, esse angelos Dei quosdam et virtutes bonas, qui ei ministrant ad salutem hominum consummandam" (De Princ. 1 praef. 10; MG. 11, 120). Item *S. Hilarius*, qui ait: "Angeli praesunt pusillorum fidelium orationibus. Praeesse angelos absoluta auctoritas est" (In Mt. c. 18, n. 5; ML. 9, 1021). Aliis SS. Patrum dictis interim transmissis, utpote infra efferendis, eadem haec traditio etiam inde clare apparet, quod jam a quarto saeculo et deinceps altaria et templa ad angelos custodes colendos exstructa inveniuntur, et quod saeculo undecimo festum Angelorum Custodum institutum fuit.

404. *Confirmatur* haec pars theseos ex ipsa quoque ratione, quatenus scilicet ratio *nostrae doctrinae congruentiam* luculenter ostendit.

Et imprimis quidem ex parte *hominis,* qui creatura imbecillis est, cujusque salus physica et moralis tot undique periculis obnoxia est, ut ipse angelorum auxilio summopere indigeat. Dein vero ex parte *angelorum,* quibus hac in re ampla ad res gerendas oblata est occasio, tum ad futurorum concivium salutem promovendam, tum etiam ad propriam erga Deum dilectionem atque obedientiam operibus manifestandam. Demum quoque ex parte *Dei,* cujus sapientia atque benignitas hac ordinatione magnopere collustrantur, eo quod cuncta ita disposuit, ut alter ab altero pendeat, alter alterius ope indigeat, alter altero quodammodo compleatur, utque hac ratione omnes creaturae multis mirisque nexibus colligatae unam caelestis Patris familiam repraesentent.

II. Singuli fideles angelum custodem habent.

405.—ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.—Tutela angelorum ita in Sacris Litteris exhibetur, ut inde merito inferatur *unumquemque fidelium angelum custodem habere:* **Ergo.**

Antecedens hisce textibus satis constare videtur. a) Jacob, benedicens filiis Joseph, ait: "Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis" (Gen. 48, 16). b) Judith, occiso Holoferne, in has voces prorupit: "Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me angelus ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem" (Judith, 13, 20). c) Ipse Dominus dicit de parvulis Judaeorum: "Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis quia angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei qui in caelis est" (Mt. 18, 10); illi autem parvuli fidelibus connumerantur. d) Nec solos parvulos angelum custodem habere, patet ex persuasione Christianorum, qui ancillae, nuntianti Petrum adesse e carcere liberatum, respondent: "Angelus ejus est" (Act. 12, 15).

Haec quidem dicta, ultimo textu exceluso, directe ad Judaeos spectant; sed nulla est ratio cur non etiam ad Christianos referenda sint, quippe qui non minus quam Judaei angelorum custodia indigent. Unde S. Paulus absolute dicit angelos in ministerium missos esse propter eos, "qui hereditatem capient salutis" (Hebr. 1, 14), id est omnium fidelium. Ex iisdem textibus quoque constare videtur unumquemque fidelium suum proprium angelum custodem habere; nam uni homini semper unus angelus assignatur, pluribus vero hominibus tribuuntur angeli plures.

406. ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.—SS. Patres et scriptores ecclesiastici hanc traditionem omnes testantur. Ita v. g. *Origenes:* "Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, angelus bonus, angelus Domini, qui regat, qui moveat,

qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis et miserationibus exposcendis quotidie videat faciem Patris'' (In Num. hom. 20; MG. 12, 748). Item *S. Athanasius:* ''Ex omni parte igitur ediscimus quod universorum Deus eos, qui credunt in ipsum, per angelos custodiat'' (In Ps. 90, n. 2; MG. 27, 401). Item *S. Joannes Chrysostomus:* ''Hinc manifestum est, quia omnes sancti angelos habeant'' (In Mt. hom. 59, n. 4; MG. 58, 579). Item *S. Basilius:* ''Cuilibet fidelium est angelus adjunctus, dignus videre faciem Patris in caelis'' (In 48, n. 9; MG. 29, 454). Alia SS. Patrum testimonia videbis apud *Petavium* (Op. cit. l. 2, c. 7, nn. 3 sqq).

III. Singuli quoque homines habent angelum custodem.

407. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex dictis SS. Patrum.—Licet SS. Patres, de angelorum custodia loquentes, plerumque solos fideles nominent, nihilominus eam pro data occasione etiam ad infideles extendunt. Ita v. g. *S. Hieronymus:* ''Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum'' (In Mt. 18, 10; ML. 26, 130). Similiter *Theodoretus,* qui arguit angelos habere ''circumscriptam'' substantiam, ''cum Christus Dominus dixerit singulos homines subesse singulorum angelorum procurationi'' (In Gen. 1, ad interrog. 3; MG. 80, 80). Et *S. Isidorus Hispalensis:* ''Omnes homines angelos habere probatur, loquente Domino in Evangelio: 'Amen dico vobis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.' Unde et Petrus in Actibus Apostolorum, cum pulsaret januam, dixerunt intus Apostoli: 'Non est Petrus, sed angelus ejus est' '' (Sent. l. 1, c. 10; ML. 83, 557). Similiter *Honorius Augustodunensis,* qui ait: ''Unaquaeque anima, dum in corpus mittitur, angelo committitur'' (Elucid. l. 2, c. 28; ML. 172, 1154).

408. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex ratione theologica.—Non modo fideles sed omnes prorsus homines *ad vitam aeternam destinati sunt,* omnes *subsunt Dei providentiae,* omnes *a Christo redempti sunt,* omnes *in eadem salutis oeconomia versantur,* omnes *angelorum custodia indigent:* **Ergo** non modo fideles sed singuli quoque homines angelorum custodem habent.

IV. Angeli custodiunt diversas hominum societates.

409. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—In libro Danielis (c. 10, vv. 12-20) haec leguntur: ''Ego (angelus) veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus; et ecce Michael, unus de principibus primis, venit in adjutorium meum. . . . Cum ego egrederer, apparuit princeps Graeco-

rum veniens. Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis; et nemo est adjutor meus in omnibus his nisi Michael, princeps vester."

Hunc textum commentans, *Knabenbauer* scribit: "Eo quod Michael dicitur princeps vester v. 21 et 12, 1 princeps qui stat pro filiis populi tui, qui eos tuetur eorumque causam strenue agit et defendit, sine ullo dubio declaratur munus angeli tutoris, cui cura populi divinitus est commissa; quare consequens est et modo eodem loquendi necessarium, ut angelus qui appellatur princeps Persarum (sicut infra quoque v. 20 princeps Graecorum) etiam censeatur curam ejus regni sibi habere demandatam. . . . Itaque asseritur regna quoque et provincias habere angelum tutorem. Haec doctrina hic clare enuntiatur; at ejus quasi germen et semen jam in prioribus libris sacris continetur" (Comment. in Dan. c. 10, vv. 12 sqq). Ex eodem textu plures interpretes concludunt Michaelem archangelum esse nunc custodem Catholicae Ecclesiae, sicut olim fuit custos Judaeorum Synagogae.

410. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex dictis SS. Patrum.**—Inter Patres haec doctrina valde communis erat, saltem quod regna spectat, et provincias, et populum Dei. Ita v. g. *S. Basilius* declarat: "Quod autem unicuique fidelium adsit angelus velut paedagogus quidam et pastor vitam dirigens, nemo contradicet, qui meminerit verborum Domini. . . . Quod autem rursus sint angeli quidam, qui gentibus integris praepositi sunt, docet nos per canticum Moyses, dum ait: 'Quando dividebat Altissimus gentes, quando dispersit filios Adam, constituit terminos gentium juxta numerum angelorum suorum.' Et sapiens Daniel in visione angeli audivit ipsum dicentem: 'Princeps regni Persarum stetit ex adverso mihi; et ecce, Michael unus de principibus primis venit mihi auxiliaturus, et ipsum reliqui illic cum principe rege Persarum.' Et paulo post ipse ille ait. 'Et princeps Graecorum veniebat'" (Adv. Eunom. l. 3, c. 3, n. 1; MG. 29, 655).

Similiter *Theodoretus,* cum ait: "His igitur discimus quod unicuique angelorum singulorum e nobis cura concredita sit, ut custodiant et tueantur et a pravi daemonis nos liberent insidiis. Archangelis vero illud munus impositum est, ut gentium sint praefecti, sicut beatus Moyses docuit (Deut. 32, 8), cujus dictis item beatus Daniel consentit, cum ipse regni Persarum principis et rursus paulo post principis Graecorum mentionem faciat" (In Dan. 10, 23, MG. 81, 1498). Et *S. Hieronymus:* "Quatuor ventos caeli, quatuor arbitror angelicas potestates, quibus principalia regna commissa sunt, juxta illud quod Deut. 32, 8 legimus" (In Dan. c. 7; ML. 25, 527).

De Ecclesiarum custodia scribit *S. Gregorius Nazianzenus:* "Nec enim mihi dubium est, quin alii aliarum Ecclesiarum praesides ac patroni sint, quemadmodum in Apocalypsi Joannes me docet" (Orat.

42, n. 8; MG. 36, 469). Et *S. Ambrosius:* "Non solum episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam angelos destinavit" (In Lc. l. 2, n. 50; ML. 15, 1571).

411. Multi theologi hanc angelorum tutelam etiam ad religiosas communitates et ad personas publicas in quantum tales extendunt. Ita v. g. *Suarezius,* qui dicit: "Denique hinc etiam probabile est, licet singulis personis privatis singuli angeli destinentur, nihilominus pontificibus, regibus et aliis praelatis ac principibus peculiares angelos ad eorum custodiam ac regimen deputari. . . . Unde mihi probabile fit quod communiter creditur, has personas publicas duos habere angelos custodes, nimirum, inferiores quatenus tales personae sunt, et superiores ratione muneris. . . Et in particulari de beatissima Virgine, quod habuerit duos angelos custodes, unum ut privata persona, alium ut mater Dei, et quamdiu officium matris exercuit" (Op. cit. l. 6, c. 17, n. 23). Communiter tenetur Christum non habuisse angelum custodem proprie dictum, sed plures angelos ministrantes.

412. Scholion I: Num angeli etiam creaturis irrationalibus praesideant.

Ad hanc quaestionem tum Patres tum theologi satis communiter affirmative respondent. Ita v. g. *S. Augustinus,* cum docet: "Ac per hoc sublimibus angelis Deo subdito fruentibus, et Deo beate servientibus subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas vel infirma vel prava; ut hoc de subditis vel cum subditis agant quod naturae ordo poscit in omnibus, jubente illo cui subjecta sunt omnia (Gen. ad Litt. l. 8, c. 24, n. 45; ML. 34, 390). Has auctoritates respiciens, *Suarezius* ait: "Et ideo breviter dico valde probabilem esse sententiam Patrum, quam D. Thomas aperte approbat, . . . ex peculiari Dei ordinatione et providentia peculiares angelos praesidere singulis istarum rerum speciebus, non ad inducendas formas substantiales, sed ad alios fines et actiones" (loc. cit. n. 25).

413. Scholion II: De officiis nostris erga angelum custodem.

Diversa nostra erga angelum custodem officia hisce verbis *S. Bernardus* complectitur: "Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! Reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia" (Serm. 12 in Ps. 90, n. 6). Et mox prosequitur: "In quovis diversorio, in quovis angulo, angelo tuo reverentiam habe. Tunc audeas illo praesente quod vidente me non auderes? An praesentem esse dubitas quem non vides? Quid si audires? . . . Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus: redamemus eos, honoremus eos quantum possumus, quantum debemus. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? . . . In ipso (Deo) itaque, fratres, affectuose diligamus angelos

ejus, tamquam futuros aliquando coheredes nostros, interim actores et tutores a Patre positos et praepositos nobis.''

414. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Tota haec doctrina de angelis custodibus a philosophis paganis mutuata esse videtur; nam Stoicos docuisse testatur *Seneca*, ''unicuique nostrum paedagogum dari deum non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notae, ex eorum numero quos Ovidius ait de plebe deos. Ita tamen hoc seponas, volo, ut memineris majores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse; singulis enim et Genium et Junonem dederunt'' (Epist. 100). Et ipse *Epictetus* ait: ''Tutorem unicuique assignavit Deus singulorum genium, et huic ipsum custodiendum tradidit, et quidem ejusmodi qui neque dormiat neque falli possit. Nam cui tandem alteri praestantiori ac sollicitiori custodi unumquemque nostrum committeret? Itaque quando januas occluseritis et tenebras intus induxeritis, mementote uti numquam vos solos esse dicatis; non enim estis, sed Deus intus est, et genius vester'' (apud Arian. diss. l. 1, c. 14): *Ergo* haec doctrina merito tamquam gentilium fabula rejicitur.

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: Imprimis antequam philosophi pagani nati essent, ipsa Sacra Scriptura hanc doctrinam jam clare proposuerat, ideoque sacer scriptor eam non ab istis philosophis sed a Deo revelante acceptam tradidit. Deinde neque SS. Patres doctrinam de angelis custodibus unquam ex placitis philosophorum probant, sed testimoniis et exemplis Sacrae Scripturae, quam ipsius Dei verbum esse docuerunt. Quare potius dicendum est persuasionem paganam de geniorum patrocinio esse vestigium quoddam divinae revelationis, quae primo ex patriarchis et postea forte ex ipsis libris sacris ad alios populos fuerit derivata. Immo ipsa angelorum existentia ex primitiva revelatione quodammodo cognita, naturalis ratio cum aliqua saltem probabilitate ad eorum custodiam sat facile pervenire potuit (cf. superius, n. 404).

2° Juxta Apostolum (Hebr. 1, 14), ministerium angelorum est ''propter eos qui hereditatem capient salutis'': *Atqui* non alii nisi praedestinati hereditatem salutis capient: *Ergo* non singuli fideles sed solum praedestinati angelum custodem habent.

Resp. Juxta Apostolum ministerium angelorum est propter eos quibus per Christum datum fuit saltem jus remotum ad hereditatem salutis capiendam, *C.* Propter eos solum quibus competit jus proximum, seu qui per sacramentorum susceptionem sive per propriam cum gratia cooperationem actu capient hereditatem salutis, *N.* Idem enim Apostolus (II Tim. 2, 10) scribit se omnia sustinere propter electos; num igitur solis electis seu praedestinatis Christi evangelium praedicavit? Potest quidem dici angelorum ministerium esse princi-

paliter propter praedestinatos, cum iis reipsa prosit, dum ceteri propter propriam culpam aut parum aut nullum ex illo commodum reportant; sed interim non desinit singulis exhiberi, sicut neque desinit evangelii praedicatio.

3° Deus, utpote infinite sapiens et potens, omnia immediate per se ipsum disponere atque gubernare potest: *Ergo* angelorum ministerium inepte adstruitur.

Resp. Concedo antecedens, et nego consequens. Imprimis enim factum ministerii angelici ex revelatione clare constat, ideoque sapienter institutum sit necesse est; dein vero non Dei indigentiam sed summam ejus benignitatem ostendit, qua ipsas quoque creaturas ad mundum gubernandum et salvandum assumit. Quare ad rem *S. Thomas,* qui ait: "Sunt aliqua media providentiae divinae, quia inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet" (I, q. 22, a. 3).

ARTICULUS VIII

De Infestationibus Diaboli

THESIS XXXI.—Angeli mali ex permissione Dei variis modis homines infestant.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I, q. 114; *De Malo,* q. 3, aa. 3, 4; *In II Sent.* d. 8, q. unica, a. 5; S. Bonaventura, *In II Sent.* d. 8, p. 2, a. unicus; Suarez, *De Angelis,* l. 7, cc. 18 sqq.; Palmieri, *De Deo Creante,* thes. 63, 64; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 453 sqq.; nn. 481 sqq.; Beraza, *De Deo Creante,* nn. 743 sqq.; Pesch, *Praelect.* III, nn. 408 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 452 sqq.; Hurter, *Compend.* II, nn. 425 sqq.; Muncunill, *De Deo Creatore,* nn. 436 sqq.; Van Noort, *De Deo Creatore,* nn. 136 sqq.; Wirceburg. III, *De Angelis,* nn. 83 sqq.; Pohle-Preuss, *God, The Author of Nature,* p. 2, c. 2, s. 3, a. 2.

415. STATUS QUAESTIONIS.—Angeli in peccatum lapsi ad infernum quidem damnati sunt, sed Deo permittente ex illo tormentorum loco egredi possunt, quin propterea tamen ab inferni tormentis unquam liberentur. Per peccatum omnibus quidem donis supernaturalibus privati sunt, sed naturalia dona una cum ipsa natura retinuerunt. Sunt igitur etiam nunc, tum cognitione tum potentia executiva, homine longe praestantiores. Insuper in peccato obstinati ac mente obcaecati, necnon odio in Deum et invidia in hominem aestuantes, ex se toti in eo sunt ut irreparabilem huic mundo ruinam machinentur. Attamen sub omnipotentis Dei manu sunt, nec vel minimum damnum sive homini sive aliis creaturis unquam inferre possunt, nisi quatenus

Deus ob bonum aliquem finem inde consequendum id permittere velit. Quibus autem modis ex Dei permissione homines quandoque infestent, in hac thesi statuendum erit.

416. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) Sicut Deus mittit angelos bonos ad homines protegendos atque juvandos, ita etiam mittere potest angelos malos ad homines infestandos vel puniendos. Attamen de hujusmodi *positiva* angelorum missione non est quaestio in thesi; quia in subjecta materia non ea quaerimus quae quodammodo *extraordinarie* fiunt vel fieri possunt, sed illa potius quae juxta *ordinariam* Dei dispositionem fieri cognoscuntur. Ordinaria autem Dei dispositio hac in re huc spectat, quod *intra certos quosdam limites malis angelis facultatem concedat sese rebus humanis immiscendi, variisque modis homines tum quoad corpus tum quoad animam molestandi.* Hanc tamen facultatem concedendo, Deus non aliquod malum homini intendit, sed majus bonum ex prava daemonum voluntate derivandum. Modi autem diversi, quibus mali angeli vel daemones homines infestare solent, eisque secundum animam et corpus damnum inferre conantur, ad sequentes fere reduci possunt.

b) Imprimis *tentant homines ad peccata committenda,* eos ad peccandum alliciendo vel incitando. Et hoc quidem *dupliciter:* nempe *extrinsecus et intrinsecus.* Extrinsecus tentant adhibendo objecta externa quibus hominum passiones perturbantur atque excitantur; vel etiam instigando pravos homines ad alios in peccatum adducendos. Intrinsecus vero tentant influendo in hominum facultates, non quidem *directe in facultates superiores,* in intellectum videlicet et voluntatem, quod solus Deus praestare valet; sed in *facultates inferiores,* puta in *phantasiam* et *imaginationem,* e quibus intellectus suas species haurit et circa eas operando voluntati objectum aliquod appetibile proponit. Agere etiam possunt in hominum *corpus,* excitando nervos ejus et humores, quo fit ut mediante phantasia pravae cogitationes in intellectu excitentur vel ipsa voluntas ad peccandum pertrahatur.

c) Aliquando etiam *Deus* dicitur tentare homines, sed non eo modo quo tentat diabolus. Deus enim tentat homines ad eos *in bono probandos,* diabolus vero ad eos *in malum perducendos.* Hanc rem ita exponit *S. Thomas:* "Tentare est proprie experimentum sumere de aliquo. Experimentum autem sumitur de aliquo ut sciatur aliquid circa ipsum; et ideo proximus finis cujuslibet tentantis est scientia. Sed quandoque ulterius ex scientia quaeritur aliquis alius finis vel bonus vel malus; bonus quidem, sicut cum aliquis vult scire qualis aliquis sit vel quantum ad scientiam, vel quantum ad virtutem, ut eum promoveat; malus autem, quando hoc scire vult ut eum decipiat vel subvertat. . Et per hunc modum potest accipi, quomodo tentare

diversis diversimodo attribuatur. Homo enim tentare dicitur quandoque quidem ut sciat tantum, et propter hoc tentare Deum dicitur esse peccatum, quia homo quasi incertus experiri praesumit Dei virtutem; quandoque vero tentat ut juvet, quandoque vero ut noceat. Diabolus semper tentat ut noceat, in peccatum praecipitando; et secundum hoc dicitur proprium officium ejus tentare. Nam etsi homo aliquando sic tentet, hoc agit in quantum est minister diaboli. Deus autem tentare dicitur ut sciat, eo modo loquendi quo dicitur scire quod facit alios scire. Unde dicitur (Deut. 13, 3): 'Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum' " (I, q. 114, a. 2).

d) Deinde angeli mali non modo tentant homines, sed aliquando eos quoque *malis physicis* afficiunt. Et hoc quidem Deus vel simpliciter permittit, ut inde hominum virtutes clarius manifestentur, quemadmodum in Sacris Litteris de Job commemoratum invenitur (Job, 3, 8), aut ut servis Dei occasio praebeatur sese in patientia vel aliqua alia virtute exercendi, sicut in vita Sanctorum haud raro legitur; vel etiam positive jubet, ad hominum peccata punienda. De hoc altero tamen, ut jam dictum est, non quaerimus in thesi.

e) Specialis modus, quo daemones interdum homines malis physicis afficiunt, in *obsessione* habetur. Obsessio autem est *quaedam humani corporis occupatio per daemonem,* quae vel minus vel plus perfecta esse potest. *Triplex gradus* distingui solet, juxta perfectionem dominii quod daemon in corpus humanum exercet. *Primus gradus* vocatur *circumsessio,* et habetur quando daemon corpus non quidem invadit, extrinsecus tamen quasi obsidens illud graviter vexat. *Secundus gradus* dicitur *obsessio stricte sumpta,* in qua daemon intus in corpus hominis ingreditur, in illo habitat, illudque fere pro lubito exagitat, turbando sensus et membra, variis modis torquendo hominem, aut etiam praebendo ei vires ad quaedam mira patranda. *Tertius gradus* vocatur *possessio,* quae tunc habetur quando daemon illo corpore veluti suo proprio utitur, ita ut homini fere nulla externae actionis libertas relinquatur. Haec tamen distinctio, quae inter theologos usitata est, neque in Sacra Scriptura neque in scriptis SS. Patrum invenitur. Nam Sacra Scriptura homines obsessos vel daemoniacos vel daemonium habentes appellat, quin ipsos terminos sive obsessionis sive possessionis adhibeat; Patres autem utroque quidem termino utuntur, sed sine graduum distinctione.

f) In obsessione non intrinseca sed mere extrinseca hominis et diaboli conjunctio habetur, quae est ad modum motoris et moti; et ideo diabolus nunquam *directum imperium in hominis voluntatem* obtinere potest. Quare neque blasphemia vel obscoena locutio aut alia hujusmodi, quae diabolus ex homine possesso extorquere potest, illi homini *necessario* ut peccata imputanda sunt. Nisi enim ipse liberum

voluntatis assensum praestet, propria ipsius dicta aut facta reputari nequeunt. Ipsa quoque obsessio *per se* neque *peccatum* est, neque necessario *peccati poena;* potest enim citra hominis culpam a Deo permitti, ad bonum aliquem finem consequendum. Neque tamen omnis apparens obsessio reapse talis est, cum signa e quibus dijudicari debet, fallacia esse possint. Et ideo Ecclesia exorcistam monet, "ne facile credat aliquem a daemonio obsessum esse, sed nota habeat ea signa quibus obsessus dignoscitur ab iis qui vel atra bile vel morbo aliquo laborant" (*Rit. Rom.* De Exorcis. Observ.). Signa autem obsessionis proprie dictae, juxta eandem auctoritatem, sunt, "ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; distantia et occulta patefacere; vires supra aetatis seu conditionis naturam ostendere, et id genus alia; quae, cum plurima concurrunt, majora sunt indicia."

g) Denique malos angelos posse multis aliis modis hominibus nocere, praesertim ubi ipsi homines sese eorum praestigiis objiciunt, facile patet. Huc non modo *directum cum diabolo commercium* pertinet, verum etiam *hypnotismus, magnetismus, spiritismus,* et id genus omne, quibus spiritus nequam plerumque utuntur ad homines decipiendos, ut eos sic deceptos demum secundum corpus et animam perdere valeant. De his tamen agi solet in *Theologia Morali,* quapropter ea hic nominasse sufficiat. Quaedam tamen puncta infra in appendice (nn. 566 sqq) exponentur. His igitur transmissis, tria in hac thesi probare suscipimus, nempe, I. *Angeli mali ex permissione Dei homines tentant;* II. *eos malis physicis afficiunt;* III. *eos obsessione infestant.*

417. ADVERSARII.—Primae parti theseos inter veri nominis Christianos nemo adversatur; eam tamen rejiciunt plurimi *Rationalistae* et *Liberales Protestantes,* qui vel ipsam diaboli existentiam negant, vel saltem ejus cum hoc mundo relationem admittere nolunt. Iidem etiam negant alteram et tertiam partem. Ad tertiam partem quod attinet, ad praecedentes fere accedunt quidam Catholici, inter quos *Jahn* (Archaeol. Bibl. § 194), qui in Sacris Litteris daemoniacorum nomine nihil aliud nisi quosdam aegrotos designari contendunt.

418. NOTA.—Prima pars est *de fide divina,* ut ex argumento infra ponendo clare apparebit.—Altera pars videtur etiam esse *de fide divina;* ut enim in argumento ostendetur, Sacra Scriptura daemonum impugnationem satis evidenter docet.—Tertia pars est *doctrina Catholica omnino certa;* immo si ad tempus Christi et Apostolorum restringatur, haec pars videtur esse de fide divina ex manifestis Sacrae Scripturae testimoniis, quae infra in argumento proferentur.

I. Angeli mali ex permissione Dei homines tentant.

419. ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.—Hoc argumentum triplici ratione constat: a) Scriptura docet *diabolum tentasse protoparentes* (Gen. 3, 1-8; Apoc. 12, 9), *Christum* (Mt. 4, 1-10), *Judam* (Jo. 12, 2, 7), *Ananiam* et *Saphiram* (Act. 5, 3). *Paulum* (II Cor. 12, 7).

b) Scriptura affirmat *homines a diabolo tentari;* ipse enim dicitur esse qui *seminat zizania* (Mt. 13, 25), *tollit verbum de corde hominum* (Lc. 8, 12), *expetivit ut cribraret Apostolos sicut triticum* (Lc. 22, 31), *operatur in filios diffidentiae* (Ephes. 2, 2; Rom. 16, 20).

c) Scriptura hortatur fideles ut *vitent tentationes diaboli;* dicit enim: "Sobrii estote, et vigilate; quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide" (I Petr. 8, 9); et iterum: "Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in caelestibus" (Ephes. 6, 11). Cf. I. Cor. 7, 5; Jac. 4, 7.

420. ARGUMENTUM ALTERUM: ex dictis SS. Patrum.—Haec dicta in fere omnium SS. Patrum scriptis inveniuntur, et ideo pauca adduxisse sufficiat. Ita v. g. *S. Irenaeus* ait: "Diabolus autem, quippe apostata existens angelus, hoc tantum potest, quod detegit in principio, seducere et abstrahere mentem hominis ad transgredienda praecepta Dei, et paulatim obcaecare corda eorum qui conarentur servire ei, ad obliviscendum quidem verum Deum; ipsum autem quasi Deum adorare" (Adv. Haer. l. 5, c. 24, n. 3; MG. 7, 1188). Item *Tertullianus:* "Operatio eorum (daemonum) est hominis eversio; sic malitia spiritalis a primordio auspicata est in hominis exitium." (Apologet. 22; ML. 1, 405).

Origenes hac in re testatur mentem Ecclesiae, cum scribit: "Est et illud definitum in ecclesiastica praedicatione, omnem animam rationabilem esse liberi arbitrii et voluntatis; esse quoque ei certamen adversus diabolum et angelos ejus contrariasque virtutes, ex eo quod illi peccatis eam onerare contendant, nos vero, si recte consulteque vivamus, ab hujusmodi onere nos exuere conemur" (De Princ. 1 praef. 5; MG. 11, 118). Et *S. Cyprianus* ait: "Sex milia annorum jam plene complentur ex quo diabolus homines impugnat. Omnia genera tentandi et artes atque insidias dejiciendi usu ipso vetustatis edidicit; si imparatum invenerit militem Christi, si non solicitum ac toto corde vigilantem, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum" (Exhort. ad Martyr. praef. 2; ML. 4, 658).

II. Angeli mali ex permissione Dei homines malis physicis afficiunt.

421. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Plura in Sacris Litteris narrantur, e quibus haec pars theseos clare constat. Ita in *Libro Job* legitur: "Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est; verumtamen animam illius serva. Egressus igitur Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus; qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio" (Job. 2, 6-8). Similiter in *Libro Tobiae* habetur: "Quoniam tradita fuerat (Sara) septem viris, et daemonium nomine Asmodaeus occiderat eos mox ut ingressi fuissent ad eam" (Tob. 3, 8).

Etiam in *Libro Psalmorum* narratur: "Misit in eos (Aegyptios) iram indignationis suae: indignationem et iram et tribulationem, immissiones per angelos malos" (Ps. 77, 49). Et in *Evangeliis* varii morbi infestationi diabolicae adscribuntur. Ita Mt. 12, 22: "Tunc oblatus est ei daemonium habens, caecus, et mutus, et curavit eum ita ut loqueretur, et videret." Iterum: "Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur; nam saepe cadit in ignem, et crebro in aquam. . . . Et increpavit illum (lunaticum) Jesus, et exiit ab eo daemonium, et curatus est puer ex illa hora" (Ibid. 17, 14-19).

422. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex dictis SS. Patrum.—Ita *Tertullianus* dicit: "Corporibus quidem et valetudines (daemones) infligunt, et aliquos casus acerbos, animae vero repentinos et extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad utramque substantiam hominis adeundam mira subtilitas et tenuitas sua" (Apologet. 22; ML. 1, 405). Et *S. Augustinus* ait: "Dolores corporis plerumque immittuntur ab angelis Satanae, sed hoc non possunt nisi permissi. Nam et Job sanctus sic probatus est. Permissus est ad eum probandum Satanas, et percussit eum vulnere, ut vermibus putresceret. Immundus enim permittebatur, sed sanctus probabatur" (Ennarr. in Ps. 130, n 7; ML. 37, 1708). Cf. *S. Chrysostomus* (Hom. 3 de patientia Job), *S. Hieronymus* (In Ps. 87, 43; In Joel, c. 2), *S. Gregorius Magnus* (Moral. l. 8, c. 6).

III. Angeli mali ex permissione Dei homines obsessione infestant.

423. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scripturam, a) Christus *multa daemonia ejiciebat;* b) haec ejectio daemoniorum *a sanatione infirmitatum plane distincta erat;* c) Christus *daemonia alloquebatur, eisque praecipiebat ut exirent;*

d) Christus dedit discipulis suis *potestatem ejiciendi daemonia, distinctam a potestate curandi infirmos:* **Atqui** hisce habitis necessario admittendum est angelos malos ex permissione Dei homines obsessione infestare: **Ergo.**

Minor probatione reapse non indiget; textus enim multi sunt et juxta obvium et naturalem sensum nihil aliud significare possunt. Sunt quidem qui dicant Christum in modo loquendi sese errori Judaeorum accommodasse; sed hoc absque injuria Christi dici nequit, et ideo omnino spernendum est.—*Major* probatur per partes, juxta divisionem superius indicatam.

a) *Christus multa daemonia ejiciebat:* "Et daemonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui quoniam sciebant eum" (Mc. 1, 34). Item: "Et erat ejiciens daemonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset daemonium, locutus est mutus, et admiratae sunt turbae. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia" (Lc. 11, 14, 15).

b) *Haec ejectio daemoniorum a sanatione infirmitatum plane distincta erat:* "Et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant" (Mt. 4, 24). Item: "Et curavit multos qui vexabantur variis languoribus, et daemonia multa ejiciebat" (Mc. 1, 34).

c) *Christus daemonia alloquebatur, eisque praecipiebat ut exirent:* "Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, et exclamavit dicens: Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio quis sis, Sanctus Dei. Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce et exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, et exclamans voce magna, exiit ab eo" (Mc. 1, 23-26). Iterum: "Interrogavit autem illum Jesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio, quia intraverunt daemonia multa in eum. . . . Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte; et rogabant eum ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo daemonia ab homine, et intraverunt in porcos; et impetu abiit grex per praeceps in stagnum, et suffocatus est" (Lc. 8, 20-34). Item: "Surde et mute spiritus, ego praecipio tibi, exi ab eo, et amplius non introeas in eum. Et exclamans, et multum discerpens eum, exiit ab eo" (Mc. 9, 25).

d) *Christus dedit discipulis suis potestatem ejiciendi daemonia, distinctam a potestate curandi infirmos:* "Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem" (Mt. 10, 1). Item: "Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam daemonia subjiciuntur nobis in nomine tuo"

(Lc. 10, 17). Et post resurrectionem dixit: "Signa autem eos, qui crediderint in me, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint non eis nocebit, super aegros manus imponent et bene habebunt" (Mc. 16, 16-18).

Discipuli autem post Christi ascensionem hac potestate utebantur; nam de aegrotis Petro oblatis dicitur: "Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes aegros, et vexatos a spiritibus immundis; qui curabantur omnes" (Act. 5, 16). Et de Philippo: "Intendebant autem turbae his quae a Philippo dicebantur unanimiter audientes, et videntes signa quae faciebat. Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. Multi autem paralytici et claudi curati sunt" (Act. 8, 6, 7). Et de Paulo, "puellam quandam habentem spiritum pythonem" alloquente: "Dolens autem Paulus, et conversus, spiritui dixit: Praecipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora" (Act. 16, 16-18). Et alio loco habetur: "Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur" (Act. 19, 12). Hic autem agi de daemoniis ex mox sequentibus patet; cum enim filii Judaei Scevae tentarent invocare super obsessos nomen Jesu, respondens spiritus nequam, dixit eis: "Jesum novi et Paulum scio; vos autem qui estis? et insiliens in eos homo, in quo erat daemonium pessimum, et dominatus amborum, invaluit contra eos" (Ibid. 14-16).

424.—ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.—Etiam post Christum et Apostolos esse daemoniacos, necnon Ecclesiam habere potestatem per suos ministros daemonia expellendi, testantur tum SS. Patres tum diversa concilia. Ita *S. Justinus Martyr,* qui tradit "plurimos esse daemoniis agitatos in toto orbe, et in urbe multos ex Christianis, cum per nomen Christi sub Pontio Pilato crucifixi adjurarent, ab aliis adjutoribus, incantatoribus, ac veneficis non sanatos sanavisse, atque etiamnum sanare, fractis et ejectis daemonibus homines detinentibus" (Apol. II, n. 6; MG. 6, 453). Item *Irenaeus,* qui ait: "Nonnulli in veritate et absque omni dubio daemones expellunt, ita ut saepius etiam a malis spiritibus liberati credant atque Ecclesiam ingrediantur" (Adv. Haer. l. 2, c. 32, n. 4; MG. 7, 829). Cf. *S. Cyprianus* (Ad Demetr. n. 15; ML. 4, 555), *S. Hieronymus* (Cont. Vigilant. n. 10; ML. 23, 348), *S. Athanasius* (De Incarn. Verbi, nn. 46, 47; MG. 25, 177).

Concilia vero diversas statuerunt regulas in sacris quoad energumenos servandas. Ita *Concilium Eliberitanum* (an. 305) decrevit: "Energumenum, qui ab erratico spiritu exagitatur, hujus nomen neque

ad altare cum oblatione esse recitandum, neque permittendum ut sua manu in ecclesia ministret.'' *Carthaginiense IV* (an. 398) statuit: ''Energumenis in domo Dei assidentibus victus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur.'' Insuper jam a primis Ecclesiae temporibus praescriptae fuerunt regulae et orationes quibus daemones exorcizarentur. Similes regulae etiam nunc vigent, et fere eaedem orationes adhibentur quandocumque aliquis obsessus exorcizandus est. Cf. *Codex Juris Canonici,* can. 1151-1153.

425. Scholion I: Num diabolus omni omnino tentationi se immisceat.

Hac de re non est una SS. Patrum et theologorum sententia, et res valde incerta est. *Suarez* (op. cit. l. 8, c. 19, n. 20) affirmativae sententiae favet; *S. Thomas* vero negativam defendit; et haec quidem probabilior videtur. Argumentatur autem *S. Thomas* hoc modo: ''Non enim omnia peccata committuntur diabolo instigante, sed quaedam ex libertate arbitrii et carnis corruptione; quia ut Origenes dicit lib. 3 Periar, cap. 2, etiamsi diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum, et venereorum, et hujusmodi; circa quae multa inordinatio contingit, nisi per rationem talis appetitus refrenetur, et maxime supposita corruptione naturae. Refrenare autem et ordinare hujusmodi appetitum, subjacet libero arbitrio; sic ergo non est necessarium omnia peccata ex instinctu diaboli provenire'' (I, q. 114, a. 3). Reponit vero Suarezius loco citato: ''Non est quaestio de potestate, sed de facto. . . . Unde autem constare potest daemonem non ita facere, cum sit valde consentaneum pravae illius voluntati, supposita infatigabili ejus natura.''

426. Scholion II: Num singuli homines praeter angelum custodem habeant etiam angelum malum ad eos tentandos.

Id voluerunt nonnulli Patres, et inter theologos haud pauci idem docent. Ita v. g. *S. Gregorius Nyssenus* scribit: ''Sermo quidem est, ex paterna traditione fidem habens, qui dicit natura nostra in peccatum lapsa, Deum non reliquisse miseriam nostram absque patrocinio, sed ab eo angelum aliquem, ex iis qui incorpoream naturam sortiti sunt, constitutum esse ad auxiliandum uniuscujusque vitae; e contrario autem corruptorem naturae machinari pariter per pravum aliquem et maleficum daemonem et inficere vitam hominis. Hominem vero inter hos duos medium esse, utroque comitantium finem oppositum ad alterum habente, ipsumque per se efficere uter praevalcat; bono quidem offerente cogitationibus bona virtutis, quae per spem a rectis conspiciuntur; altero autem offerente sordidas delectationes, a quibus nulla spes est bonorum, at res praesentes et possidendae et visibiles in servitutem sensus insipientium redigunt'' (De Vita Moysis; MG. 44, 337).

De hac sententia dicit *Suarezius:* "Fere communiter receptum est, unumquemque hominem duos habere angelos, bonum et malum. Ita sentit Magister, in 2, dist. 6 et 11, ubi alii scholastici; et sumi potest ex illo 2 Corinth. 12: Datus est mihi spiritus satanae, qui me colaphizet; et multi putant hujusmodi fuisse satanam, qui ad tentandum Job specialem licentiam petiit. Item, quod dicitur Joann. 13, de Juda, cum diabolus jam misisset in cor; et in Psalm. 108, et diabolus stet a dextris ejus, de proprio daemone ad illum impugnandum deputato recte intelligitur" (op. cit. l. 8, c. 21, n. 30).

427. Scholion III: Num angeli mali sub aliquo principe constituti sint.

Ad hanc quaestionem tam Patres quam theologi affirmative respondent; et re quidem vera hoc responsum ex clara Scriptura desumitur. In Sacris enim Litteris *Beelzebub* dicitur princeps daemoniorum (Mt. 12, 24), et ipse Jesus Judaeis respondens dicit: "Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere daemonia" (Lc. 11, 18). In hunc textum commentans, *Suarezius* ait: "Ubi supponit (Dominus) daemones inter se quasi unam rempublicam et unum regnum componere, cui praeest aliquis ut rex, qui suum regnum conservare studet. . . . De hac praelatione inter daemones ita scribit Hieronymus, in cap. 3, Habacuc: 'Sicut Ecclesiae et omnis viri Christus est caput, ita cunctorum daemonum, qui in saeculo debacchantur, caput est Beelzebub princeps daemoniorum.' Et Chrysostomus, hom. 42, in Matth.: 'Si diabolus, ait, princeps est, daemones illi subjiciuntur' " (op. cit. l. 8, c. 21, n. 5). Ab hoc principe officia malorum angelorum distribuuntur, fere ad modum quo S. Ignatius hanc rem describit in meditatione de "Duobus Vexillis."

Ille autem angelorum malorum princeps in scriptis SS. Patrum et theologorum communiter *Lucifer* vocatur, ex applicatione eorum quae prophetae (Is. 14, 12 sqq; Ez. 28, 1 sqq) de regibus Babylonis et Tyri dicunt; in Sacra Scriptura tamen ei illud nomen nunquam tribuitur, sed vel *Beelzebub,* vel *Satanas,* vel *diabolus* dici solet. "Ratio autem praelationis in Lucifero est partim ex naturali ejus excellentia, partim ex libera electione malorum angelorum, qui eum sibi belli ducem contra Deum et homines elegerunt" (*Pesch,* op. cit. n. 409).

428. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Juxta S. Jacobum (Jac. 1, 14, 15), "unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum": *Ergo* angeli mali homines non tentant.

Resp. Juxta S. Jacobum, unusquisque tentatur etiam a sua concupiscentia, *C.* Solum a sua concupiscentia, *N.* Imprimis enim textus in objectione allegatus ponitur in contradistinctione ad Deum; nam superius sacer scriptor dixerat: "Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat" (Ibid. 13). Praeterea aliquis potest a sua concupiscentia tentari, vel prout ea in se consideratur vel prout a diabolo excitata est; unde ipse S. Jacobus monet Christianos: "Resistite autem diabolo, et fugiet a vobis" (Jac. 4, 7).

2° Aequum non est ut infirmus contra fortem et ignarus contra astutum exponatur ad pugnam: *Atqui* hoc fieret si mali angeli homines tentarent: *Ergo.*

Resp. Aequum non est ut infirmus contra fortem et ignarus contra astutum exponatur ad pugnam, sine adjutorio Dei, quo ille infirmus et ignarus quamlibet tentationem superare potest si velit, *C.* Cum hujusmodi adjutorio, *N.* Sibi relictus homo est quidem infirmus et ignarus, praesertim ad malos angelos comparatus; sed divinae gratiae auxilium et angeli tutelaris custodia naturalem ejus improportionem supplent, quo fit ut conditio pugnae aequa reddatur.

3° S. Paulus monet fideles, "tentatio vos non apprehendat nisi humana": *Atqui* haec admonitio inutilis esset, si mali angeli homines tentarent: *Ergo.*

Resp. S. Paulus monet fideles, "tentatio vos non apprehendat nisi humana," id est, quae vestrae infirmitati est proportionata, *C.* Id est, quae non oritur nisi ex humana concupiscentia, exclusis tentationibus diabolicis, *N.* In illo textu (I Cor. 10, 12, 13) S. Paulus fideles confidere jubet se non alias tentationes passuros fore, nisi quas cum divino auxilio superare possint. Unde statim subjungit: "Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere."

4° Juxta S. Petrum (I Petr. 3, 22) Christus subjectis sibi angelis et potestatibus et virtutibus profectus est in caelum; et in aliis Scripturae locis dicitur Christus per mortem suam perfregisse inferorum portas, vicisse fortem armatum, captivam duxisse captivitatem, triumphum denique de inferno egisse: *Ergo* post Christi victoriam angeli mali hominibus nocere nequeunt.

Resp. Concedo antecedens, et distinguo consequens: Post Christi victoriam angeli mali hominibus nocere nequeunt plus quam ipse Christus permittere velit, *C.* Nullatenus hominibus nocere possunt, *N.* Haec et alia Scripturae loca solum denotant perfectum Christi dominium supra daemones; quapropter minime sequitur daemonum potestatem esse adeo perfecte ligatam, ut etiam ex permissione Christi vel

Dei homines tentare aut malis physicis afficere non possint. Contrarium enim ex nostris argumentis clare constat.

5° Illi qui in Sacris Litteris tamquam daemoniaci perhibentur, aut aegri aut insani erant: *Ergo* obsessio diabolica ex Sacris Litteris non probatur.

Resp. Illi qui in Sacris Litteris ut daemoniaci perhibentur, etiam aut aegri aut insani erant, *C.* Tantum aut aegri aut insani erant, *N.* Multos ex daemoniacis variis quoque morbis laborasse, tuto concedi potest; praesertim cum obsessio diabolica plerumque totam hominis animam et corpus perturbet. Hoc tamen non impedit quominus iidem simul veri nominis daemoniaci dicendi sint, ut superius (n. 423) firmiter probatum est.

6° *Atqui* tantum aut aegri aut insani erant; nam sacri scriptores dicunt eos a Christo fuisse sanatos (cf. Mt. 8, 16; 12, 22; Lc. 7, 2; Act. 10, 38): *Atqui* ab obsessione diabolica homines non proprie sanantur: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Sacri scriptores dicunt eos a Christo fuisse sanatos, ratione infirmitatis qua sub possessione diabolica laborabant et a qua curati sunt, *C.* Ratione ipsius possessionis diabolicae a qua liberati fuerunt, *subd.* Quatenus haec ipsa possessio infirmitas quaedam erat altioris ordinis a qua virtute Christi sanati sunt, *C.* Quatenus haec possessio non erat nisi infirmitas quaedam naturalis, *N.* Responsum datum ex ipsis textibus allatis satis patet.

7° Saltem post Christi mortem diabolica obsessio admitti nequit: nam ipse Christus paulo ante passionem dixit (Jo. 12, 31): "Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras": *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, quatenus per diffusionem religionis Christi idololatria paulatim e mundo depulsa est, *C.* Quatenus diabolus nunc ita ligatus est, ut homines infestare ei non amplius permittatur, *N.* Argumentum ex traditione desumptum (supra, n. 424) clare evincit etiam post Christi mortem existere daemoniacos, necnon esse in Ecclesia potestatem expellendi daemonia, qua etiam nunc ministri ad id constituti data occasione utuntur.

TRACTATUS SECUNDUS

DE NOVISSIMIS

TRACTATUS II°

DE NOVISSIMIS

Sicut Deus est omnium rerum creator et conservator, ita est etiam earundem rerum consummator; eas enim non modo condidit atque conservat, verum etiam ad finem ipsis praestitutum perducit. Illa autem quae ad creaturarum finem pertinent, sive ipsum finem constituunt sive cum eo aliquo modo connexa sunt, earum *novissima* (τὰ ἔσχατα) dici solent. Et haec quidem in *novissima hominis* et *novissima mundi* dividuntur, prout vel ad singulos homines vel ad universum genus humanum spectant. Novissima hominis sunt *mors, judicium particulare, purgatorium, caelum, infernus;* novissima vero mundi, *resurrectio mortuorum* et *judicium universale.* Ex novissimis hominis duo priora, nempe mors et judicium particulare, omnibus hominibus communia sunt; reliqua autem tria, purgatorium, caelum, infernus, diversos homines pro meritorum aut demeritorum ratione diversimode spectant. Cum novissimis mundi quodammodo connectitur ipsa hujus mundi destructio ac renovatio per ignem, ita ut deinceps novi sint caeli novaque existat terra. De his igitur ex ordine disserendum erit; quapropter totus hic tractatus *De Novissimis* inscribitur, vel juxta recentiores etiam *Eschatologia* vocari consuevit.

SECTIO I

De Novissimis Hominis

ARTICULUS I

De Ipso Fine Ultimo

430. Ex praecedente tractatu probatum relinquitur Deum condidisse mundum ad suam bonitatem manifestandam atque glorificandam; et ideo ipse Deus est causa finalis mundi, sicut etiam est causa mundi efficiens et exemplaris. Manifestatio bonitatis Dei eo ipso obtinetur, quod res a Deo creatae existunt; existere enim res creatae nequeunt nisi quatenus Dei bonitatem participant, eamque participando manifestant. Haec tamen manifestatio per se mere objectiva est, nec quidquam aliud nisi fundamentum illius gloriae suppeditat, quam Deus ex hoc mundo obtinere voluit. Quare praeter mundum materialem Deus creavit hominem, intellectu et voluntate praeditum, qui ipsum mundi creatorem cognoscere potest eumque laudare tenetur. Itaque per hominem ipse mundi finis obtinendus est.

431. Obtinetur autem ille finis imperfecte jam in hac vita; sed perfecte solum in vita futura. Omnis namque Dei cognitio in hac vita imperfecta est, sicut etiam imperfectus est amor Dei inde resultans; cognitioni autem et amori proportionata sit oportet gloria Deo tributa, quippe quae ex ipsa hac cognitione et amore procedit. Potest tamen ac debet haec gloria Dei magis magisque in dies splendescere, quatenus scilicet homo scientia semper et amore erga Deum proficere tenetur, usquedum ad illum statum perveniat, in quo ipse Deus erit merces ejus magna nimis. Tum demum homo Deum perfecte cognoscet atque amabit, eique illam mensuram gloriae tribuet, ad quam reddendam a Deo creatus fuit.

432. Per se quidem posset illa gloria Dei intra ambitum naturae contineri, coalescens nimirum ex cognitione et amore mere naturali; in hac enim gloria jam sufficiens ratio creationis haberetur, et sic possibilis dicendus est status naturae purae. Voluit tamen Deus ut sibi tribueretur gloria altioris ordinis, quae in praesente vita ex cognitione fidei et ex amore filiali coeptum haberet, in vita autem futura per beatam Dei fruitionem compleretur. Quapropter hominem ad

statum supernaturalem evexit, eumque per infusionem gratiae sanctificantis ad finem creaturae prorsus indebitum ordinavit. Unde in praesente ordine providentiae alius finis ultimus non datur, nisi ille qui in supernaturali Dei glorificatione consistit.

433. In hac autem Dei glorificatione duo quodammodo distingui debent, bonum videlicet hominis et ordinatio istius boni ad Deum. Bonum hominis est summa illa felicitas, quae homini ex visione Dei in caelo proveniet. Haec felicitas est quidem finis ultimus creationis, non tamen simpliciter sed intrinsecus dumtaxat; quatenus scilicet ultimo perficit ipsum opus creationis, prout illud in homine summum tandem sui perfectionis gradum attingit. Non enim propter se ipsam a Deo volita est illa felicitas, sed propter ipsius Dei glorificationem quae sua sponte inde resultat. Nam propter se ipsum Deus cuncta operatus est, et gloriam suam alteri non dabit (Is. 48, 11). Itaque finis mundi simpliciter ultimus, qui etiam extrinsecus dicitur, est ipse Deus glorificandus; vel, quod ad idem redit, finis mundi simpliciter ultimus est gloria Dei extrinseca formalis, quatenus nempe ipsa hominis beatitudo in Dei laudem cedit. Et hoc quidem sensu glorificatio Dei et perfecta beatitudo hominis objective in unam eandemque rem coalescunt, quae ad hominem simul et Deum ordinatur, sed ita ut hominis beatitudo Dei glorificationi subordinata existat.

434. Ad hunc igitur finem homo in terra versans tendere debet, et in ipso tandem plane satiatus requiescet. Ex se solo utique homo hunc finem assequi nequit, quia finis supernaturalis est, et ideo ejus assecutio omnes naturae vires excedit. Homini tamen praesto est ipse Deus, qui praestituendo finem simul etiam media ad finem consequendum necessaria pro sua liberalitate abunde supplevit. Hisce igitur mediis si homo uti velit, ipse tandem ad Deum, finem suum ultimum supernaturalem, feliciter perveniet.

ARTICULUS II

De Morte Hominis

THESIS XXXII.—Vi legis universalis, propter Adami peccatum latae, statutum est hominibus semel mori; in ipsa autem morte status viae, seu tempus merendi et demerendi, finitur.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I. II, q. 85, a. 6; q. 81, a. 3 ad 1; *Suppl.* q. 78, a. 1; Suarez, *De Mysteriis Vitae Christi,* disp. 50, sect. 2; Palmieri, *De Novissimis,* 1 sqq.; Billot, *De Novissimis,* c. 1, q. 1; Jungmann, *De Novissimis,* c. 1, a. 1; Pesch, *Praelect.* IX, nn. 561 sqq.; Muncunill, *De Novissimis,* nn. 762 sqq.; Mendive, *De Novissimis,* nn. 3 sqq.; Tepe, *De Novissimis,* nn. 937 sqq.; Katschthaler, *Theol. Dogm.* l. 4, nn. 5 sqq.; Cornely, *Commentarius* in 1 Cor. 15, pp. 506 sqq.; Pohle-Preuss, *Eschatology,* p. 1, c. 1.

435. **STATUS QUAESTIONIS.**—Homines generatim loquendo esse morti obnoxios ita ut post brevius vel longius vitae spatium aliquando moriantur, probatione non indiget; est enim factum ipso eventu satis probatum. Nam si Henoch et Eliam excipias, singuli homines e terra migrantes vitam denique morte clauserunt; neque in futurum alia hominum sors exspectanda est, nisi forte pro justis qui in ipsa mundi consummatione superstites erunt. Varia tamen de hominis morte quaeri possunt ac debent; et haec quidem modo exponemus.

436. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Homo ex sua natura mortalis est, ideoque sibi relictus aliquando mori debet. Attamen in praecedente tractatu (nn. 208 sqq) probatum est hanc naturalem moriendi necessitatem gratuito Dei dono ablatam fuisse, quapropter si posthac mors de facto occurrat, ea jam non potest soli humanae defectibilitati adscribi, sed ex *aliqua Dei lege* vel *decreto* petenda est. Lex autem illa lata est propter Adami peccatum, in cujus poenam Deus abstulit donum corporalis immortalitatis, ab initio protoparentibus earumque posteris gratuito collatum. Nunc igitur homines non simpliciter moriuntur, ex sola scilicet naturae necessitate; sed moriuntur tamquam *rei ad mortem damnati,* propter peccatum ab omnibus in Adamo commissum.

b) Illa lex mortis dicitur universalis, neque tamen ita ut omnis prorsus exceptio excludatur. Omnes quidem homines per Adami peccatum *mortales* facti sunt, sed inde non necessario sequitur omnes *actu* morituros fore. Sicut enim Deus mortem in poenam peccati decrevit, ita etiam aliquibus illam poenam remittere potest. Et hanc poenae remissionem multi inter Patres et theologos quoad illos justos tenent, qui in fine mundi victuri sunt. Illi quoque *debitum moriendi* habebunt, et hoc sensu sub lege mortis erunt; sed illud debitum eis probabiliter remittetur, ideoque actu morituri non sunt. De his tamen exceptionibus infra in scholio ulterius quaerendum erit.

c) Dicuntur homines *semel* mori, quod *"semel"* tamen juxta legem generalem intelligi debet. Per modum enim exceptionis fieri potest, ut mortuus aliquis ad vitam revocetur et postea iterum moriatur. "Verum etiam tunc lex generalissima manet, mortem, quae terminus est probationis, semel contingere. Probatio enim absolvitur sequente judicio, quod non habet locum cum anima est ad corpus reditura; quod Deus jam praenoscit se facturum. Revocans porro Deus animam, corpus quoque instaurat ut sit idoneum operibus vitae" (*Palmieri,* op. cit. § 10).

d) Est autem mors separatio *animae et corporis,* ita tamen ut *anima superstes maneat.* Unde compositum humanum desinit quidem esse, non vero istius compositi pars principalis. Immo haec pars, seu anima rationalis, non modo existere pergit, verum etiam *proprias suas*

actiones in statu separationis habet. Vita vegetativa et sensitiva, quae proprie compositi est, in ipsa compositi dissolutione cessat; non vero etiam vita *intellectiva* seu *rationalis*. Modus cognoscendi objecta singularia quidem diversus est, cum anima separata ope sensuum ad ea cognoscenda jam amplius determinari nequeat; factum tamen cognitionis certe admitti debet, tum quia revelatio id docet, tum etiam quia anima separata est ens vivens in actu primo, ideoque naturaliter ad propriam aliquam operationem ordinatur. Cum igitur anima post mortem hominis ad modum spiritus existat, per modum quoque spiritus operetur necesse est. Haec tamen jam in philosophia exposita atque probata sunt.

e) Itaque anima separata tam intelligere quam velle potest, status tamen *viae* in ipsa morte terminatur Haec terminatio non ex ipsa rei natura sequitur, sed a libera Dei voluntate ordinata est. Quamdiu enim anima libere agere valet, per se nihil obstat quominus in via ad aeternum suum statum maneat; voluit tamen Deus ut huic viae in ipsa morte terminus imponeretur, et ideo post mortem *neque merendi neque demerendi* tempus esset. Itaque vita nostra terrena dicitur *via* respectu aeternitatis, ad quam ab ipsa jam prima nostra nativitate properamus. Estque haec via tempus nostrae probationis, quo durante recte vivendo aeternam beatitudinem mereri tenemur. Hujus viae terminus est ipsa mors, prout animae et corporis separatio per judicium mox secuturum quasi confirmatur. Quare post mortem animae conditio *essentialiter* mutari jam nequit; aut enim Dei gratia ornata aeternaliter salva erit, aut gravi peccato inquinata in sempiternum damnata existet. Potest tamen mutari quasi *accidentaliter*, quatenus nempe anima justa nondum plene purgata ad tempus in purgatorio detinetur; neque tamen ista purgatio animae *meritoria* erit, cum ipsa jam sit in *termino* constituta.

f) Haec tria in nostra thesi probanda esse videntur: I. *Vi legis universalis, propter Adami peccatum latae, statutum est hominibus semel mori.* II. *Mors consistit in separatione animae et corporis, ita tamen ut anima superstes maneat.* III. *In ipsa morte status viae, seu tempus merendi et demerendi, finitur.* In prima tamen parte solum debitum mortis probabitur; utrum enim omnes homines actu morituri sint necne, convenientius infra in scholio declarabitur.

437. ADVERSARII.—Primae parti theseos adversantur *Pelagiani, Sociniani,* multi *Protestantes,* et in genere omnes qui existentiam peccati originalis negant. Juxta eos necessitas moriendi ex sola lege naturae repetenda est. Alteram partem negant omnes *Materialistae,* qui totum hominem in morte perire docent, cum juxta eos compositum humanum ex sola materia organizata constet. Ad hos fere accedunt *Positivistae,* qui a vita futura, sitne an non, abstrahentes, contendunt

finem ultimum humanae activitati propositum totaliter intra hanc vitam terrestrem contineri. Huic parti suo modo etiam adversantur *Pantheistae,* juxta quos anima humana post mortem in ipsum ens universale, seu in magnum Πᾶν, ita refunditur, ut individualem existentiam non jam amplius habeat.

Tertiam partem theseos olim impugnabant *Origenistae,* ipso *Origene* duce, qui affirmabant justos in altera vita a Deo deficere posse, et e contrario damnatos ad Deum converti, ideoque tempus merendi et demerendi morte non concludi. Quoad injustos aliquid simile saeculo elapso docuit *Hirscher* (Theol. Moral. t. 3, § 692) et hoc saeculo *Schell* (Dogmatik, III, 735), juxta quos etiam in vita futura iis omnibus tempus resipiscendi conceditur, qui enormibus peccatis gravati non sunt, sed solum propter peccata quodammodo minora gratia sanctificante orbati existunt. Denique hanc tertiam partem illi omnes quoque impugnant, qui *animarum reincarnationi* favent; qui quidem error jam antiquissimis temporibus late vigebat, et plurimos etiam hisce diebus asseclas nactus est.

438. **NOTA.**—Prima pars, ut in thesi defenditur, est *de fide tenenda,* tum ex clara Scriptura (Gen. 2, 17; Rom. 5, 12), tum etiam ex definitionibus Ecclesiae (cf. *Trident.* sess. 5 can. 1, 2; DB. 788, 789). Item altera pars (cf. Eccl. 12, 7), quae quoad immortalitatem animae explicite definita est in *Concilio Lateranensi V* (sess. 8; DB. 738). Tertia pars proponit *sententiam omnino certam et communem.*

I. Vi legis universalis, propter Adami peccatum latae, statutum est hominibus semel mori.

439. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Juxta Sacram Scripturam, Deus a) *Adamo, ut non de ligno vetito comederet mortem comminatus est;* b) *post comestionem Adamum ad mortem damnavit;* c) *haec mors in omnes Adae posteros pertransiit;* d) *statutum est hominibus semel mori:* **Ergo.**

Consequens per se liquet; eo enim ipso quod Deus mortem in sanctionem legis statuit, lex mortis propter Adami peccatum lata est; et cum mors sic statuta in omnes Adae posteros pertransierit, ipsa lex mortis universalis dicenda est; ideoque vi legis istius omnibus statutum est semel mori. Itaque solum *antecedens* probari debet; probatur autem per partes, juxta divisionem indicatam.

a) *Deus Adamo, ut non de ligno comederet, mortem comminatus est:* "Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum; praecepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo,

morte morieris'' (Gen. 2, 15-17). Juxta nunc fere communem interpretationem, illud ''morte morieris,'' prout in textu occurrit, significat ''mortalis eris,'' vel ''ita morti subjectus eris, ut aliquando mori debeas'' (cf. *Palmieri,* op. cit. § 7).

b) *Post comestionem Deus Adamum ad mortem damnavit*: ''Adae vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. . . . In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris'' (Gen. 3, 17-20).

c) *Haec mors in omnes Adae posteros pertransiit:* ''Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt'' (Rom. 5, 12).

d) *Statutum est hominibus semel mori:* ''Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium; sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata'' (Hebr. 9, 27, 28).

440. ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.—Etsi plures SS. Patres docuerunt non omnes homines actu morituros esse, uno tamen ore confitentur *debitum mortis una cum peccato originali, et quidem ut peccati poenam, in omnes Adae posteros transiisse;* hoc ex jam antea probatis (cf. nn. 248 sqq) satis constat.

II. Mors consistit in separatione animae et corporis, ita tamen ut anima superstes maneat.

441. ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.—Sacra Scriptura docet, a) *in morte hominis corpus reverti in terram, ejus animam vero redire ad Deum;* b) *mortem esse dissolutionem hominis, eo fine intentam ut anima sit cum Christo;* c) *mortem esse peregrinationem animae a corpore, ut sit praesens ad Dominum;* d) *animas justorum esse in manu Domini, justos in perpetuum vivere et apud Dominum esse mercedem eorum, et iniquos ad infernum damnari:* **Atqui** haec necessario ostendunt, non modo mortem esse separationem animae et corporis, verum etiam animam morti superstitem fore: **Ergo.**

Minor est evidens ex ipsis terminis.—*Major* innumeris fere textibus probari potest, ex quorum numero sequentes sufficiant.

a) *Eccl. 12, 1-7:* ''Memento creatoris tui in diebus juventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis, . . . et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.''

b) *Phil 1, 23:* ''Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.'' *II Tim. 5–8:* ''Ego enim jam delibor, et

tempus resolutionis meae instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus."

c) *II Cor. 5, 1*: "Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in caelis."

d) *Sap. 3, 1 sqq:* "Justorum autem animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, . . . illi autem sunt in pace." *Sap. 5, 1 sqq:* "Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis; dicentes intra se, poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et similitudinem improperii . . . ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. . . . Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt. . . . Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum."

442. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex traditione.—Mens SS. Patrum ex iis testimoniis jam satis constat, quae supra (n. 143) quoad immortalitatem animae allegata sunt. Ceterum tota Christiana religio hac fide nititur, ideoque ab antiquissimis temporibus Christi fideles in symbolis suam fidem in "vitam aeternam" ubique profitebantur. Quo sensu etiam statuit *Concilium Lateranense V:* "Damnamus et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse" (sess. 8; DB. 738).

III. In ipsa morte status viae, seu tempus merendi et demerendi, finitur.

443. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Sacra Scriptura docet, a) *usque ad mortem pro justitia esse certandum;* b) *ante mortem esse operandum, quia post hanc vitam venit nox, quando nemo potest operari;* c) post mortem unumquemque referre quae vivens *in corpore gesserit, sive bonum sive malum*: **Atqui** hoc perinde est ac in morte statum viae, seu tempus merendi et demerendi, finiri: **Ergo.**

Minor per se patet.—*Major* hisce textibus satis probatur: a) *Eccli. 14, 13-17:* "Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigens da pauperi, non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te praetereat. . . Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum."

b) *Jo. 9, 4:* "Me oportet operari opera ejus qui misit me donec dies est (i. e. quamdiu sum in mundo) : venit nox, quando nemo potest operari." Haec propositio generalis est, et per noctem significatur tempus mortis, seu tempus a morte incipiens, quando nemo amplius operari, id est, mereri potest. Idcirco, "qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit" (Mt. 10, 22), et "esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae" (Apoc. 2, 10). Quapropter "bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum" (Gal. 6, 9, 10). Et quia post mortem neque merendi neque demerendi locus invenitur, inde Lazarus e vita decedens statim in sinum Abrahae receptus est, dives vero in infernum missus, unde non amplius esset exiturus (Lc. 16, 22 sqq.).

c) *II Cor. 5, 10:* "Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum." Igitur "et vos estote parati; quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet" (Lc. 12, 40).

444. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.**—Haec traditio ex scriptis SS. Patrum dilucide probatur. Ita v. g. *S. Cyrillus Alexandrinus,* in Joan. 9, 4 commentans, ait: "Diem hic corporeae vitae tempus nominat, noctem vero diem mortis. Nam cum dies tributa sit operibus, nox autem otio et somno, idcirco vitae tempus, quo operandum est bonum, diem esse dicunt, noctem vero dormiendi tempus, quo ab omni opere (meritorio) cessandum est" (In Jo. 1. 6; MG. 73, 959). Item *S. Augustinus:* "Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo se autem speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri" (Enchir. c. 110; ML. 40, 283). Et *S. Gregorius Magnus,* cum ait: "Quia et venturae mortis tempus ignoramus et post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem tempora indulta rapiamus" (In Evang. hom. 13; ML. 76, 1127). Similiter loquuntur *S. Hieronymus* (In Eccl. 9, 5), *S. Chrysostomus* (In Mt. hom. 36, n. 3), *S. Joannes Damascenus* (De Fide Orthod. l. 2, c. 4), alii.

445. *Confirmatur* haec pars ex unanimi consensu theologorum, ut videre est apud *Suarezium* (De Grat. l. 12, c. 15; De Angelis, l. 6, c. 4, nn. 9 sqq). "Iidem communissime statuunt, ultimam rationem, cur vita mortali tempus merendi absolvatur, esse voluntatem Dei, cum per se fieri possit, ut etiam post mortem maneat facultas merendi, vel etiam ut ante mortem finiatur. Nihilominus, quia aliquod tempus merito et aliud tempus retributioni statuendum est, nullus terminus convenientius statui potest quam ille, in quo homo esse desinit, quod erat, compositum ex anima et corpore. Nam cum non sola anima, sed etiam corpus

ad merendum et demerendum conferat, status meriti apte finitur, quando principium merendi totale existere desinit. Praeterea etiam deficeret necessaria sanctio legis divinae in hac vita, si hominibus persuasum esset se posse in altera vita supplere omnia, quae hic praetermissa sunt, et resarcire omnia, quae hic peccata sunt'' (*Pesch*, op. cit. n. 574).

Denique in schemate definitionis ''De Doctrina Catholica'' in *Concilio Vaticano* praeparato haec leguntur: ''Docemus et definimus post viam hujus vitae, quando homines jam ad terminum retributionis pervenerunt, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum, pro nulla letali culpa relictum esse locum salutaris paenitentiae et expiationis, sed cuivis peccato mortali, quo maculata anima mox post obitum coram sancto et justo judicio Dei comparuerit, poenam constitutam esse perpetuam'' (Coll. Lac. t. 7, col. 517).

446. Scholion: Num omnes homines morituri sint.

Hac de re tum inter Patres tum inter theologos duplex occurrit sententia, altera affirmans et altera negans. Restringitur tamen quaestio ad illos homines justos, qui in consummatione mundi victuri sunt. Henoch quidem (Gen. 5, 24; Hebr. 11, 5) et Elias (IV Reg. 2, 11) vivi assumpti sunt, et redituri creduntur ad finem mundi; sed communiter fere tenetur eos tunc tandem morituros esse, quod ipsa quoque Sacra Scriptura (Apoc. 11, 3 sqq.) docere videtur. Neque de morte iniquorum, qui proxime ante finem mundi superstites erunt, aliquod dubium movetur; de iis enim nihil revelatum invenitur, et ideo juxta universalem legem morituri supponuntur. Quare de solis justis in consummatione mundi victuris quaestio esse potest.

Ad hos autem quod attinet, fons dubitationis sunt verba Apostoli quae in prima epistola ad Corinthios (c. 15, v. 51) occurrunt. Eorum enim tres diversae habentur lectiones, quarum duae affirmant omnes morituros esse, dum una ponit justos tempore secundi adventus Christi viventes sine morte glorificatum iri. Haec autem, ut patet, contradictorie ponuntur, et ideo simul vera esse non possunt. Quia igitur lectiones diversae sunt, etiam de ipsa re diversae inter Patres et theologos ortae sunt sententiae. Tres autem illae lectiones sunt:

1. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur—πάντες μὲν ἀναστησόμεθα, οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα.

2. Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur—πάντες μὲν κοιμηθησόμεθα, οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα.

3. Omnes non dormiemus, sed omnes immutabimur—πάντες οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα.

In omni autem lectione verbis modo citatis praemittitur haec declaratio: ''Ecce, mysterium vobis dico—Ἰδοὺ, μυστήριον ὑμῖν λέγω'';

et ideo ea sola lectio vera esse potest, quae aliquod mysterium importat.

In hunc textum commentans, *Cornely* ostendit tertiam lectionem esse certe genuinam, tum ex eo quod in longe pluribus iisque melioribus codicibus inveniatur, tum etiam exinde quod contextus eam evidenter postulet. Nam "in toto hoc tractatu de solorum justorum resurrectione egit Paulus; quid igitur sibi hic vult resurrectio reproborum? Et quomodo Paulus adhibita prima persona (non omnes immutabimur) sese ipsum inter eos, qui in statum gloriosum non immutabuntur, numerare potuit? Quomodo, si hic dicit, non omnes resurgentes mutatum iri, in versu sequente dicere potuit: 'mortui resurgunt incorrupti (ergo mutati) et nos immutabimur'? . . . Juxta primam et secundam lectionem explicari nequit, qua in re situm sit mysterium, quod sese esse revelaturum Paulus dicit. . . . Juxta tertiam vero lectionem res est clara; justos ante adventum Domini mortuos gloriose esse resurrecturos, Apostolus in praecedentibus demonstraverat; restabat igitur ut de sorte illorum, quos judex adveniens vivos esset inventurus, neophytos edoceret; atque hunc in finem revelat, illos non esse morituros sed vivos transmutatum iri in statum gloriosum. Tam magnum est hoc mysterium, ut etiam hodie multi theologi illud cum universali mortis lege conciliare nequeant" (Comment. in I Cor. p. 507).

Hanc textus interpretationem omnes fere Patres Graeci et nonnulli etiam Latini tradunt, et sic illam tertiam lectionem veram habent. Ita v. g. *S. Chrysostomus,* qui ait: "Venerandum quidpiam et arcanum, et quod non omnes norunt, est dicturus; quod etiam ostendit magnum honorem quo eos afficit, nempe iis arcana dicere. Quid hoc autem est? 'Non omnes quidem moriemur, et omnes immutabimur'. Hoc est autem, quod dicit: Non omnes quidem moriemur, omnes autem immutabimur, etiam qui non moriuntur; nam illi quoque sunt mortales. Ne ergo, quoniam morieris, propterea, inquit, timeas tamquam non resurrecturus; sunt enim aliqui, sunt, qui etiam hoc effugient. Neque tamen hoc iis sufficit ad illam resurrectionem, sed oportet illa quoque corpora, quae non moriuntur, immutari et transire ad incorruptionem" (In I Cor. hom. 42, n. 2; MG. 61, 364).

Insuper cum hac interpretatione omnino concordat, quod Apostolus alibi (I Thess. 4, 14 sqq.) scribit, nimirum: "Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos qui dormierunt. Quoniam . . . mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi (πρῶτον); deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera; et sic semper cum Domino erimus." In quem textum commentans, *S. Augustinus* dicit: "Revera quantum ad verba beati Apostoli attinet, videtur asserere quosdam in fine saeculi, adveniente Domino, cum futura est resurrectio mortuorum,

non esse morituros, sed vivos repertos in illam immortalitatem, quae sanctis etiam ceteris datur, repente mutandos et simul cum illis rapiendos, sicut dicit, in nubibus. Nec aliquid aliud mihi visum est, quoties de his verbis volui cogitare'' (Epist. 193, n. 9; ML. 33, 872). Eodem sensu etiam interpretatur, quod Christus in symbolo dicitur ''judicaturus vivos et mortuos'' (Ibid. n. 11; ML. 33, 873).

Attamen alibi (De Civ. Dei, l. 20, c. 20, n. 2, et Retract. l. 2, c. 33; ML. 41, 688, 32, 644) magis inclinat in sententiam oppositam, quamvis hanc non damnet. Unde factum est, ut sententia omnes justos, etiam tempore adventus Domini viventes, esse morituros et statim resurrecturos inter Occidentales tamquam probabilior atque securior haberi coepta sit. Quare etiam *S. Thomas* ait: ''Probabilius et convenientius tenetur, quod omnes illi, qui in adventu Domini reperientur, morientur et post modicum resurgent. Si tamen hoc verum sit, quod aliqui dicunt, quod illi numquam morientur, sicut Hieronymus narrat diversorum opiniones in quadam epistola ad Minerium, dicendum est, quod, illi etsi non moriantur, est tamen in iis reatus mortis, sed poena aufertur a Deo, qui etiam peccatorum actualium poenas condonare potest'' (I. II, q. 81, a. 3 ad 1). Eodem ferme modo suam mentem exponit *Suarezius* (De Myst. Vitae Christi, disp. 50, sect. 2). Huc accedit etiam auctoritas *Catechismi Romani* (P. 1, c. 12, n. 6), qui ponit sententiam omnes morituros esse, nemine excepto, esse veritati magis convenientem. Plurimi tamen recentiores theologi oppositam sententiam ut probabiliorem tuentur (cf. *Palmieri,* op. cit. § 7).

447. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Homines ex sua natura mortales sunt: *Ergo* non moriuntur vi legis universalis propter Adami peccatum latae.

Resp. Homines ex sua natura mortales sunt, simul tamen ante peccatum dono Dei facti fuerunt immortales, *C.* Et ante peccatum non facti fuerunt immortales, *N.* Per se quidem mors est homini naturalis, cum ex ipsa rei natura ea sit humani corporis conditio, ut paulatim atteratur et sic tandem functionibus vitalibus impar fiat; cum tamen absque peccato omnes ex dono Dei immortales fuissent, nunc de facto vi legis propter Adami peccatum latae moriuntur. ''Unde in hoc ordine mors est poena peccati originalis, quae quidem in baptizatis formalem rationem poenae amisit, sed ex sapienti Dei consilio, etiam remisso peccato, per modum poenalitatis relicta est'' (*Pesch,* op. cit. n. 561).

2° *Atqui* in hoc ordine mors non est poena peccati originalis; nam neque Christus neque Beata Virgo peccato originali inquinati erant, tamen mortui sunt: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Christus utique nullo modo subjectus erat peccato originali, et ideo omnino libere mortuus est, sive dicatur habuisse praeceptum moriendi sive non; Beata autem Virgo, licet peccato originali actu non inquinata fuerit, habuit tamen debitum illud incurrendi, et ideo potuit Deus velle ut ipsa mortem tamquam poenalitatem ad peccatum originale consequentem subiret. Insuper omnino congruum erat ut moreretur, cum ita magis conformis esset Filio suo, qui pro nobis mori voluit.

3° Juxta Sacram Scripturam (Eccl. 3, 19), "unus interitus est hominis et jumentorum, et aequa utriusque conditio": *Ergo* in morte totus homo perit, ita ut anima morti non superstes sit.

Resp. Juxta Sacram Scripturam unus interitus est hominis et jumentorum, quod eorum vitam terrestrem spectat, *C.* Quod spectat eorum conditionem post mortem, *N.* Haec tamen difficultas, una cum aliis quae ex eodem libro desumi solent, jam in praecedente tractatu (n. 146) soluta est.

4° Si anima morti superstes erit, etiam post mortem libera manebit: *Ergo* post mortem tempus merendi et demerendi manet.

Resp. Anima post mortem quoad quaedam objecta libera manet, *C.* Quoad omnia objecta, ita ut etiam libera sit quoad Deum finem ultimum supernaturalem, *N.* Caret autem anima hac libertate "ob duplicem rationem: Prima ratio est voluntas Dei, quae mortalem vitam unice constituit tempus merendi; ergo actus alterius vitae non jam acceptantur a Deo meritorii aut demeritorii. Altera ratio est, quod animae post mortem sunt in statu immobilis relationis ad Deum, quia aut Deum vident intuitive, et necessitantur ad ejus amorem; aut sunt in damnatione, et Deum concipiunt ut suis desideriis ita oppositum, ut cum diligere non possint" (*Pesch,* Compend. II, n. 413). Unde post mortem nec merito congruo locus est, quo scilicet remote ad beatitudinem via aperiatur. Cf. *Suarez* (De Poenit. disp. 47, sect. 2, n. 3).

5° Fieri potest ut anima cum uno tantum peccato mortali e vita decedat, et quidem antequam tempus poenitendi habuerit: *Atqui* hujusmodi animae post mortem nullum resipiscendi tempus concedi, Dei misericordiae adversari videtur: *Ergo.*

Resp. Concedo majorem, et nego minorem. Nam eo ipso quod homo in re gravi deliberate peccat, omnem ad aeternam hereditatem titulum rejicere censendus est, et ideo Deus ratione misericordiae nullatenus tenetur ad gratiam poenitentiae ei concedendam. Casus propositus forte nunquam accidit; salva tamen summa Dei misericordia accidere potest.

ARTICULUS III

De Judicio Particulari

THESIS XXXIII.—Statim post mortem fertur de anima sententia judicialis, qua ejus sors aeterna determinatur.

Cf. S. Thomas, *Suppl.* q. 69, a. 2; q. 88, a. 1; *Cont. Gent.* l. 4, c. 91; Suarez, *De Mysteriis Vitae Christi,* disp. 52, sect. 2; De Valentia, *De Beatitudine,* disp. 1, q. 4; Bellarminus, *De Beatitudine Sanctorum,* l. 1, cc. 1 sqq.; Lessius, *De Summo Bono,* l. 3, c. 1; Palmieri, *De Novissimis,* § 15; Billot, *De Novissimis,* c. 2, q. 2; Jungmann, *De Novissimis,* a. 2; Pesch, *Praelect.* IX, nn. 577 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* n. 1406; Muncunill, *De Novissimis,* nn. 778 sqq.; Lahousse, *De Novissimis,* nn. 296 sqq.; Pohle-Preuss, *Eschatology,* p. 1, c. 2.

448. **STATUS QUAESTIONIS.**—Cum status viae in morte terminetur, pronum est concludere mox post mortem uniuscujusque hominis aeternam conditionem juridice determinari. Unusquisque enim singularis post vitam peractam aut mercede dignus est aut poena, nec apparet ratio cur judicis sententia de ejus aeterna conditione in futurum differenda sit. Verum quidem est universum genus humanum judicatum iri in consummatione saeculi; istud tamen judicium merito habetur manifestatio status hominum singulorum jam antea determinati, in quo sententia judicialis privatim lata publice coram omnibus edicetur. Attamen cum non desint qui contendant illud universale judicium, cui homo se sistere debeat, esse unicum, necesse est ut ostendatur statim post mortem singularum animarum aeternam sortem judicialiter determinari; quod quidem in hac thesi ostendemus.

449. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Judicium particulare dicitur locum habere *statim* post mortem; illud tamen "statim" vel latius vel strictius accipi potest. Imprimis omnes theologi conveniunt hoc judicium non *in dies differri,* ita ut ipsum inter et mortem aliquod notabile tempus interveniat. Et hoc quidem ex ipsa rei natura satis patet; ad quid enim illa sententiae judicialis dilatio inserviret? Dein vero, juxta sententiam multo communiorem, judicium adeo *immediate* mortem sequitur, ut jam *in primo instanti* post animae et corporis separationem peragatur. In thesi tamen ab hac disputatione praescindi potest.

b) Ad modum instituendi judicium quod attinet, notandum est communiter *duplex* judicium distingui: *discussionis* et *retributionis.* Illud primum consistit in examinatione et discussione causae de qua judicatur; hoc alterum vero, in ipsa sententia retributionis. In subjecta materia examinatio et discussio causae proprie loquendo non habentur; nam judex jam antecedenter et per se perfectam causae cogni-

tionem habet, neque ei ulla ulteriore inquisitione opus est. Proinde iis quae hac de re apud Patres et scriptores asceticos plerumque leguntur, quasi longiore mora et adhibitis testibus diabolo atque angelo custode judicium illud peragatur, non alia quam *vividae descriptionis* veritas tribuenda est.

c) Est igitur hoc judicium *merae retributionis*, juxta ea quae homo in corpore gessit, sive mala sint sive bona. Sententia fertur a *Christo*, "qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum" (Act. 10, 42), et haec sententia animae notificatur per *conscientiae illuminationem*, simul cum rationibus justis ob quas lata sit. Neque tamen Christus ob hoc judicium peragendum in terram descendit, neque anima judicanda ad caelum defertur; sed Christus in caelo manens animam eo in loco judicat, quo ipsa a corpore separatur. Haec quidem non definita sunt, sed communi theologorum consensu statuuntur.

d) Judicium autem eo sensu *finale* est, ut aeterna animae sors per sententiam in eo latam *irrevocabiliter* determinetur. Judex enim statum animae infallibiliter cognoscit, causam juste decidit, et ab ipso nullus ad judicem altiorem recursus datur. Item ex parte animae status viae finitus est, ipsa jam in termino versatur, et "si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit" (Eccl. 11, 3). Insuper sententia lata *immediatae executioni* mandatur, ita ut anima peccato gravi inquinata statim detrudatur in infernum, anima vero gratia sanctificante instructa et omnimode purificata mox recipiatur in caelum; illa vero quae quidem in statu gratiae de vita migravit, sed nondum plene purgata est, ad tempus in purgatorio detinetur.

e) Juxta expositionem modo datam, tria in hac thesi evincenda sunt: Primum quidem, *animam statim post mortem judicari;* alterum vero, *sententiam in hoc judicio latam immutabilem esse;* tertium denique, *sententiam latam immediatae executioni mandari.* Attamen cum textus allegandi vix non omnes haec tria simul comprehendant, thesis convenientius *per modum unius* probatur.

450. ADVERSARII.—Primae parti theseos olim adversabantur quidam *Chiliastae*, juxta quos animae defunctorum usque ad diem judicii extremi in incerto relinquuntur. Eundem errorem etiam proposuerunt *Tatianus* (Orat. adv. Graecos, n. 13) et *Lactantius* (Divinae Instit. l. 7, c. 21). Hic suam mentem ita exponit: "Nec tamen quisquam putet animas post mortem protinus judicari; omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat quo maximus judex meritorum faciat examen. Tum quorum fuerit probata justitia, hi praemium immortalitatis accipient; quorum autem peccata et scelera detecta fuerint, non resurgent, sed cum impiis in easdem tenebras recondentur ad certa supplicia destinati." Ad hos accedunt plurimi

haeretici, *Copti, Nestoriani,* ac recentius *Sociniani, Arminiani, Irvingiani,* aliique ex diversis Protestantium sectis, qui vel Chiliasmo favent vel simpliciter docent nec judicium esse nec retributionem ante mundi consummationem. Ipse quoque *Lutherus* scripsit haec omnia, quae mortem sequantur, esse incerta, "verisimile autem, exceptis paucis, omnes dormire insensibiles" (cf. *Bautz,* Hoelle, p. 35).

Alteri parti opponuntur jam supra (n. 437) memorati, *Origenistae, Hirscher, Schell,* complures *Protestantes,* qui generatim tenent omnes peccatores non obstinatos posse post mortem converti ad Deum, ita ut tandem omnes salventur.

Tertiam denique partem impugnabant *Chiliastae* communiter, qui putabant prius futuram esse resurrectionem justorum, dein regnum millenarium, tum resurrectionem ceterorum omnium atque ultimum judicium, et post hoc tandem judicium justos in caelum receptum iri. Inter hos recensentur etiam nonnulli Patres et scriptores ecclesiastici, ut *S. Justinus, S. Irenaeus, Tertullianus, Commodianus,* alii, qui tamen admittunt martyres statim post mortem Dei visione frui. Huc quoque spectat controversia, quae ineunte saeculo decimo quarto orta est inter *Dominicanos* et *Franciscanos,* num scilicet beati jam ante diem ultimi judicii habituri sint perfectam beatitudinem visionis. Franciscani id negandum esse censebant, quibus etiam Summus Pontifex, *Joannes XXII,* favisse videtur; Dominicani tamen oppositam sententiam strenue defendebant et ipse Pontifex sua dicta ante mortem retraxit (cf. *Pesch,* op. cit. n. 585).

451. **NOTA.**—Tota thesis, quoad tres scilicet partes superius indicatas, *de fide tenenda esse videtur.* Definitum namque est animas plene purgatas mox post mortem recipi in caelum, ibique divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali videre; item animas in statu gratiae decedentes sed adhuc purgandas ad tempus in purgatorio detineri, et demum animas decedentes in statu peccati mortalis mox post mortem detrudi in infernum (cf. Conc. Lugdun. II; DB. 464; Constit. Benedicti XII; DB. 530; Conc. Florent. Decret. pro Graecis; DB. 693). Jam vero animae neque in caelum recipi, neque in infernum detrudi, neque in purgatorium mitti possunt nisi prius fuerint judicati; et ideo animas statim post mortem judicari in ipsa definitione formaliter implicite continetur. Ipsam autem judicialem sententiam esse immutabilem, eamque immediatae executioni mandari, in definitione data clare statuitur. Notari tamen debet illud "mox" non necessario significare primum instans post mortem, sed accipi posse sensu quodammodo latiore, secundum ea quae jam supra (n. 449 a) dicta sunt.

452. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Doctrinam in thesi propositam Sacra Scriptura variis modis docet. Ita a)

in parabola Lazari et divitis, quorum alter *statim a morte* dicitur portatus in sinum Abrahae, ut consolaretur; alter vero *sepultus* dicitur in inferno, ut cruciaretur. Insuper utriusque conditio, tum beata tum misera, in aeternum firmata exhibetur (Lc. 16, 19 sqq). De judicio quidem nihil explicite dicitur, sed retributio illud necessario praesupponit.

b) Ipse Christus respondet latroni ejus misericordiam imploranti: "Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso" (Lc. 23, 43), ideoque beata istius latronis conditio statim a morte firmata est. Et similem retributionem innuens, omnibus ait: "Beati servi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis. . . . Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet" (Lc. 12, 38-40). Veniet autem Filius hominis jam in hora mortis, et quos tunc vigilantes seu bonis operibus intentos invenerit, ad beatitudinis coenam admittet. Huc etiam spectat parabola de decem virginibus (Mt. 25, 1-13), necnon illa de talentis (Ibid. 14-30).

c) Quia mox post mortem retributio erit, ideo Apostolus ait: "Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, et non per speciem), audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum" (II Cor. 5, 6-9). Sensus est: Nunc quidem absentes sumus a Domino, cum eum per solam fidem apprehendamus; sed in hoc confidimus et nobis complacemus, quod morientes cum ipso erimus eumque per speciem cognoscemus (cf. I Cor. 13, 9 sqq). Quare juxta Apostolum, justi statim post mortem beata Dei visione fruuntur, si utique plene purgati sint. Quo sensu etiam dicit: Jesus Christus "mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus sive dormiamus (h. e. moriamur) simul cum illo vivamus" (I Thess. 5, 10). Unde ad particulare quoque judicium referenda sunt illa verba: "Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium" (Hebr. 9, 27), licet ex contextu referantur ad judicium universale.

d) Haec doctrina, quae in Novo Testamento iterum atque iterum proponitur, etiam in Vetere Testamento proposita invenitur; nam Ecclesiasticus monet: "In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum; quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. Malitia horae oblivionem facit luxuriae magnae et in fine hominis denudatio operum illius" (11, 27-29). Illa quidem verba, "quoniam facile est coram Domino in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas," in textu Hebraico reperto non inveniunter, sed eorum sensus in sequentibus plane continetur. Itaque in fine hominis seu ipso die mortis erit denudatio operum ejus, seu instituetur judicium quod retributio mox consequitur.

453. ARGUMENTUM ALTERUM: ex dictis SS. Patrum.—Consensus SS. Patrum hac in re fere unanimis est, licet pauci putaverint beatitudinem in visione Dei sitam ad ultimum usque judicium dilatum iri, ut jam superius (n. 450) notatum est. Unde hos paucos adduxisse sufficiat.

a) *S. Ephraem Syrus*: "Beatus qui invenerit fiduciam in hora exitus sui, quando anima separatur a corpore. Venient angeli assumere animam et perducent eam ante tribunal immortalis et metuendi judicis. Grandis timor est, fratres, in illa hora mortis et separationis animae e corpore. Adsistent enim tunc animae opera ejus, quae diu noctuque bona et mala gessit. Sancta anima, quae separatur a corpore, non timet, sed magis gaudens cum fiducia pergit ad Deum, evecta officiis angelorum" (De Beatitud. Animae, c. 1).

b) *S. Chrysostomus*: "Sicut illi, qui e carceribus educuntur, una cum ipsis catenis ad judicium protrahuntur, sic omnes animae, cum hinc emigraverint, variis peccatorum catenis implicitae ad terribile illud ducentur tribunal" (Hom. 14 in Mt. n. 4; MG. 57, 222). Item: "Rogo et obsecro et vestra apprehendens genua supplico, donec habemus hoc parvum vitae viaticum, ut iis quae dicta sunt compungamur, convertamur, reddamur meliores, ne sicut ille dives inutiliter illic lamentemur cum excesserimus, fletus autem nihil nobis remedii afferat. . . . Tale est enim illud judicium: judicat solum ex operationibus, neque aliter illis salvum esse licet" (Hom. 42 in I ad Cor. n. 3; MG. 61, 367).

c) *S. Hieronymus:* "Diem Domini diem intellige judicii sive diem exitus uniuscujusque de corpore. Quod enim in die judicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur" (In Joel, 2, 1; ML. 25, 965).

d) *S. Augustinus:* "Illud quod rectissime et valde salubriter credit (Vincentius Victor), judicari animas cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet iam redditis corporibus judicari, atque in ipsa in qua hic vixerunt carne torqueri sive gloriari; hoc itane tandem ipse nesciebas? Quis adversus evangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, ut in illo paupere qui post mortem ablatus est in sinum Abrahae, et in illo divite cujus in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat vel audita non credat" (De Anima et ejus Origine, l. 2, c. 4, n. 8; ML. 44, 498).

Ceterum mens Ecclesiae hac in re luculenter apparet ex universali praxi, quae ab antiquissimis jam temporibus invaluit, honorandi sanctos in caelo et orandi pro animabus in purgatorio detentis.

454. *Confirmatur* haec thesis ex unanimi consensu theologorum, qui praeter fontes revelationis etiam rationes congruentiae adducere solent. Ita v. g. *S. Thomas,* qui ait: "Quilibet homo et est singularis

quaedam persona et est pars totius generis humani; unde et duplex ei judicium debetur: unum singulare, quod de eo fiet post mortem, quando recipiet juxta ea quae in corpore gessit, quamvis non totaliter, quia non quoad corpus sed quoad animam tantum; aliud judicium debet esse de eo secundum quod est pars totius humani generis. . . . Nec tamen Deus judicabit bis in idipsum, quia non duas poenas pro uno peccato inferet, sed poena quae ante judicium complete inflicta non fuerat, in ultimo judicio complebitur, postquam impii cruciabuntur quoad corpus et animam simul'' (Suppl. q. 88, a. 1 ad 1). Praeterea ''nulla ratio est, quare in punitione vel praemiatione exspectetur resumptio corporis, quia magis conveniens videtur, ut animae, in quibus per prius fuit culpa et meritum, prius etiam puniantur et praemientur'' (Cont. Gent. l. 4, c. 91). Eodem ferme modo arguit *Suarezius* (De Myst. Vitae Christi, disp. 52, sect. 2).

455. Scholion: Num Joannes XXII dilationem beatitudinis docuerit.

Erant olim qui cum Occamo et Caesena contenderent Joannem decretorie pronuntiasse beatos intuitiva Dei visione donandos non esse nisi post ultimum judicium, quam ob causam tempore Concilii Vaticani nonnulli ex ipsius doctrina argumentum aliquod contra infallibilitatem papalem derivare conabantur (cf. *Janus*, Der Papst und das Concil, pp. 295 sqq); haec tamen contentio nullatenus sustineri potest, et nunc ab omnibus fere derelicta est. Ipse enim Joannes aegritudine correptus coram Cardinalibus et Praelatis, et publicis etiam tabellionibus, ne quae per ipsum dicta erant falso intelligerentur, hanc edidit fidei declarationem: ''Fatemur siquidem et credimus, quod animae purgatae separatae a corporibus sunt in caelo, caelorum regno et paradiso et cum Christo et consortio angelorum congregatae; et vident Deum et divinam essentiam facie ad faciem clare et in quantum status et conditio compatitur animae separatae. Si vero aliter circa materiam hujusmodi per nos dicta, praedicata seu scripta fuerunt, quoquo modo illa diximus, praedicavimus, seu scripsimus, recitando et conferendo et non determinando nec etiam tenendo, et sic et non aliter illa volumus esse dicta, praedicata, scripta.''

Immo jam anno praecedente, cum a quibusdam falso accusaretur, ad Philippum regem Franciae litteras dederat, in quibus scripsit: ''Cum autem hanc quaestionem beatus Augustinus interdum in scriptis suis reputaverit valde dubiam et circa eam variasse dicatur, et nedum ipse, sed et multi doctores alii circa istam materiam varient, nos interdum in nostris sermonibus mentionem habuimus, non proferendo verbum de nostro capite, sed dicta Scripturae sacrae et Sanctorum, praecipue illorum, quorum scripturae ab Ecclesia sunt receptae; multique tam Cardinales quam alii coram nobis et alibi in suis sermo-

nibus pro et contra de ista materia sunt locuti, et nedum in sermonibus, immo publice, praelatis ac magistris in theologia praesentibus, est in curia pluries quaestio hujusmodi, ut sic plenius posset inveniri veritas, disputata.''

Eandem hanc quaestionem denuo discussioni subjecit in consistorio, Avenione anno 1334 habito, in quo suam mentem ita exposuit: ''Et in conscientia mea dico, quod libenter essemus pro alia conclusione, et libentius quam pro ista conclusione negativa, si vera ostenderetur et necessaria, et si clarum esset in fide quod animae sanctorum nunc viderent faciem Dei. . . . Nunquam tamen meae intentionis fuit dicere aliquid contra fidem; et si aliquid diximus, totum ex nunc revocamus.'' Cf. documenta authentica huc spectantia apud *Denifle* in Chartulario Paris. II, part. 1, pp. 414 sqq.

Nec aliter de Joannis mente judicavit *Benedictus XII*, proximus ejus in cathedra S. Petri successor. In ipsa enim Constitutione, in qua definivit animas justorum plene purgatas mox post mortem in caelum recipi ibique Deum intuitive videre, ad supra dictam controversiam animadvertens, declarat: ''Cum idem Praedecessor noster, ad quem determinatio praedictorum pertinebat, ad decisionem hujusmodi concertationum se praepararet, in Consistorio suo publico tam fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam Praelatis et Magistris in theologia, qui multi aderant praesentes, injungendo districtius et mandando, ut super materia de visione praedicta, quando requirerentur ab eo, deliberate dicerent unusquisque quod sentirent, tamen morte praeventus, sicut Domino placuit, perficere illud nequivit'' (Const. Benedictus Deus, 29 Jun. 1336).

Unde satis manifestum est Joannem hac in quaestione nihil definivisse, neque privatim sententiam falsam tenuisse, licet disputationis causa multas auctoritates collegerit, quibus dilatio intuitivae visionis Dei quodammodo probari videretur. Res dogmatice determinata tunc nondum erat, et ad hanc determinationem promovendam ipse in controversia nuper exorta et alteram partem audiendam esse censebat. Practice tamen sententiae affirmativae, nempe animas plene purgatas statim a morte intuitiva Dei visione frui, semper adhaerebat. In bullis enim canonizationum *S. Ludovici Tolosani* (a. 1317), *S. Thomae Herfordienis* (a. 1320), *S. Thomae Aquinatis* (a. 1323), his sanctis visionem beatificam attribuit (cf. *Pesch,* op. cit. n. 585).

456. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Textus ex Luca desumptus, in quo de Lazaro et divite sermo est, non exhibet nisi parabolam: *Atqui* ex parabola non probatur dogma fidei: *Ergo.*

Resp. Textus ex Luca desumptus non exhibet nisi parabolam,

quae tamen parabola doctrinalis est, scilicet ad doctrinam aliquam inculcandam proposita, *C.* Quae doctrinalis non sit, *N.* Hoc responsum tum ex natura rei tum ex contextu satis patet.

2° Ex ipsa judicii universalis descriptione (Mt. 25, 31 sqq) constare videtur animas non statim post mortem judicari; nam in illo judicio electi dicuntur segregari a reprobis, ideoque antea nondum erant segregati; item dicuntur possessuri regnum eis a constitutione mundi praeparatum, et ideo illud antea nondum possidebant; item ibunt justi in vitam aeternam, maledicti autem in supplicium aeternum: *Atqui* haec satis obvie indicant animas antea nondum fuisse judicatas: *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad rationes additas dico: In judicio universali non solum animae judicabuntur, sed homines a morte resuscitati, qui proinde post resurrectionem apte dicuntur segregari; item non solum animae sed homines possidebunt regnum eis a constitutione mundi praeparatum; item non solum animae sed homines aut in vitam aeternam aut in supplicium aeternum ibunt. Quapropter descriptio judicii universalis, prout apud Matthaeum invenitur, praevium judicium particulare nullatenus excludit.

3° Sacra Scriptura saepe hominibus ob oculos ponit judicium universale (cf. Mt. 25, 31 sqq; Mc. 13, 24 sqq; Lc. 17, 30 sqq; Jo. 5, 26 sqq), nunquam vero diserte loquitur de judicio particulari: *Ergo* merito infertur solum judicium universale futurum esse.

Resp. Sacra Scriptura saepius proponit judicium universale, quia homines ejus timore efficacius moventur ad peccata evitanda, cum in illo judicio omnia eorum facta coram omnibus manifestanda sint, *C.* Quia innuere vult non esse judicium particulare, vel de eo nullam mentionem facit, *N.* Ex nostro argumento scripturistico satis constat animas statim a morte judicari, quia tamen ea est hominum natura ut non tam privato quam publico potius judicio ad bene vivendum moveantur, ideo in Sacris Litteris hoc potius quam illud proponi solet.

4° In Apocalypsi (6,9) legitur animas interfectorum seu martyrum esse "subtus altare," quod significare videtur eas Dei visionem nondum esse adeptas: *Ergo.*

Resp. Nego interpretationem textus in antecedente allegati. Nam "datae sunt illis singulae stolae albae," quae satis evidenter beatitudinem significant; neque quidquam pro se ipsis rogant, sed hoc unum petunt ut persecutores Ecclesiae in judicium tandem adducantur. Quonam praeciso sensu illud "subtus altare" intelligendum sit, commentatores inter se non conveniunt; alii enim "per altare accipiunt Christum Christique curam, aeque ac fruitionem, cui, per quem, pro quo, et super quo immolati sunt S. Martyres, et sub cujus protectione

jam beate vivunt''; alii vero dicunt animas esse sub altari idem significare ac ''eas esse in securissima Dei tutela, juxta illud Sapient. 3: Justorum animae in manu Dei sunt''; alii denique his verbis visionem symbolicam significari volunt, ''quia secundum corpus sub altari sepulti sunt, qui super altari quasi holocausta suam vitam Deo immolarunt'' (cf. *A. Lapide,* Comment. in. Apoc. 6, 9).

5° Multi Patres negant sanctos ante ultimum judicium visione Dei donari: *Ergo* thesis ex dictis SS. Patrum probari nequit.

Resp. Multi Patres absolute negant sanctos ante ultimum judicium visione Dei donari, *N.* Multi Patres aliquando ea proferunt, quae absolute hoc sensu intelligi possunt, *C.* Imprimis concedendum est eos Patres, qui Chiliasmi errori adhaerebant, existimasse sanctos non beari nisi post ultimum judicium, sed illi neque adeo multi neque generatim magnae auctoritatis erant. Dein vero ad alios quod spectat, omnes fere orthodoxe explicari possunt; ubi enim beatitudinem ante finem mundi negare videntur, prae mente habent beatitudinem consummatam, quae utique resurrectionem mortuorum praesupponit. Ob similem quoque rationem aliqui dicunt animas justorum reservari in sinu Abrahae usque ad ultimum judicium, quo peracto in caelum recipientur; tunc tandem non modo animae sed ipsi homines beati erunt. Hujusmodi explicationem admittendam esse jam ex eo satis patet, quod iidem Patres aliis in locis clare docent justorum animas statim post mortem Dei visione frui. Cf. *Bellarminus* (De Sanctorum Beatitudine, l. 1, cc. 4 sqq).

6° In pluribus liturgiis fiunt supplicationes pro sanctis, ut eos beata retributio comitetur, eorumque animabus requies donetur: *Ergo.*

Resp. In pluribus liturgiis fiunt supplicationes pro sanctis in purgatorio detentis, *C.* Pro sanctis jam plene purgatis, *subd.* Ut eis donetur beatitudo essentialis, quae in Dei visione consistit, *N.* Ut eis donetur beatitudo accidentalis, quae ex eorum cultu vel etiam virtutum imitatione procedit, *C.* Hoc sensu etiam in Missali Romano habetur: ''Ut (oblatio) illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem.''

ARTICULUS IV

De Purgatorio

THESIS XXXIV.—Existit purgatorium, in quo justorum animae nondum plene purgatae piacularibus poenis mundantur, et fidelium suffragiis juvari possunt.

Cf. S. Thomas, *Suppl.* qq. 72, 73; *In IV Sent.* d. 21, q. 1, a. 1; S. Bonaventura, *In IV Sent.* d. 45, aa. 1, 2; Suarez, *De Poenitentia,* disp. 45 sqq.; Bellarminus, *De Purgatorio,* ll. 1, 2; Palmieri, *De Novissimis,* 19-32; Jungmann, *De Novissimis,* a. 6; Billot, *De Novissimis,* q. 4; Pesch, *Praelect.* IX, nn. 587 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 361 sqq.; Muncunill, *De Novissimis,* nn. 785 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 1314 sqq.; Hurter, *Compend.* III, nn. 668 sqq.; *Perpétuité de la Foi,* ed. Migne, III, pp. 1123 sqq.; Oxenham, *Catholic Eschatology,* c. 2; Wiseman, *Lectures on Principal Doctrines,* XI; Pohle-Preuss, *Eschatology,* c. 5.

457. **STATUS QUAESTIONIS.**—Fide certum est in caelum nihil coinquinatum intrare (Apoc. 21, 27); fide quoque certum est nullam animam in statu gratiae decedentem damnari ad infernum; simul tamen facile evenire potest, ut anima in statu gratiae decedens nondum sit a qualibet peccatorum macula plene purgata, et ideo neque mox caelum ingredi possit neque ad infernum damnari mereatur. Hoc autem dato, nihil relinquitur nisi ut admittatur existere statum aliquem intermedium, in quo hujusmodi anima usque ad plenam sui purgationem detineatur. Insuper cum vinculum caritatis, quo omnes fideles in Christo colligantur, in morte nullatenus dissolvatur, eo ipso jam pronum est concludere illam animam posse a vivis juvari, ut eorum interventu vel tempus purgationis abbrevietur vel poenae subeundae interim mitigentur. De hac duplici conclusione nostra thesis procedit.

458. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Nomine purgatorii communiter significatur tum *locus* tum *status.* Locus quidem, quatenus animae purgandae in determinata aliqua spatii parte detinentur; status vero, in quantum earundem animarum conditio eo sensu stabilis est, ut ad plenam usque purgationem essentialiter eadem maneat. Ubinam sit ille locus, non certo constat; communius tamen tenetur eum esse intra terram, et quidem ipsi inferno contiguum. Ita inter alios docet *S. Thomas,* qui ait: "De loco purgatorii non invenitur aliquid expresse determinatum in Scriptura, nec rationes possunt ad hoc efficaces induci; tamen probabiliter, et secundum quod consonat magis Sanctorum dictis, et revelationi factae multis, locus purgatorii est duplex. Unus secundum legem communem; et sic locus purgatorii est locus inferior, inferno conjunctus. . . . Alius est locus purgatorii secundum dispensationem, et sic quandoque in diversis locis aliqui puniri leguntur,

vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum poena innotescens per suffragia Ecclesiae mitigetur'' (In IV Sent. d. 21, q. 1, a. 1 ad 2).

b) Animae igitur, quae in illo loco detinentur, simul in statu *purgationis* versantur; unde ipse locus vulgo *purgatorium* nominatur. Purgantur autem illae animae a *peccatorum maculis,* quae eis ex peccatis sive mortalibus sive venialibus jam condonatis adhuc adhaerent; vel forte etiam ab *ipsis peccatis venialibus,* quae ante mortem nondum fuerunt remissa. Dico ''forte'' quia hac de re duplex exstat sententia. Alii enim cum *S. Bonaventura* (In IV Sent. d. 21, a. 2, q. 1) et *Scoto* (In IV Sent. d. 15, q. 2, a. 2) censent animas in purgatorio a peccatis venialibus paulatim purgari, actibus videlicet successivis, maxime voluntaria acceptatione et toleratione poenarum; alii vero cum *S. Thoma* (De Malo, q. 7, a. 11) et *Suarezio* (De Poenit. disp. 11, sect. 4, n. 13) docent peccata venialia quoad culpam remitti in primo instanti post mortem, ita ut solus reatus poenae luendus maneat. Haec altera sententia multo communior est, necnon verior esse videtur. Nam animae a corpore solutae statim post mortem adeo clare cognoscunt Deum esse suum summum et unicum bonum, ut perfecte ab omnibus peccatis avertantur; et ideo jam perfecte dispositae sunt ad culpae veniam consequendam, neque ulla ratio assignari potest ob quam ista venia differi debeat (cf. *De Lugo,* De Poenit. disp. 9, n. 2).

c) Quare animae in purgatorio detentae probabilius nonnisi reatum poenae luere debent; hunc autem luunt non *merendo* sed *patiendo,* quia status viae in ipsa morte finitus est. Unde stricte loquendo non *satisfaciunt* pro peccatis suis, sed potius *satispatiuntur.* Itaque earum conditio *pure poenalis* est, neque ex voluntaria poenarum acceptatione carumve patienti toleratione majorem gloriam in caelo habebunt. Hoc sensu absque lucro id nunc praestant, quod cum magno lucro in terra praestare potuissent. Tunc enim dies erat, quando operari oportebat; nunc autem ''venit nox, quando nemo potest operari'' (Jo. 9, 4).

d) Tenentur ergo *totum* debitum solvere; non tamen necessario ex *propriis,* seu totam poenam actu subeundo. Nam etiam post mortem eo sensu vicariae satisfactioni locus est, ut fideles adhuc in terra versantes pro animabus in purgatorio detentis opera sua satisfactoria offerre possint. Unde dicitur in thesi *illas animas posse vivorum suffragiis juvari.* Immo juxta satis communem theologorum sententiam, possunt etiam *pro se ipsis orare;* non quidem eo sensu ut a poenis simpliciter liberentur, sed potius ut Deus vivorum suffragia eis applicari velit, vel etiam ut juxta benignam Dei dispositionem suffragia pro ipsis offerantur (cf. *Pesch.* op. cit. n. 619).

e) Nomine *suffragiorum* hic intelliguntur ea opera bona, quae etiam inter vivos ad remissionem poenarum temporalium inserviunt.

Proinde huc spectant *quaelibet opera poenitentialia, indulgentiae,* et praesertim *sacrificium Missae.* Ad orationes mere impetratorias quod attinet, theologi non omni ex parte conveniunt. Nam *Suarezius* (De Poenit. disp. 48, sect. 5, nn. 8 sqq) et quidam alii censent eis non directe juvari defunctos sed indirecte tantum, quatenus propter eas Deus dat viventibus gratiam satisfaciendi pro defunctis et has satisfactiones acceptat. *De Lugo* autem (De Poenit. disp. 24, n. 20) cum plurimis aliis tenet hisce orationibus directe impetrari ut Deus merita Christi defunctis applicet, cum Christus absolute dixerit: "Petite et accipietis" (Jo. 16, 24). Haec altera sententia videtur verior; hujusmodi impetratio "est orationi proprium, quomodo etiam beatorum orationes prosunt nobis et animabus in purgatorio, licet satisfactoriae non sint" (*Bellarminus,* De Purgat. l. 2, c. 16).

f) Haec autem opera et orationes dicuntur *suffragia,* quia in animarum adjutorium misericordi Deo offeruntur. Animabus enim in purgatorio detentis non remittuntur poenae per modum *absolutionis juridicae,* sicut id inter vivos fieri potest; sed solum per modum *vicariae satisfactionis,* sive a vivis praestitae sive per eorum preces ex meritis Christi a Deo impetratae. Applicatio igitur suffragiorum in manu Dei est, qui ea pro suo beneplacito vel animabus designatis vel etiam aliis applicare potest. In *genere* quidem applicatio suffragiorum *infallibilis* est; non tamen respectu *illius animae* pro cujus liberatione offeruntur. Attamen nisi quid obstet ex parte ipsius animae, piam offerentis voluntatem apud Deum praevalere credendum est.

g) Poena ab animabus illis in purgatorio subeunda *duplex* est: *privativa* et *positiva,* seu poena *damni* et poena *sensus.* Poena damni consistit in temporali privatione visionis beatificae, ad quam animae ibi detentae certo cognoscunt se esse inamissibili titulo destinatas. Haec ex ipsa rei natura maxima dicenda est; proportionatur enim bono pro tempore amisso, ideoque bono quo majus esse nequit. Poena autem sensus in eo stare dicenda est, quod cruciatus quidam illis animabus ab extrinseco per aliquod sensibile elementum infligitur. Communiter hoc sensibile elementum dicitur esse *ignis;* utrum vero sit ignis proprie dictus seu materialis, an potius ignis metaphoricus consistens in aerumnis ex ipsa detentione aliquomodo resultantibus, non certo constat. Quid hac in re probabilius tenendum sit, infra in scholio dicetur.

h) Probationis causa haec thesis convenienter in duas partes dividitur: I. *Existit purgatorium, in quo justorum animae nondum plene purgatae piacularibus poenis mundantur.* II. *Animae in purgatorio detentae fidelium suffragiis juvari possunt.* In hisce enim duabus propositionibus ea omnia continentur, quae ipsa Ecclesia de purgatorio docet.

459. **ADVERSARII.**—Primam partem theseos olim impugnabant *Gnostici, Ariani, Albigenses,* quorum sententias videre est apud *Bellarminum* (De Purgat. l. 1, c. 2). Hos secuti sunt *Calvinus, Zwinglius,* et alii *Novatores,* qui Catholicam doctrinam de existentia pugatorii tamquam detestabile commentum rejiciebant. Ipse tamen *Lutherus* anceps haerebat; modo enim affirmavit existentiam purgatorii esse certe credendam, modo vero purgatorium "meram diaboli larvam" vocavit (cf. *Pesch.* op. cit. n. 588). Re quidem vera in Novatorum justificationis systemate purgatorio locus esse nequit; aut enim quis credit, et eo ipso plane justus a Deo reputatur, ideoque statim post mortem ad caelum ingrediendum paratus est; aut non credit, et eo ipso damnatus existit. Nihilominus plerique *moderni Protestantes* aliquem purgationis statum post mortem admittunt; eum tamen male explicant. Dicunt enim animas in eo versantes propriis actibus ad altiorem perfectionem progredi, eo fere modo quo homines in terra viventes moraliter perfici solent (cf. *Farrar,* Mercy and Judgment, c. 3; *Hodge* Systematic Theology, III, pp. 741 sqq).

Alteram partem etiam illi *Protestantes* negare solent, qui existentiam purgatorii admittunt; excipiuntur tamen *Ritualistae,* qui satis communiter hac in re nobiscum conveniunt, nisi utique quod spectat indulgentias pro defunctis lucrandas.

460. **NOTA.**—Utraque pars theseos *de fide tenenda est;* praeter alia enim concilia statuit *Florentinum:* "Item (definimus), si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari: et ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missae scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta" (Decret. pro Jacobitis; DB. 693; cf. Trident. DB. 983).

I. Existit purgatorium, in quo justorum animae nondum plene purgatae piacularibus poenis mundantur.

461. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Licet Sacra Scriptura purgatorium esse non disertis verbis doceat, *ea tamen continet quae doctrinam de purgatorio in thesi propositam necessario supponunt:* **Ergo** juxta Sacram Scripturam haec doctrina admittenda est.

Consequens per se patet.—*Antecedens* textibus huc spectantibus probatur; et quidem textibus tum ex *Vetere* tum ex *Novo Testamento* desumptis.

a) In *Vetere Testamento* haec narrantur: "Et sequenti die (post sabbatum) venit cum suis Judas, ut corpora prostratorum tolleret, et

cum parentibus poneret in sepulcris paternis. Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum quae apud Jamniam fuerunt, a quibus lex prohibet Judaeos; omnibus ergo manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse. . . . Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis), et quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solventur'' (II Mach. 12, 39-46).

Hoc textu tota nostra doctrina continetur; imprimis enim illi viri peccaverant, existimabantur tamen ''cum pietate dormitionem'' accepisse, seu in statu gratiae e vita migrasse; deinde putabantur saltem reatu poenae teneri, ideoque aliquomodo esse a peccatis solvendi; denique clare statuitur hanc a peccatis solutionem posse per orationes et sacrificia obtineri. Adversarii quidem objiciunt hunc librum non esse canonicum; at eorum contentionem esse inanem, in schola scripturistica firmiter probatur. Immo etsi canonicus non esset, nihilominus firmum argumentum suppeditaret; clare enim exhibet universalem Judaeorum fidem, quam hac in re rejicere minime licet. Nam Judaei sub speciali Dei providentia constituti et a prophetis edocti, si tota gens consideratur, circa res religiosas in errorem abire non poterant.

Quare bene scribit *Estius:* ''Sane Judas cum esset ex genere sacerdotali, credendus est hoc mandasse, quod sciebat accepta a majoribus antiqua consuetudine sacrificiorum observari solitum, licet id expresse scriptum non legatur. Unde intelligitur quod, etiamsi auctori libri Machabaeorum non aliud quam humanam fidem historiae tribuamus, satis tamen ex eo probetur pia consuetudo sacerdotum et aliorum fidelium illius temporis, cum certa persuasione qua credebant talia non frustra nec inaniter fieri'' (In IV Sent. d. 44, par. 8). Alii textus ex Vetere Testamento adduci soliti sunt Tob. 4, 18; Is. 4, 4; Mich. 7, 8; Malach. 3, 3.

b) In *Novo Testamento* habentur imprimis verba S. Pauli: ''Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem'' (I Cor. 3, 11-16).

In hoc textu agitur de peccatis venialibus, primarie quidem praedicatorum sed secundarie etiam aliorum fidelium, quippe qui omnes super fundamentum ab Apostolis positum superaedificant. Propter haec peccata poenam luent, ipsi tamen salvi erunt "quasi per ignem." Haec poena statuetur in die Domini, id est, in die judicii; haec enim est illa dies quae revelabit, qualia opera hominum fuerint (cf. Phil. 1, 6, 10; I Thess. 5, 2; I Cor. 1, 8; 5, 5; 16, 22). Unde non solum ad finem mundi haec locum habebunt, sed statim quoque post mortem. Sic autem nostra doctrina de purgatorio in hoc textu clare exhibetur.

Ad rem *Cornely,* qui ait: "Neque enim minus certum est, doctores illos, quos Dominus in suo adventu inutilia docentes deprehendet, non tantum igne illo probatum iri, sed etiam ad salutem non esse perventuros, antequam per ignem illum transeuntes poenas inutilium suorum laborum luerint. Unde summo cum jure colligimus, quaedam esse peccata quae hominem absolute quidem a salute non excludunt, temporali quadam poena tamen auferri debent, priusquam salus obtinetur. Porro eodem cum jure colligimus, alios Christianos omnes, quos Dominus adveniens gratia quidem sanctificante ornatos sed levioribus ejusmodi naevis et maculis asperos inventurus sit, eadem ratione qua doctores illos, eodemque igne punitum et purgatum iri, ut aeternae salutis participes fieri possint; eadem enim ex utraque parte militat ratio. Ulterius quoque sequitur, aliquem ex illis doctoribus, quos Apostolus prae oculis habet, si ante adventum Domini subita morte esset abreptus, nec salute aeterna privari nec immediate ad eam admitti potuisse, i. e. eum aeternam salutem obtenturum quidem fuisse, 'sic tamen quasi per ignem,' postquam nimirum poenis quibusdam temporalibus divinae justitiae satisfecisset atque a maculis suis purgatus esset. Quapropter omnes Christianos, qui solis levibus naevis maculati ante secundum Domini adventum ex hac vita decedunt, poenis temporalibus purgandos esse, antequam ad beatitudinem ingrediantur, ex hoc loco paulino legitime deducitur" (Comment. in I Cor. p. 91).

c) Item apud Matthaeum Christus ait: "Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo neque in futuro" (Mt. 12, 32).

Sunt igitur quaedam peccata, quae in futuro saeculo seu post mortem remittuntur; ex hoc autem infertur esse purgatorium, in quo animae nondum plene purgatae tandem mundentur. In hunc textum commentans, *S. Augustinus* ait: "Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non iis remittatur neque in hoc saeculo neque in futuro, nisi essent (peccatores) quibus, etsi non in isto, tamen remittetur in futuro" (De Civ. Dei, l. 21, c. 24, n. 2; ML. 41, 739). Et *Suarezius:* "Nemo enim ita loquitur de re impossibili pro illo statu; quis enim

dicat: Non ducam uxorem neque in hoc saeculo neque in futuro, vel quid simile? Quando ergo aliquid in utroque saeculo fieri contingit, ut negetur umquam futurum, recte dicitur non esse futurum vel in hoc saeculo vel in futuro'' (De Poenit. disp. 55, sect. 1, n. 11). Unde licet apud Marcum (3, 29) legatur, ''non habebit remissionem in aeternum,'' sensus tamen idem esse debet. Alii textus Novi Testamenti, etsi non aeque efficaces, inveniuntur apud Mt. 5, 25; Lc. 16, 9; I Cor. 15, 29, 30, de quibus vide sis *Bellarminum* (De Purgat. l. 1, c. 3 sqq.).

462. ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.—Haec traditio adeo universalis semper erat atque constans, ut ne ipsi Novatores quidem ejus existentiam ausi sint in dubium vocare; unde pauca tantummodo testimonia adduxisse sufficiat.

a) *Tertullianus:* ''Cum carcerem illum, quem evangelium (Mt. 5, 25, 26) demonstrat, inferos intelligamus, et novissimum quadrantem modicum quodque delictum mora resurrectionis luendum illic interpretemur, nemo dubitat animam aliquid pensare penes inferos, salva resurrectionis plenitudine per carnem quoque'' (De Anima, c. 58; ML. 2, 752).

b) *S. Cyprianus:* ''Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire; aliud missum in carcerem non exire inde donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatuum emundari et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione (martyrii) purgasse'' (Epist. 55, n. 20; ML. (ep. 52) 3, 787).

c) *S. Augustinus:* ''In hac vita purges me et talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit, propter illos qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem (I Cor. 3, 15). . . . Et quia dicitur, 'salvus erit,' contemnitur ille ignis. Ita plane, quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis quam quidquid potest homo pati in hac vita'' (In Ps. 37, n. 3; ML. 36, 397).

d) *S. Gregorius Nyssenus:* ''Si (homo) distinxerit ab irrationali quod sui proprium est et sibi invigilaverit per urbaniorem vitam, praesenti hac vita peccatum admixtum expiabit, superans per rationem irrationale. Si vero ad irrationalem passionum impetum declinaverit, pelle irrationalium cooperanti utens ad passiones, aliter post ea decernet ut ad bonum perveniat, post exitum e corpore, cognoscens virtutis discrimen a peccato; non enim poterit participare divinitatem, nisi ignis purgatorius maculam animo immixtam purgaverit'' (Orat. de Mortuis; MG. 46, 525).

e) Similiter loquuntur *S. Hilarius* (In Ps. 118; ML. 9, 522), *S. Hieronymus* (Epist. ad Pammach. 66, n. 5; ML. 22, 641 sqq), *S. Gregorius Magnus* (Dial. l. 4, c. 39; ML. 77, 396), *S. Basilius* (In

Is. 9, 16; MG. 30, 519), *S. Chrysostomus* (In Phil. hom. 3, n. 4; MG. 62, 204). Insuper haec traditio ex altera parte modo probanda clarius constabit.

463. ARGUMENTUM TERTIUM: ex ratione.—Hoc argumentum *cl. Pesch* ita brevissime ponit: "Negare animam posse mori levibus maculis contaminatam est stultum, sive maculae sunt relictae ex peccatis mortalibus jam condonatis, sive ex peccatis venialibus. Dicere autem animam quomodolibet immundam posse ingredi in caelum est contra S. Scripturam (Apoc. 21, 27). At vero dicere animas propter leves maculas in aeternum damnari, est impium. Ergo ratio absolute postulat, ut animae purgentur ab his maculis et dein in caelum admittantur, seu ut existat purgatorium" (op. cit. n. 587).

II. Animae in purgatorio detentae fidelium suffragiis juvari possunt.

464. ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scriptura *sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (II Mach. 12, 40): **Ergo** animae in purgatorio detentae fidelium suffragiis juvari possunt.

Consequens per se patet.—*Antecedens* est ipse textus, qui jam superius (461 a) expositus est. Adduci etiam solent Tob. 4, 17 et I Cor. 15, 29; quos tamen textus satis multi alio sensu interpretantur.

465. ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.—De hac traditione scribit *Calvinus:* "Ante mille et trecentos annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis. Omnes (veteres) in errorem abrepti sunt. (Dico) in eo aliquid humani passos esse, ideoque ad imitationem trahendum non esse, quod fecerunt" (Instit. l. 3, c. 5, n. 10). Id autem quod *Calvinus* saeculo secundo usu receptum fuisse dicit, ab ipsis Apostolis derivatum esse satis constat. Nam praxis pro defunctis orandi et sacrificia offerendi invenitur,

a) *In omnibus liturgiis, cujuscumque regionis et aetatis sint.* Ita in liturgia relata *l. 8 Const. Apost. c. 41* legitur: "Oremus pro fratribus nostris qui in Christo requieverunt, ut Deus summae erga homines caritatis, qui animam defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum et propitius ac benevolus ei factus collocet eum in regione vivorum." Similiter in ea quae tribuitur *S. Basilio,* necnon in ea quae nomine *S. Chrysostomi* insignitur, sicut etiam in Sacramentario *S. Gregorii Magni* (ML. 78, 26). Item *S. Cyrillus,* liturgiam Hierosolymitanam exponens, ait: "Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt: primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat; deinde et pro defunctis sanctis patribus et episcopis et omnibus ge-

neratim qui inter nos vita functi sunt, maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda hic jacet victima'' (Catech. Mystag. 5, n. 9; MG. 33, 1116).

b) *In vetustissimis inscriptionibus,* quae etiamnum in Catacumbis reperiuntur. In eis exoptatur fidelibus defunctis pax, requies, refrigerium. Ita: ''Verus Christus spiritum in pace (suscipiat), et pete pro nobis.'' ''Deus refrigeret spiritum tuum.'' ''Spirita vestra Deus refrigeret.'' Et alia permulta, quae videre est apud *Marucchi* (Eléments d'Archeologie Chrétienne, I); *Kraus* (Realencycl. t. 1, 19 sqq; t. 2, 38 sqq).

c) *In scriptis SS. Patrum,* qui unanimiter hanc Ecclesiae praxim testantur. Ita v. g. *S. Augustinus,* qui ait: ''Non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quae Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum habet etiam commemoratio mortuorum'' (Cura pro Mortuis, n. 3; ML. 40, 593). Et *S. Chrysostomus:* ''Non temere ab Apostolis haec sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio, sciunt enim inde multum illis contingere lucrum, utilitatem multam'' (In epist. ad Phil. hom. 3, n. 4; MG. 62, 203). Quare ad rem *S. Isidorus Hispalensis:* ''Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerre vel pro iis orare, quia per totum orbem hoc custoditur, credimus quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim ubique Catholica tenet Ecclesia, quae nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret vel sacrificium Deo offerret'' (De Eccl. Offic. l. 1, c. 18, n. 11; ML. 83, 757).

Immo antiquitus consuetudinem viguisse non modo in genere pro defunctis orandi atque sacrificium offerendi, verum etiam statutis diebus et pro determinatis animabus, ex Patrum scriptis clare constat. Ita v. g. *Tertullianus* scribit: ''Oblationes pro defunctis annua die facimus. . . . Harum et aliarum disciplinarum, si legem expostulas Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix'' (De Corona Mil. c. 3; ML. 2, 79). Et *S. Ephraem* petit: ''Quando diem trigesimum complevero, mei memoriam, fratres, facite. Mortui enim oblatione juvantur quam viventes faciunt. . . . Si viri Mathathiae qui mysteria detinebant, pro exercitibus, ut legistis, oblationibus eorum expiaverunt crimina qui in bello ceciderant et impii suis moribus erant, quanto magis sacerdotes Filii sanctis oblationibus et linguarum suarum orationibus defunctorum crimina expiant!'' (Testam. 72, 78; AG. 3, 401).

466. *Confirmatur* haec pars etiam ex ratione, quatenus silicet defuncti cum vivis intimo caritatis vinculo conjunguntur; caritas

autem operosa sit oportet. Hoc sensu arguit *S. Thomas,* cum ait: "Suffragia vivorum prosunt defunctis, secundum quod uniuntur viventibus in charitate, et secundum quod intentio viventium fertur in mortuos. Et ideo illa opera praecipue nata sunt mortuis suffragari quae maxime ad communicationem charitatis pertinent, vel ad directionem intentionis in alterum. Ad charitatem autem sacramentum Eucharistiae praecipue pertinet, cum sit sacramentum ecclesiasticae unionis, continens illum in quo tota Ecclesia unitur et consolidatur, scilicet Christum. Unde Eucharistia est quasi quaedam charitatis origo, vel vinculum. Sed inter charitatis effectus est praecipuum eleemosynarum opus. Et ideo ista duo ex parte charitatis praecipue mortuis suffragantur, scilicet sacrificium Ecclesiae et eleemoysnae. Sed ex parte intentionis directae in mortuos praecipue valet oratio, quia oratio secundum suam rationem non solum dicit respectum ad orantem, sicut et cetera opera, sed directius ad illud pro quo oratur. Et ideo ista tria ponuntur quasi praecipua mortuorum subsidia; quamvis qualiacumque alia bona, quae ex charitate fiunt pro defunctis, eis valere credenda sint" (Suppl. q. 71 (73), a. 9).

467. Scholion I: Num animae in purgatorio detentae igne cruciantur.

Hac de re Ecclesia nihil definivit, neque ex Sacris Litteris certum argumentum derivari potest. Dicit quidem S. Paulus aliquos salvari "quasi per ignem," sed utrum ille ignis relate ad animas purgandas sensu proprio an potius sensu metaphorico intelligendus sit, non liquet. Ad SS. Patres quod attinet, Latini fere omnes docent animas purgandas veri nominis igne cruciari; idem docent satis multi Graeci et Orientales. Ita v. g. *Clemens Alexandrinus* (Strom. 7, 6), *Gregorius Nyssenus* (Orat. Catech. 35), *Gregorius Nazianzenus* (Carm. de vita sua, 12, 10), *Cyrillus Alexandrinus* (In Joan. l. 10, 2). Attamen Graeci posteriores non admittunt nisi ignem metaphoricum, qui in variis purgatorii conditionibus atque aerumnis consistat. Ita Theophylactus ignem de morsu conscientiae explicandum esse censet (In Mc. 9; MG. 123, 594). Neque haec Graecorum positio unquam damnata est, licet de ea in Concilio Florentino haud parum disputatum sit. Nihilominus theologi vix non omnes tenent, esse in purgatorio ignem proprie dictum, etsi probabiliter non omnes animae ibi detentae eo cruciantur (cf. *Palmieri,* op. cit. 26).

468. Scholion II: De subjectivo animarum statu in purgatorio.

Hac in re duo errores *Lutheri* damnati sunt, nimirum: "Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem non omnes: nec probatum est ullis rationibus aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi vel augendae caritatis" (Prop. 38; DB. 778). "Animae in

purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem et horrent poenas'' (Prop. 39; DB. 779). Inde imprimis admittendum est, animas in purgatorio existentes certas esse de sua aeterna salute. Et hoc quidem jam necessario ex eo sequitur, quod subierunt judicium ideoque sententiam de ipsis latam noverunt. Praeterea consciae sunt se Deum amare, actus suos esse in Deum ordinatos, immo sciunt se esse gratia sanctificante ornatas; nam a corpore separatae se ipsas immediate intuentur, propriamque conditionem perspectam habent.

Deinde ex ista errorum damnatione etiam sequitur illas animas esse quodammodo in gratia confirmatas, quatenus saltem propter suam conditionem sese a suo ultimo fine avertere nequeunt. Immo neque possunt labi in peccatum aliquod veniale; nam ''quamvis visionem beatificam non habeant, tamen adeo clare cognoscunt Deum esse summum et unicum bonum, ut toto desiderio in eum perpetuo ferantur et toto conatu, quo possunt, eum necessario diligant, sicut etiam in beatitudine naturali homo cognitione aenigmatica necessitaretur ad Deum diligendum'' (*Pesch,* op. cit. n. 576). Hoc igitur sensu extra statum demerendi versantur.

Quia autem amant Deum, et amore quidem maxime intenso, ideo omnium virtutum actus quasi perpetuo exercere censendi sunt. Firma fide Deo adhaerent, insuperabili spe Deo innituntur, magno fervore Deum colunt, immenso dolore de suis peccatis conteruntur, profunda humilitate iniquitatis vindici sese subjiciunt. Per hanc tamen virtutum exercitationem intrinsece nullatenus sanctiores redduntur; quia sicut extra statum demerendi versantur, ita etiam extra statum merendi constituti sunt. Unde si qui doceant animas in purgatorio existentes virtutibus augeri, id intelligi non debet nisi de faciliore perfectioreve virtutum exercitio; si enim virtutes intrinsece augerentur, simul etiam augeretur gratia sanctificans, necnon meritum atque gloria in caelo futura.

Itaque animae in purgatorio simul summe miserae sunt atque summe felices; summe miserae quidem, quia ob propriam indignitatem ad tempus Dei visione privatae existunt, quam tamen visionem imo ex pectore indesinenter anhelant; summe autem felices, quia de sua salute securae atque in gratia confirmatae, ipsi fini ultimo indeclinabiliter adhaerent ejusque bonitate per anticipationem quamdam quodammodo beate fruuntur. Itaque simul magnum gaudium habent magnamque poenam, et ita quidem ut alterum altero minime impediatur. Hoc sensu de illis animabus scripsit *S. Catharina Genuensis:* ''Mihi videtur nullum gaudium inveniri, quod cum gaudio animae purae purgatorii comparari possit, excepto gaudio beatorum paradisi. . . . Ex altera autem parte tantam poenam patiuntur, ut nulla lingua dicere, nullus intellectus minimam ejus partem capere possit, nisi Deus ex speciali gratia revelet'' (De Purgat. c. 2).

469. Scholion III: De poenarum in purgatorio acerbitate atque duratione.

Poenam damni esse in suo ordine maximam jam diximus, idque ex ipsa rei natura satis patet; nam "spes quae differtur affligit animam" (Prov. 13, 12), et quidem proportionate ad bonum cujus possessio differtur. Ad poenam vero sensus quod attinet, theologi non omnino inter se conveniunt. Multi sequuntur *S. Augustinum* dicentem, "gravior tamen erit ille ignis quam quidquid potest homo pati in hac vita" (In Ps. 37, n. 3). Immo *S. Thomas* docet, "quantum ad utrumque (damnum et ignem) poena purgatorii minima excedit maximam poenam hujus vitae" (In IV Sent. d. 21, q. 1, a. 1, sol. 3). *S. Bonaventura* dicit: "Poena purgatorii gravior est omni temporali poena. . . . Sane tamen hoc intelligendum, ut generaliter poena illa sit major ista. . . . non quia minima sit major maxima in hoc genere, sed quia maxima in illo genere major sit maxima in hoc genere" (In IV Sent. d. 20, a. 1, q. 2). Uterque sanctus Doctor suos sequaces habet, ita tamen ut sententia *S. Bonaventurae* fere communior dicenda sit. Neque etiam haec mitior sententia necessario tuenda est; tota enim haec res satis incerta est. Praeterea probabile est poenam sensus in purgatorio paulatim remitti, donec tandem omnino desinat. Ita *Bellarminus* (op. cit. l. 2, c. 14), quem multi alii sequuntur.

Aeque incerta est poenarum duratio, relate ad quam reapse hoc unum constat, eas non ultra supremi judicii diem produci. In illo utique die damnati "ibunt in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam" (Mt. 25, 46), ideoque purgationi non jam amplius erit locus. Quantum vero temporis singulae animae ante illum diem in purgatorio detineantur, solus Deus novit, et cui illud revelare voluerit. *Sotus* quidem (In IV Sent. d. 19, q. 3, a. 2), *Maldonatus* (De Purgat. q. 5), paucique alii posuerunt poenam purgatorii nunquam ultra decem annos protrahi; sed absque ullo solido fundamento id asseruerunt. Immo damnata est thesis quae statuit: "Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos" (DB. 1014), et ideo juxta mentem Ecclesiae poena purgatorii ultra decem annos durare potest. Non modo hoc, verum Ecclesia etiam permittit ut anniversaria per plura saecula protrahantur; quae praxis certe indicat Ecclesiam sentire non esse impossibile, ut poenae purgatorii quam longissime producantur. Aliae utique animae aliis longius in purgatorio detinentur, juxta debitum a singulis per se ipsas solvendum. Cf. *S. Thomas* (In IV Sent. d. 21, q. 1, a. 3, sol. 3).

470. Scholion IV: Num animae in purgatorio detentae aliquid pro vivis impetrare possint.

Animas in purgatorio posse pro se ipsis orare, ut vivorum suffragia eis applicentur, supra (n. 458 d) jam dictum est; quaeritur tamen

an eaedem animae valeant aliquid impetrare pro viventibus. *S. Thomas* id negare videtur, cum dicat: "Illi qui sunt in purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantum ad poenas quas patiuntur, et secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis" (II. II, q. 83, a. 11 ad 3). At haec ratio, ait *Bellarminus*, "non convincit; nam animae purgatorii etiamsi nobis sunt inferiores ratione poenarum, tamen superiores sunt ratione gratiae et caritatis, in qua jam confirmatae sunt; oratio autem, quae ex caritate procedit, hanc potissimum superioritatem requirit, si ullam requirit; ergo probabile est eas pro nobis orare". (De Purgat. c. 15). Similiter *Suarezius*, qui ait: "Illae animae sunt sanctae et carae Deo nosque ex caritate diligunt et nostri recordantur noruntque saltem generaliter ea pericula in quibus versamur, et quantum indigeamus divina ope et auxilio" (De Poenit. disp. 47, sect. 2, n. 10). Immo ex sensu fidelium et fere communi theologorum sententia, sicut ex tacito quoque Ecclesiae assensu, haec illarum animarum pro nobis impetratio omnino admittenda videtur.

471. Scholion V: Cur certis quibusdam diebus memoria defunctorum fiat.

Quarto jam saeculo *S. Ephraem* petiit, ut trigesimo die sacrificium pro ipsius anima offerretur (cf. supra, n. 465 c); et in Missali Romano praeter diem obitus et depositionis anniversarii, etiam pro diebus tertio, septimo et trigesimo speciales Missae assignantur. "Ratio hujus veteris consuetudinis videtur haec: Tertia die Christus resurrexit, temporibus patriarcharum veteris testamenti septem dies erant spatium luctus (Gen. 50, 10), pro Aaron vero (Num. 20, 30) et Moyse (Deut. 34, 8) Judaei triginta dies luxerunt. Praeterea secundum quosdam alia mystica significatio subest: Defunctus peccavit tripliciter cogitationibus, verbis, operibus; in Deum, in proximos, in se; purgatur autem ut veniat ad Deum trinum. Dies septimus est dies sabbati seu requietis, quare eo die optat Ecclesia ut defunctus per sex dies laboriose purgatus in requiem ingrediatur. Die vero trigesimo orat Ecclesia, quia defunctus transgrediendo decem mandata contra SS. Trinitatem peccavit. Ceterum illa historica ratio magis obvia est" (*Pesch*, op. cit. n. 618).

472. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Liber secundus Machabaeorum non est canonicus: *Ergo* argumentum scripturisticum ex eo desumi nequit.

Resp. a) *Nego antecedens;* quia alibi ostenditur hunc librum esse canonicum. b) *Transmitto antecedens, et nego consequens.* Nam etiamsi ille liber non esset canonicus, ostenderet tamen fidem Judaeorum, quae in Ecclesia Christi recepta falsa esse nequit.

2° Ex Matthaeo (12, 32) tantum habetur peccatum contra Spiritum Sanctum nunquam remitti, ut ex Marco (3, 29) satis patet: *Ergo* ille textus existentiam purgatorii non probat.

Resp. Nego antecedens; quia non explicita per implicitam, sed implicita propositio per explicitam declaranda est. Matthaeus explicite duo membra distinguit, sc. "neque in hoc saeculo neque in futuro", quae Marcus in unum colligit, ponendo, "non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti." Cum igitur modus loquendi apud Matthaeum supponat aliqua peccata posse remitti in saeculo futuro, hoc Marcus non negat.

3° Verba S. Pauli (I Cor. 3, 11 sqq) possunt intelligi de eventu in hac vita secuturo, decursus enim temporis ostendet utrum quis vel bene vel male aedificaverit super fundamentum a Christo positum: *Ergo* in illo textu non est sermo de purgatorio.

Resp. Nego antecedens; quia "dies Domini declarabit," et dies Domini apud Paulum est semper dies judicii divini, ut jam superius (n. 461 b) expositum est.

4° In altera vita conversio animae est impossibilis: *Ergo* poena purgatorii inutiliter infligitur.

Resp. In altera vita conversio animae a statu injustitiae ad statum justitiae est impossibilis, *C.* Etiam emendatio moralis, quae consistit in abstersione maculae a peccatis relictae, est impossibilis, *N.* Posset quidem Deus simul cum reatu culpae etiam remittere omnem reatum poenae, hoc tamen extra sacramentum baptismi ordinarie non fieri, in tractatu de poenitentia probatur. Insuper etiam vivis poenae purgatorii valde utiles sunt; istis enim poenis sancitur lex qua peccata venialia prohibentur, et hac sanctione homines adducuntur ad etiam levissima peccata evitanda, necnon ad poenitentiam pro commissis agendam.

5° Ex precibus Ecclesiae pro defunctis quoad statum animarum post mortem nihil colligi potest, cum Ecclesia etiam oret pro damnatis; etenim etiamnum in Missa pro defunctis haec habentur: "Libera, Domine, animas fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum, ne obliviscaris in finem, ne tradas eas in manus inimici," et alia ejusmodi: *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: Haec et similia, quae in liturgiis occurrunt, a diversis diversimode explicantur. Alii censent ea intelligenda esse de purgatorio, et tunc nulla doctrinalis difficultas habetur, sed modus loquendi valde mirus. Alii vero putant ea referri ad poenas gehennae, sed dici pro momento mortis, nunc quidem praeterito at aliquando praesenti. Ita inter alios *Suarezius,* qui ait: "Verior sensus esse videtur in iis orationibus Ecclesiam ita

orare pro defunctis, ut tamen repraesentet diem exitus eorum et animas adhuc in corpore existentes et constitutas sub ancipiti eventu mortis aut salutis aeternae, et sub hac repraesentatione postulet ut a poenis inferni liberentur'' (De Poenit. disp. 48, sect. 5, n. 12). Ceterum duo hac in re omnimoda certitudine constant: Primum quidem, Ecclesiam nunquam orasse pro damnatis; alterum vero, Ecclesiam orare atque semper orasse pro pie in Domino defunctis. Hisce autem habitis, argumentum nostrum ex precibus Ecclesiae derivatum firmum est. De formulis in objectione allegatis cf. *cl. Pesch* (op. cit. n. 617), qui eas latius exponit.

6° Pro nostris peccatis abundanter satisfecit ipse Christus, ideoque morte interveniente omnes peccatorum poenae eo ipso auferuntur: *Ergo* animae post mortem suffragiis vivorum neque indigent neque eis juvantur.

Resp. Pro nostris peccatis abundanter satisfecit ipse Christus, ita tamen ut Christi satisfactio per homines applicari debeat, *C.* Ita ut citra omnem hominum interventum applicetur, *N.* Itaque sicut in hac vita nemo justificatur aut a poenis peccatorum liberatur, nisi quatenus ei per media constituta Christi merita applicantur; ita neque in morte vel post mortem hujusmodi liberatio fieri potest, nisi per similem applicationem meritorum Christi; et haec quidem applicatio pro animabus a corpore separatis in vivorum suffragiis continetur.

ARTICULUS V

De Beatitudine Objectiva

THESIS XXXV.—Beatitudo objectiva essentialis est solus Deus; accidentalis vero bonis creatis constituitur.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I. II, qq. 1, 2; *Suppl.* q. 92 (94), a. 1; *In IV Sent.* d. 49, qq. 1-3; S. Bonaventura, *In IV Sent.* d. 49, p. 1, q. 1; Scotus, *In I Sent.* d. 1, qq. 1-5; Suarez, *De Ultimo Fine,* disp. 5, sect. 2; Gregorius De Valentia In I. II, q. 2; Pesch, *De Deo Creante,* nn. 423 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 826 sqq.; 833 sqq.; Muncunill, *De Novissimis,* nn. 858 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 304 sqq.; Pohle-Preuss, *Eschatology,* p. 1, c. 3.

473. STATUS QUAESTIONIS.—In praecedente tractatu (nn. 78 sqq) jam probatum est finem secundarium creationis esse hominum felicitatem, quae ultimo in aeterna beatitudine consistit. In beatitudine autem *duo* distingui possunt; ipse *subjectivus status* propter quem homines beati dicuntur, et *objectum* seu *bonum* e cujus possessione iste status resultat. Ille status vocatur beatitudo formalis; ipsum vero bonum possessum dici solet beatitudo objectiva. In praesenti thesi

unice de hac altera beatitudine agimus, idque breviter; quia tota haec quaestio in philosophia jam disputata est.

474. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) Beatitudinis variae exstant definitiones, quae tamen quoad sensum facile ad unam rediguntur. Ita a *Boethio* definitur: "Status omnium bonorum aggregatione perfectus" (Cons. Phil. l. 3, pros. 2); a *S. Augustino:* "Bonorum omnium summa et cumulus" (Enarr. in Ps. 2, n. 11); a *S. Thoma:* "Bonum perfectum quod totaliter quietat appetitum" (I. II, q. 2, a. 8). Haec ultima magis propria est, quatenus exprimit rationem formalem ob quam omnium bonorum cumulus seu aggregatio hominem beatum reddat, quia scilicet "totaliter quietat appetitum," utique appetitum rationalem. Unde eadem haec definitio etiam ita poni solet: "Summum bonum appetitus rationalis adaequate satiativum." Dicitur autem "status," quia beatitudo est permanens et immobilis conditio, quam semper duraturam esse beatus certo cognoscit. Item aggregatio seu cumulus omnium bonorum, sicut etiam perfectum seu summum bonum, quodlibet malum excludit. Itaque beatus inamissibili bono fruitur, eoque plene satiativo, cui nihil mali commiscetur.

b) Objectiva igitur beatitudo est *ipsum objectum,* e cujus possessione supra dicta fruitio resultat. Hoc autem, sicut ipsa beatitudo, *duplex* est: aliud *essentiale,* aliud *accidentale.* Essentiale objectum illud est, quod ad hominis beatitudinem absolute requiritur et per se solum sufficit. Accidentale vero objectum in iis omnibus bonis consistit, e quorum possessione beato aliqua fruitio accrescit, quae tamen ex se sola nec sufficit nec requiritur ad veram beatitudinem habendam. Hujusmodi igitur objectum vel adesse vel abesse potest, quin essentialis beatitudo in se ulla ratione mutetur; et proinde merito objectum accidentale vocatur.

c) Itaque juxta thesim essentiale objectum beatitudinis est *solus Deus,* qui per se solum sufficit ad hominem perfecte beatificandum, et praeter quem nullum aliud bonum vel bonorum cumulus ad hominem beatificandum unquam sufficere potest. Est autem Deus objectum beatitudinis prout *ipse est in se;* ergo ut Deus *unus* et *trinus,* cum omnibus suis perfectionibus, tam absolutis quam relativis. Attamen id quo Deus *formaliter* beatificat, quodque proinde constituit objectum *formale* beatitudinis, est ipsius *essentia.* Nam Deus ea ratione beatificat, qua est *primum principium et ultimus finis omnis veri et boni;* est autem hujusmodi in quantum est Deus, seu ratione essentiae divinae. Unde perfectiones relativae, ideae divinae, actus liberi principiative sumpti, quae omnia cum Dei essentia identificantur, *materiale* quidem beatitudinis objectum constituunt, non vero etiam ejus objectum formale. Beati igitur fruuntur Deo uno et trino, cum omnibus quae Deo insunt; sed fruuntur his omnibus sub *formali ratione Deitatis.*

d) Licet essentiale objectum beatitudinis sit solus Deus, juxta ea quae modo dicta sunt, nihilominus ad beatitudinem *accidentaliter* complendam alia quoque objecta concurrere possunt. Retinet enim homo in altera vita omnes suas facultates naturales, quae pondere propriae naturae etiam in objecta creata feruntur. Neque ex parte illius status quidquam obstat, quominus beatorum facultates circa haec objecta versentur. Nam praeter scientiam visionis Dei, qua essentialiter beatae redduntur, animae habere possunt scientiam analogam vel infusam vel acquisitam, quam in eodem ordine amor et gaudium consequuntur. In his autem actibus intellectus et voluntatis beatitudo accidentalis *formaliter* consistit.

e) Ipsa bona creata, e quibus ista accidentalis fruitio sequitur sunt tum bona *animae* et *corporis,* tum etiam bona *externa.* Bona *animae* complectuntur omnes virtutes tum intellectus tum voluntatis, quae, fide et spe exceptis, tum quoad habitum tum quoad actum in patria manent. De his igitur, sicut etiam de actibus virtutum olim elicitis, beatorum facultates sese exercere valent. Et idem dicendum est de donis Spiritus Sancti, omnique gratiae sanctificantis sacro comitatu. Bona autem *corporis,* quae utique non aderunt nisi post resurrectionem, tum naturales tum etiam supernaturales corporis perfectiones includunt. In patria enim perfecta erit corporis integritas, omnis defectus removebitur, totumque corpus valde bonum erit, sicut in ipsa creatione prodiit e manu Dei. Ad has naturales perfectiones aliae accedent, quae in supernaturali corporis glorificatione fundantur; de his tamen in alia thesi disserendum est.

f) Ad bona autem *externa* quod attinet, imprimis habetur societas optimorum hominum sanctorumque angelorum, necnon ipsius Domini nostri Jesu Christi, quae beatos suapte natura summe felices reddit. Deinde, sive in ipso Verbo sive ex revelatione eis concessa, beati cognoscunt eos saltem hujus mundi eventus, qui aliqua ratione ad ipsos pertinent. Haec quidem usque ad hujus mundi finem; postea vero aderit novum caelum et nova terra, ipse scilicet hic mundus eo modo renovatus, ut beatis in summum gaudium cedere possit. Proinde saltem post corporum resurrectionem beati completam vitam humanam degent, exclusa utique vita vegetativa, quae spirituali illius status perfectioni haud congrua esse videtur. Haec igitur omnia simul sumpta eam beatitudinem objectivam constituunt, quam accidentalem vocare consuevit.

g) Probationis causa, thesis convenienter in tres partes dividitur: I. *Deus est objectum necessarium beatitudinis essentialis.* II. *Deus est objectum sufficiens beatitudinis essentialis.* III. *Objectum beatitudinis accidentalis bonis creatis constituitur.*

475. **ADVERSARII.**—Primae parti theseos adversantur omnes *Athei* et *Materialistae,* qui utique ipsum suppositum theseos negant, ut per se patet. Item nonnulli haeretici, ut *Palamitae* (saec. xiv), qui non ipsum Deum sed Dei claritatem objectum beatitudinis esse asserebant. Ad hos quodammodo accedit *Rosmini,* secundum quem "Deus est objectum visionis beatificae, in quantum est auctor operum ad extra" (Prop. 38; DB. 1928).—Alteram partem olim negabant tum *philosophi ethnici* tum *haeretici quidam Christiani,* qui quidem admittebant quoddam in altera vita cum Deo consortium, sed insuper ad beatam fruitionem alia bona necessaria esse dicebant. Aliquid simile etiam plerique *Protestantes Liberales* tenere videntur.—Tertiam partem solum illi impugnant, qui ipsam vitam futuram negant.

476. **NOTA.**—Prima pars, in quantum affirmat Deum esse de facto objectum beatitudinis essentialis, *de fide tenenda est;* continetur enim in *definitione Benedictina* (DB. 530), et etiam *Concilii Florentini* (DB. 693). In quantum vero statuit Deum esse objectum necessarium beatitudinis essentialis, potest dici *theologice certa.* Nam de fide est Deum esse finem ultimum hominis, et simul naturali certitudine constat hominem non posse esse beatum nisi in possessione ultimi finis.—Pars altera et tertia proponunt *sententiam certam* et *communem.*

I. Deus est objectum necessarium beatitudinis essentialis.

477. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Juxta Sacram Scripturam, a) *Deus est ultimus finis hominis;* b) *beati Deo de facto fruuntur;* c) *omnia praeter Deum non sunt nisi vanitas:* **Atqui** haec necessario exigunt Deum esse objectum necessarium beatitudinis essentialis: **Ergo.**

Minor satis constare videtur. Nam imprimis homo beatus esse non potest nisi in possessione finis ultimi; dein vero cum beati Deo de facto fruantur, ipse evidenter est objectum eorum beatitudinis; denique cum ea quae non sunt nisi vanitas hominem utique beatificare nequeant, Deus eo ipso est objectum beatitudinis prorsus necessarium.

Major probatur per partes, juxta ordinem divisionis supra jam indicatum.

a) "Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, Omnipotens" (Apoc. 1, 8). Item: "Ex ipso et per ipsum et in ipso (εἰς αὐτόν) sunt omnia" (Rom. 11, 36). Item: "Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, et gloriam meam alteri non dabo" (Is. 48, 11; cf. 43, 7).

b) "Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum" (Jo. 17, 3); vita autem aeterna in Sacra Scriptura idem est ac beatitudo (cf. Mt. 25, 21, 34, 46), et ideo

beatitudo in intellectuali possessione Dei consistit, quae in hac vita incipit per fidem et in altera vita per visionem completur. Unde dicit Apostolus: "Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. . . . Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem" (I Cor. 13, 9-12).

c) "Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes; vanitas vanitatum, et omnia vanitas" (Prolog. 2); quam veritatem postquam sacer scriptor exposuit, ita concludit: "Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, et mandata ejus observa; hoc enim est omnis homo" (Epilog. 13, 14); solus igitur Deus quaerendus est, quia reliqua bona quaecumque hominem beare non possunt—"vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas." Quare et Dominus noster dicit: "Unum est necessarium" (Lc. 10, 42), nempe eligere Deum ejusque possessione frui.

478. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.**—Haec traditio jam ex eo satis elucet, quod beata Dei possessio Christi fidelibus semper et ubique proposita fuerit tamquam unum verum bonum illudque necessario consequendum. Unde *S. Augustinus* ait: "Jam constitutis ante oculos nostros tribus, Epicureo, Stoico, Christiano, interrogemus singulos. Dic Epicuree: Quae res facit beatum? Respondet: Voluptas corporis. Dic Stoice: Virtus animi. Dic Christiane: Donum Dei" (Serm. 150, n. 7; ML. 38, 815). Ipse autem hujus veritatis rationem reddit, dicendo: "Fecisti nos ad te, Domine, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te" (Conf. l. 1, c. 1, n. 1; ML. 32, 661); et alibi: "Ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est" (De Civ. Dei, l. 19, c. 26; ML. 41, 656). Similiter *S. Gregorius Nyssenus*, qui ait: "Haec propria conveniensque intellectuali naturae vita est, si Dei particeps sit. . . . Deum videre vita animae est" (De Infantibus qui praemature abripiuntur; MG. 46, 174). Cf. *S. Ambrosius* (De Offic. l. 2, c. 2; ML. 16, 104), *Lactantius* (Div. Instit. l. 3, c. 8; ML. 6, 365).

479. **ARGUMENTUM TERTIUM: ex ratione.**—Hoc argumentum *S. Thomas* ita ponit: "Impossibile est beatitudinem hominis esse in aliquo bono creato. Beatitudo enim est bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum; alioquin non esset ultimus finis, si adhuc restaret aliquid appetendum. Objectum autem voluntatis, quae est appetitus humanus, est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum. Ex quo patet quod nihil potest quietare voluntatem hominis nisi bonum universale; quod non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo; quia omnis creatura habet bonitatem participatam. Unde solus Deus voluntatem hominis implere potest. In solo

igitur Deo beatitudo hominis consistit'' (I. II, q. 2, a. 8). Similiter *Suarezius,* qui ait: ''Cum voluntatis objectum sit bonum, et intellectus sit ens, plane comprehendunt Deum sub suis objectis, et ita sunt aliquo modo capaces Dei. Rursus, Deus cum sit summum bonum et summum ens, est praecipua pars et praecipuum objectum harum potentiarum: ergo fieri non potest ut homo secundum has potentias fiat beatus in solis creaturis sine Deo, quia deest illi id quod est supremum et optimum in capacitate sua'' (De Ult. Fine, disp. 5, sect. 1).

II. Deus est objectum sufficiens beatitudinis essentialis.

480. ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.—Sacra Scriptura docet, a) *Deum esse hominis finem ultimum;* b) *Deum esse mercedem nostram magnam nimis;* c) *homines satiari gloria Dei:* **Atqui** haec indicant Deum esse objectum beatitudinis essentialis plane sufficiens: **Ergo.**

Minor satis patet.—*Majoris prima pars* supra (n. 577) jam probata est; *altera* vero *pars* ex Genesi (15, 1) constat, ubi Deus Abrahae dixisse legitur: ''Ego merces tua magna nimis''; quae quidem verba merito ad futuram servorum Dei remunerationem extenduntur. Hoc sensu etiam Psalmista ait: ''Quid mihi est in caelo, et a te quid volui super terram? . . . Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum'' (Ps. 72, 25, 26). *Majoris tertia pars* etiam ex Psalmis colligitur: ''Satiabor cum apparuerit gloria tua'' (Ps. 102, 5). Item: ''Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos; quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen'' (Ps. 35, 9, 10).

481. ARGUMENTUM ALTERUM: ex ratione.—Illud objectum sufficit ad hominem essentialiter beatificandum, *quod in se continet omne bonum et extra quod non est nisi bonum ex eo participatum: Atqui* tale objectum est ipse Deus in caelo fruendus: *Ergo.*

Hoc argumentum *Suarezius* ita ponit: ''Deus per se solum est summum bonum simpliciter, et perfecta cum ipso conjunctio, seu illius adeptio, est per se maxime expetibilis et sufficiens ad perfectionem hominis, non solum quia in Deo continetur omne bonum eminenter, sed etiam quia secum affert quidquid ad beatitudinem hominis necessarium esse potest; ergo solus Deus est essentiale objectum nostrae beatitudinis. Et confirmatur tandem, quia solus Deus est primum hominis principium: ergo solus etiam est ultimus finis ejus; ergo in reditu ad ipsum et in consecutione ejus stat hominis beatitudo'' (op. cit. disp. 5, sect. 2, n. 4).

III. Objectum beatitudinis accidentalis bonis creatis constituitur.

482. ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scripturam *beati in caelis gaudent super peccatore poenitentiam agente, eisque per Ecclesiam innotescit multiformis sapientia Dei:* **Atqui** haec est beatitudo accidentalis, ex bonis creatis derivata: **Ergo.**

Minor ex eo patet, quod conversio peccatoris et diffusio Ecclesiae sunt bona realiter a Deo distincta, et ideo beatitudo inde resultans ab ipsius Dei fruitione diversa est.

Major constat tum ex Luca (15, 10), ubi legitur: "Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente," tum ex S. Paulo (Eph. 3, 10), ubi dicitur per Verbi incarnationem et fidei propagationem factum esse, "ut innotescat principatibus et potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei." Haec directe quidem ad angelos referuntur, sed nihil obstat quominus ex consequente etiam de beatis intelligantur.

483. ARGUMENTUM ALTERUM: ex ratione.—In beatitudine essentiali homines retinent *tum facultates naturales tum naturalem tendentiam eas circa objecta creata exercendi;* simul etiam adsunt *objecta creata circa quae istae facultates exerceri possunt:* **Atqui** hisce datis, admittenda est beatitudo objectiva accidentalis, simulque patet eam constitui bonis creatis: **Ergo.**

Argumentum ex iis satis liquet, quae supra (n. 474 d-f) dicta sunt.—Ex hoc et praecedente argumento *Suarezius* concludit: "Est igitur hac in re certum praeter essentialem beatitudinem esse in animabus beatis aliqua accidentalia praemia, quae nomine beatitudinis accidentalis significari solent. Sic omnes theologi" (op. cit. disp. 11, sect. 2, n. 2).

484. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Si Deus esset objectum necessarium beatitudinis, inesset homini naturalis appetitus ad eum beate possidendum: *Atqui* talis appetitus homini non inest: *Ergo.*

Resp. Si Deus esset objectum necessarium beatitudinis, inesset homini naturalis appetitus ad eum in aliquo ordine beate possidendum, *C.* Etiam ad eum in ordine supernaturali beate possidendum, *N.* Nam naturalis appetitus non datur nisi ad ea quae naturaliter possibilia sunt; unde licet homo naturaliter tendat in perfectam beatitudinem, ideoque in ipsum Deum tamquam objectum beatitudinis perfecte satians, nihilominus sibi relictus non tenderet in beatitudinem supernaturalem seu in Deum intuitive videndum. Quia tamen humana natura elevata est ad finem supernaturalem, ideo etiam elevatus est hominis

appetitus ad Deum beate possidendum; quare hac elevatione cognita, homo nunc de facto appetit Deum intuitive videndum.

2° Ens infinitum non potest esse objectum beatitudinis finitae: *Atqui* Deus est ens infinitum, hominis autem beatitudo finita est: *Ergo.*

Resp. Ens infinitum, infinito modo possidendum, non potest esse objectum beatitudinis finitae, *C.* Neque finito modo possidendum potest esse hujusmodi objectum, *N.* Deus sese communicat beatis juxta eorum capacitatem; haec autem capacitas semper finita est, et ideo beati Deum finito modo possident, licet ipse in se sit ens prorsus infinitum.

3° Finita capacitas beatitudinis etiam bonis creatis expleri potest: *Ergo* Deus non est objectum necessarium beatitudinis.

Resp. Nego antecedens. Nam entia creata non sunt bona nisi per participationem; et ideo iis omnibus jam possessis, adhuc ferter rationalis appetitus in bonum absolutum, quod bonum est ipse Deus (cf. supra, n. 479).

4° Homo non est perfecte beatus nisi etiam possideat objecta sibi naturaliter proportionata: *Ergo* Deus non est objectum sufficiens.

Resp. Homo non est accidentaliter perfecte beatus nisi etiam possideat objecta sibi naturaliter proportionata, *C.* Neque est essentialiter perfecte beatus nisi hujusmodi objecta possideat, *N.* Ad accidentalem beatitudinem habendam, alia quidem objecta praeter Deum requiruntur; sed ipsa haec accidentalis beatitudo omnino abesse potest, quin beatitudo essentialis propterea minus perfecta evadat. Et ideo contendimus in thesi solum Deum esse objectum sufficiens beatitudinis essentialis, non vero etiam beatitudinis prout haec in concreto habetur.

ARTICULUS VI

De Beatitudine Formali

THESIS XXXVI.—Beatitudo subjectiva seu formalis complectitur actum cognitionis, amoris, et gaudii; essentialiter tamen in sola cognitione seu in intuitiva Dei visione consistit.

Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.* I. q. 12; I. II, q. 3, aa. 3, 8; *Cont. Gent.* l. 3, cc. 25-37; *In IV Sent.* d. 49, q. 1, a. 1, quaestiunc. 2; S. Bonaventura, *In IV Sent.* d. 49, p. 1, qq. 1-5; Scotus, *In IV Sent.* d. 49, qq. 1-12; Suarez, *De Ultimo Fine,* disp. 7, sect. 1; Lessius, *De Summo Bono,* l. 2, c. 6; Petavius, *De Deo,* l. 7; Pesch, *Praelect.* III, nn. 430 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 1163 sqq.; 1177 sqq.; Muncunill, *De Novissimis,* nn. 869 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 316 sqq.; Jungmann, *De Novissimis,* nn. 124 sqq.; Minges, *Compendium Theologiae Dogmaticae Specialis,* II, nn. 653 sqq.; Roudreaux, *The Happiness of Heaven,* cc. 1-4; Pohle-Preuss, *Eschatology,* p. 1, c. 3.

485. STATUS QUAESTIONIS.—Cum Deus sit objectum quo homo essentialiter beatur, evidenter requiritur aliqua unio Deum inter et hominem, ratione cujus adsit beatitudo subjectiva seu formalis. Hanc unionem non esse *substantialem* satis constat; nam non alia unio substantialis inter Deum et hominem possibilis est nisi illa quae *hypostatica* dicitur, quae quidem in casu neque admittitur neque per se sufficit ad beatitudinem formalem habendam. Ex altera tamen parte, unionem beatorum cum Deo esse diversam a qualibet unione accidentali quae *hoc in mundo* obtinet, jam exinde patet quod hisce in terris nullus homo sit vere beatus. Insuper cum ultima hominis perfectio, qualis in caelesti beatitudine habetur, consistere debeat in aliquo actu ordinis intellectualis, eo ipso liquet formalem hominis beatitudinem quaerendam esse aut in actu *intellectus* aut in actu *voluntatis*, aut denique in *utroque simul*. Quidnam hac in re tenendum sit, in praesenti thesi declaramus.

486. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) Haec beatitudo dicitur *subjectiva* in quantum denotat *intrinsecam conditionem ipsius beati*, et qua talis distinguitur contra beatitudinem objectivam, quae in praecedente thesi exposita invenitur. Dicitur vero *formalis* quatenus *ipsissimam rationem exhibet*, propter quam illa intrinseca hominis conditio vera beatitudo dici possit. In concreto est *perfecta satiatio appetitus rationalis*.

b) Complectitur haec beatitudo *tres* actus: actum *cognitionis*, actum *amoris*, actum *gaudii;* et hisce actibus beatitudo ea ratione integratur, ut connaturaliter ab invicem separari non possint. Actus cognitionis et actus amoris sua natura unitivi sunt, et ipsam beatam unionem cum Deo ingrediuntur; aliter tamen et aliter, juxta naturam actus. Nam per actum cognitionis Deus est in homine tamquam objectum *cognitum in cognoscente*, et hac ratione homo ipsi Deo assimilatur. Per actum vero amoris Deus est in homine sicut objectum *amatum in amante*, quae quidem inexistentia non efficitur per modum assimilationis, sed per unitionem boni convenientis cum suo subjecto. Deum vero hoc duplici actu possessum *suapte natura* consequitur actus gaudii, seu delectatio appetitus rationalis. Hic tamen actus gaudii non solum circa Deum versatur, sed etiam circa possessionem ejus; ipsa enim possessione rationalis appetitus ultimo satiatur.

c) Hinc *unio vitalis* cum Deo, in qua hominis beatitudo ultimo consistit, per *duos* tantum actus perficitur: per actum *cognitionis* et per actum *amoris*. Itaque actus *gaudii*, qui cognitionem et amorem consequitur, aliud esse nequit nisi *complementum quoddam ipsi unioni extrinsecum*. Connaturaliter semper quidem adest, et hoc sensu beatitudinem concrete sumptam tamquam pars ejus constituit; absolute tamen, ipsa beatitudine essentialiter integra permanente, vel totaliter

abesse vel saltem temperari potest. Hoc autem dato, beatitudo formalis in illo actu gaudii essentialiter consistere nequit.

d) Immo dicitur in thesi beatitudinem formalem in *sola* cognitione essentialiter reponendam esse, ita ut neque actus amoris de ejus essentia dici possit. Attamen ad hoc notandum est, terminum "essentialiter" in casu signare essentiam *metaphysicam,* seu illam praecise rationem qua homo primo in statu beatitudinis constituitur, et ex qua alia in hoc statu ut proprietates quaedam dimanant. Ad hanc essentiam determinandam eodem modo procedi potest, quo determinatur essentia metaphysica cujuslibet entis naturalis. Ita ad *metaphysicam essentiam hominis* determinandam, eas dumtaxat notas quaerimus, quae ad hominem in sua specie constituendum absolute requiruntur, et ex quibus cetera hominis propria naturali consecutione promanant. Ad has autem pertinent *animalitas* et *rationalitas,* quae proinde solae hominis essentiam metaphysicam constituunt; reliqua vero quae homini necessario insunt, ut *posse loqui et ridere et hujusmodi,* inter ejus *proprietates* numerantur. Simili ratione dicimus actum cognitionis esse *metaphysicam essentiam beatitudinis;* actum vero amoris et gaudii esse ejusdem beatitudinis *proprietates,* quae naturali consecutione ex actu cognitionis emanant.

e) Ab hac igitur metaphysica beatitudinis essentia illa sedulo distinguenda est, quae *physica* vocatur. Nam physica alicujus entis essentia non eam dumtaxat perfectionem includit, qua illud ens primo in suo ordine constituitur, sed omnes alias quoque perfectiones quae eidem enti in concreta sua existentia necessario conveniunt. Itaque physica beatitudinis essentia praeter actum cognitionis simul etiam complectitur actum amoris et actum gaudii, quippe qui cognitionem naturali nexu consequuntur. Attamen de hac physica essentia non quaeritur in thesi, sed de ea solum quae *metaphysica* vocatur.

f) Cognitio autem, in qua metaphysicam beatitudinis essentiam consistere dicimus, per se potest esse aut *mediata* et *abstractiva,* aut *immediata* et *intuitiva;* haec enim pendent ex ipso fine homini divinitus praestituto. Ita in ordine naturae purae, cum ipse finis esset naturalis, beata cognitio per abstractionem ex creaturis derivanda esset, et ideo non posset esse nisi *mediata.* In praesenti autem ordine, qui ex Dei ordinatione supernaturalis est, ipsa quoque beata cognitio ordinem naturae excedit. Immo cum finis attingendus in immediata unione cum Deo consistat, haec cognitio eo ipso *immediata* et *intuitiva* dicenda est. Quid vero hisce terminis intelligendum sit, breviter explicare juvat.

g) Itaque imprimis haec cognitio dicitur *immediata,* et quidem plenissimo sensu, ita ut tum *objectivum* tum *subjectivum cognitionis medium* excludatur. Objectivum quidem, quia nulla *res creata* intervenit, ex qua prius cognita mens ascendat ad cognitionem ipsius Dei;

subjectivum vero, quia nulla habetur *species impressa* Dei repraesentativa, sed Deus per se ipsum intime praesens est intellectui humano per ipsum actuato. Unde Deus dicitur intellectui humano praesens *ad modum formae,* quia ipse per suam infinitam intelligibilitatem illud idem in ratione cognitionis directe praestat, quod in omni alia cognitione praestatur per speciem objecti menti cognoscentis impressam. Attamen ipse non est forma intellectui humano *physice inhaerens,* quippe quod ejus infinitae perfectioni repugnat; sed ita *cognoscibiliter praesentem* se sistit, ut intellectus humanus eo ipso divinae essentiae vitaliter uniatur. Unde neque habetur *species expressa* tamquam terminus ab ipso actu cognitionis distinctus; sed unice ille actus vitalis quo intellectus beati ipsi Deo assimilatur. In hoc magnum quidem mysterium adesse patet; mysterium tamen cujus existentia ex revelatione certe constat.

h) Ex dictis jam liquet cur haec cognitio *intuitiva* dicatur; cum enim sit undequaque immediata, ita ut nullum prorsus medium cognitionis Deum inter et humanum intellectum interveniat, beati Deum intuentur in se ipso, fere sicut nos hominem nobis localiter praesentem oculis nostris corporeis intuemur. Unde haec cognitio etiam *visio* dicitur, et quidem *visio facialis;* videtur enim Deus facie ad faciem, seu oculo mentis perspicitur sicuti est.

i) Quae cum ita sint, cognitio beata evidenter non est *analoga* sed propria, visio scilicet intellectualis ad ipsam Dei essentiam immediate terminata. Cum tamen homo talis visionis per se non sit capax, inde ipsius intellectus *lumine gloriae* confortari debet. Hoc igitur lumen gloriae non est medium cognitionis, quod aliqua ratione objectum cognoscibile reddat; sed est *habitus quidam supernaturalis operativus, intellectum beati perficiens, eumque proxime habilem reddens ad Deum intuitive videndum.* Unde est in genere causae *efficientis,* quia una cum intellectu efficit visionem beatam.

k) Lumen gloriae esse necessarium "ad Deum videndum et eo beate fruendum," definivit *Concilium Viennense* (cf. DB. 474); hanc autem necessitatem ita exponit *S. Thomas:* "Oportet, si Deus per essentiam videri debeat, quod per nullam creatam speciem videatur, sed ipsa ejus essentia fiat intelligibilis forma intellectus eum videntis. Quod fieri non potest, nisi ad hoc intellectus creatus per lumen gloriae disponatur. Et sic in videndo Deum per essentiam, per dispositionem infusi luminis pertingit mens ad terminum viae, qui est gloria. Sicut autem divinae omnipotentiae subjecta sunt corpora, ita et mentes. Unde sicut potest aliqua corpora perducere ad effectus quorum dispositio in praedictis corporibus non invenitur, sicut Petrum fecit super aquas ambulare sine hoc quod ei dotem agilitatis tribuerit, ita potest mentem ad hoc perducere, ut divinae essentiae uniatur in statu viae

modo illo quo unitur sibi in patria, sine hoc quod lumine gloriae perfundatur" (De Verit. q. 10, 11). Igitur juxta *S. Thomam* lumen gloriae non est absolute necessarium ad Deum immediate videndum; est tamen necessarium nisi Deus per suam omnipotentiam aliud medium supplere velit (cf. *Suarez,* De Deo. l. 2, c. 15, n. 28).

1) Duo in hac thesi probanda sunt; I. *Subjectiva seu formalis beatitudo complectitur actum cognitionis, amoris, et gaudii.* II. *Essentialiter tamen haec beatitudo in sola cognitione seu intuitiva Dei visione consistit.* Reliqua vero, quae ad modum expositionis proposita sunt, in tractatu de Deo Uno probari solent.

487. ADVERSARII.—Primae parti theseos, in quantum affirmat beatos ipsam Dei essentiam intueri, omnes illi adversantur qui jam supra (n. 475) contra primam partem praecedentis theseos citati sunt. —Altera pars inter solos Catholicos disputari solet, et de ea quatuor praecipuae occurrunt sententiae. Prima ea est quae in ipsa hac thesi proponitur, quamque defendunt *S. Thomas* (I. II q. 3, aa. 3 sqq), *Lessius* (De Beatitudine, q. 3, a. 4, dub. 2), *Vasquez* (disp. 11, cc. 3, 7), omnes *Thomistae,* aliique plurimi.

Secunda defenditur a *Scoto* (In IV Sent. d. 49, a. 5) et ejus discipulis, qui essentiam beatitudinis reponunt in actu perfectae caritatis erga Deum, ita ut visio Dei non sit nisi conditio praevia, necessaria quidam sed non ipsam beatitudinem formaliter constituens. Ratio autem hujus sententiae desumitur ex altiore perfectione, quam actui voluntatis inesse dicunt. Nam "actus non est perfectior, nisi quia conjungit objecto perfecto; actus autem voluntatis conjungit rei in se, ut in se est; actus autem intellectus nonnisi rei, ut objectum est in cognoscente. Objectum autem beatificum simpliciter est nobilius in se quam ut est in cognoscente; ergo actus voluntatis conjungit objecto beatifico simpliciter sub nobiliori ratione" (cf. *P. Minges,* recens genuinae Scoti sententiae expositor, n. 655).

Tertia sententia est *S. Bonaventurae* (In IV Sent. d. 49, p. 1, q. 5), *Suarezii* (De Fine Ultimo, disp. 7, sect. 1), *Gregorii de Valentia* (De Beatitudine, disp. 1, q. 3, punct. 4), quos alii plurimi sequuntur. Juxta eos essentia beatitudinis consistit in actibus intellectus et voluntatis simul sumptis, quia beati tum per visionem tum per amorem Deo fini ultimo immediate conjunguntur. Nisi enim uterque actus habeatur, appetitus rationalis non est satiatus, et ideo homo vere beatus dici nequit.

Quarta denique sententia ponit essentiam beatitudinis in gaudio, quia in solo gaudio appetitus rationalis perfecte satiatur, et hac tandem satietate homo in summo bono tamquam in fine suo ultimo quiescit. Hanc sententiam docuit *Aureolus,* quem nonnulli alii secuti sunt. Ipse ait: "Dico, quod beatitudo est delectatio formaliter, ita ut gaudium

de Deo et complacentia in eo sit actus formaliter beatitudinis" (In III, d. 15, q. 1, n. 3). Itaque actus visionis et amoris sunt conditio praerequisita ad quam ipsa formalis beatitudo consequitur. Haec tamen sententia nunc fere derelicta est.

488. **NOTA**.—Prima pars *est de fide tenenda;* nam in Constitutione "Benedictus Deus," a *Benedicto XII* edita, per modum definitionis statuitur: Animae plene purgatae "post Domini Jesu Christi passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente, quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione et fruitione eorum animae, qui jam decesserunt, sunt vere beatae et habent vitam et requiem aeternam" (DB. 530; cf. 693). Itaque juxta hanc definitionem beati non modo intuitive vident Deum, sed Deo sic viso etiam "perfruuntur"; hanc autem perfruitionem in actibus amoris et gaudii consistere patet. Insuper eadem nota etiam ex jugi magisterio Ecclesiae desumi potest.—Altera vero pars, quae statuit essentiam beatitudinis formalis in sola intuitiva Dei visione consistere, proponit sententiam multo probabiliorem atque communiorem.

I. Subjectiva seu formalis beatitudo complectitur actum cognitionis, amoris, et gaudii.

489. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Sacra Scriptura docet, a) *beatos videre Deum facie ad faciem, videre Deum sicuti est, cognoscere Deum sicut et ipsi cogniti sunt;* b) *ipsam caritatem in altera vita manere, necnon Deum inter et beatos esse perfectam amicitiam, qualis inter sponsum et sponsam habetur;* c) *cor beatorum gaudere, eorumque gaudium non esse auferendum:* **Atqui** hoc perinde est ac beatitudinem complecti actum cognitionis, amoris et gaudii: **Ergo.**

Minor ex ipsis terminis satis constat.—*Major* probatur per partes, juxta divisionem supra indicatam.

a) S. Paulus docet: "Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. . . Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum" (I Cor. 13, 9-12).

In hoc textu sermonem esse de cognitione beata, luce clarius apparet. Illud enim "perfectum" quod venturum est, evidenter ipsam beatorum conditionem designat. Comparando autem cognitionem beatam cum ea quam in hac vita habere possumus, sive ex creaturis sive ex

fide, Apostolus eam dicit perfectam, claram, immediatam, propriam, similem cognitioni qua ipse Deus nos cognoscit. Non enim ex parte est, non per speculum, non in aenigmate; sed est per modum visionis, qua ipsum Deum facie ad faciem intuemur.

Idem docet S. Joannes, qui ait: "Carissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est" (I Jo. 3, 2). Non igitur hujus vitae cognitione, partiali scilicet et imperfecta, beati Deum cognoscunt; sed clara visione eum in se ipso attingunt, et per hanc visionem similes sunt Deo.

b) In altera vita caritatem manere docet Apostolus, cum ait: "Caritas nunquam excidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur. . . . Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec; major autem horum est caritas" (I. Cor. 13, 8, 12). Fides in visione et spes in fruitione cessabunt, sed "caritas nunquam excidit."

Haec autem caritas est perfecta amicitia Deum inter et beatos, qualis inter sponsum et sponsam habetur; nam: "Regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor ejus praeparavit se. Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido; byssinum enim justificationes sunt sanctorum. Et dixit mihi, scribe: Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dixit mihi: Haec verba Dei vera sunt" (Apoc. 19, 7-9).

c) Cor beatorum gaudere, ita testatur psalmista: "Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos; quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen" (Ps. 35, 9, 10). Unde illa judicis sententia: "Euge, serve bone et fidelis, . . . intra in gaudium Domini tui" (Mt. 25, 21). Et ipse Dominus noster discipulis ait: "Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis" (Jo. 16, 22).

490. ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.—Hanc traditionem SS. Patres passim testantur. Ita v. g. *S. Cyprianus:* "Quae erit gloria et quanta laetitia, admitti ut Deum videas, honorari ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis aeternae gaudium capias, . . . cum justis et Dei amicis in regno caelorum datae immortalitatis voluptate gaudere, sumere illic quod nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit" (Epist. 58, n. 10; ML. 4, 357). Et *S. Augustinus:* "Sic enim et illud recte intelligitur, quod ait Apostolus: 'Ut sit Deus omnia in omnibus' (I Cor. 15, 28). Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. . . . Ibi vacabimus et videbimus, videbimus et

amabimus, amabimus et laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine'' (De Civ. Dei, l. 22, c. 30, nn. 1, 5). Cf. *S. Joannes Damascenus* (De Fide Orthod. l. 4, c. 27; MG. 94, 1228).

491. ARGUMENTUM TERTIUM: ex ratione.—Beatitudo subjectiva consistit in *possessione ultimi finis:* **Atqui** ad possessionem ultimi finis aliqua ratione concurrunt illi tres actus, cognitionis videlicet, amoris, et gaudii: **Ergo.**

Major ab omnibus admittitur.—*Minor* ex eo constat, quod possessio ultimi finis in casu est possessio ipsius Dei; haec autem aliter haberi nequit nisi per vitalem cognitionis et amoris unionem, quam gaudium necessario consequitur. Est enim Deus summum verum et summum bonum, et sub utraque ratione a beatis possidetur.

II. Essentialiter tamen haec beatitudo in sola cognitione seu intuitiva Dei visione consistit.

492. ARGUMENTUM: ex ratione.—Essentia beatitudinis formaliter in illo actu reponenda est, *quo homo primo in statu beatitudinis constituitur:* **Atqui** homo primo in statu beatitudinis constituitur per actum cognitionis seu visionis Dei: **Ergo.**

Major est definitio essentiae metaphysicae, quatenus haec in beatitudine invenitur; et de hac sola nunc est quaestio.—*Minor* duplici consideratione constat: Prima, quia actus amoris et actus gaudii necessario praesupponunt actum cognitionis, quod quidem ipsi adversarii admittunt; altera, quia eo ipso quod homo immediate et intuitive cognoscit Deum finem suum ultimum, jam est in possessione finis ultimi, ideoque jam est in statu beatitudinis constitutus. Nam secundum omnes, beatitudo est consecutio finis ultimi, ejusque secura possessio.

Confirmatur haec pars etiam ex verbis S. Pauli, superius (n. 489 a) jam citatis. Nam istis verbis voluit Corinthios ad recte vivendum exhortari et spe beatitudinis consolari; jamvero in hunc finem ipsam visionem intuitivam tantum adducit; ergo in ipsa hac visione essentia beatitudinis consistere videtur.

493. Scholion I: Utrum beatitudo ad intellectum speculativum an practicum pertineat.

Beatitudinem magis consistere in operatione speculativi intellectus quam practici, juxta *S. Thomam* patet et *tribus* rationibus. *Primo* quidem ex hoc quod objectum beatitudinis sit bonum divinum; ''quod quidem non est objectum practici intellectus, sed speculativi. Unde in tali operatione, scilicet in contemplatione divinorum, maxime consistit beatitudo. *Secundo* apparet idem ex hoc quod contemplatio maxime quaeritur propter seipsam. Actus autem intellectus practici non quaeritur propter seipsum, sed propter actionem; ipsae autem actiones ordi-

nantur ad aliquem finem. Unde manifestum est quod ultimus finis non potest consistere in vita activa, quae pertinet ad intellectum practicum. *Tertio* idem apparet ex hoc quod in vita contemplativa homo communicat cum superioribus, scilicet Deo et angelis, quibus per beatitudinem assimilatur; sed in his quae pertinent ad vitam activam, etiam alia animalia cum homine aliqualiter communicant, licet imperfecte. Et ideo ultima et perfecta beatitudo, quae expectatur in futura vita, tota principaliter consistit in contemplatione. Beatitudo autem imperfecta, qualis hic haberi potest, primo quidem et principaliter consistit in contemplatione, secundario vero in operatione practici intellectus ordinantis actiones et passiones humanas'' (I. II, q. 3, a. 5).

494. Scholion II: Quod beati cognoscant Deum totum sed non totaliter.

Beati cognoscunt Deum totum, quia clare vident ipsam deitatem, seu Deum unum et trinum, una cum iis omnibus quae Deo formaliter insunt. Et haec quidem jam supra (n. 474 c) exposita sunt. Non vero cognoscunt beati Deum totaliter, id est, omni prorsus modo summaque intensitate prout in se cognoscibilis est. Nam Deus, ut ens infinitum, est etiam in actu infinitus, idcirco infinite cognoscibilis. Vis cognoscendi vero in creaturis, quantumcumque lumine gloriae aucta, semper finita manet; et ideo omnimodam Dei cognoscibilitatem exhaurire non valet. Unde beati non cognoscunt omnia quae Deo eminenter insunt, neque omnia quae ex liberis Dei decretis pendent. Ita v. g. angeli dicuntur non cognoscere diem judicii (Mt. 24, 36). Ad rem *S. Thomas:* ''Nullus igitur intellectus creatus videndo potest cognoscere omnia quae Deus facit, vel potest facere; hoc enim esset comprehendere ejus virtutem; sed horum quae Deus facit, vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt'' (I, q. 12, a. 8).

Cognoscunt tamen beati omnia mysteria fidei quae in terris crediderunt, cum visio sit praemium fidei; et in genere ea omnia quae ad ipsos spectant. De his scribit *Billuart:* ''Observant communiter theologi, Beatum posse tripliciter considerari, ut est talis persona publica vel privata, puta Papa, rex, fundator religionis, paterfamilias, censentque ea omnia videre, quae juxta exigentiam istius triplicis status eum specialiter spectant'' (De Ultimo Fine, diss. 4, a. 10 § 2). Hoc sensu *S. Thomas* docet: ''Nulli intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia quae ad ipsum spectant'' (III. q. 10, a. 2).

495. Scholion III: Utrum sint aliquae dotes in anima beata.

Ad hanc quaestionem omnes theologi affirmative respondent, et hoc quidem responsum fundamentum habet in Sacris Litteris, ubi unio animae cum Deo matrimonio spirituali comparatur (cf. II Cor. 11, 2; Apoc. 21, 2; 19, 7; Jo. 3, 29); in matrimonio autem dos aliqua dari

[illegible] vivat. Disputant tamen theologi in quanam re dos animae reponenda sit. Ita S. Bonaventura (In IV Sent. d. 49, q. 5) et alii quidam putant hanc dotem esse ipsam visionem beatificam una cum actibus qui eam consequuntur. Communior tamen sententia, quam inter alios tuetur S. Thomas (In IV Sent. d. 49, q. 4, a. 2), tenet dotem animae esse aliquid habituale, quod ad visionem beatificam dirigatur ipsumque matrimonium spirituale delectabile reddat. Dos enim, aiunt, non est idem ac vinculum matrimoniale, sed ipsum matrimonium praecedit vel ad illud ordinatur.

In hac autem sententia tres animae dotes numerari solent: Prima quidem, lumen gloriae, quod animam ad visionem beatificam disponit; altera vero, beatitudinis fruitio, quae ad delectationem refertur; tertia demum, immutabilis retentio finis ultimi, vi cujus anima in illo statu secura existit. Respondent autem hae dotes tribus virtutibus theologicis, quibus anima jam in via Christo desponsata erat. "Nam lumen gloriae removet obscuritatem fidei, et est dos maxime essentialis et radix aliarum dotum; comprehensio (seu immutabilis retentio finis ultimi) removet timorem spei; fruitio anxietatem amoris quaerentis praesentiam amati" (Pesch, op. cit. n. 454).

496. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° In Sacra Scriptura Deus dicitur invisibilis, "quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest" (1 Tim. 6, 16), "quem nemo vidit unquam" (Jo. 1, 18), "quem nemo novit" (Mt. 11, 27): *Ergo* beatitudo non complectitur intuitivam Dei visionem.

Resp. In Sacra Scriptura Deus dicitur invisibilis, etc., hominibus in terra versantibus, vel oculis corporeis, vel simpliciter incomprehensibilis, *C.* Etiam beatis in caelo, citra sui ipsius comprehensionem, *N.*

2° *Atqui* etiam beatis et citra sui ipsius comprehensionem; nam juxta Apostolum (1 Tim. 6, 16), Deus "lucem inhabitat inaccessibilem": *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Juxta Apostolum Deus lucem inhabitat naturaliter inaccessibilem, *C.* Etiam supernaturaliter inaccessibilem, *N.* Nam in textu allegato S. Paulus adhortatur Timotheum ad recte vivendum in hoc mundo, usque dum Deus, "qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem," ei mercedem largiatur; et ita de visibilitate vel invisibilitate in altera vita nullus est sermo. Insuper qui docet nos visuros esse Deum "facie ad faciem" (1 Cor. 13, 12), certe simul docere non potest Deum esse etiam supernaturaliter invisibilem.

3° In Sacris Litteris angeli negantur videre Deum; nam leguntur desiderare prospicere in eum (1 Petr. 1, 12), ideoque eum actu non vident; *Ergo* a fortiori homo non potest Deum videre.

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: a) Textus allegatus, "in quem (Spiritum sanctum) desiderant angeli prospicere," probabilius legendus est, "in quae (mysteria futura) desiderant angeli prospicere; et sic nulla difficultas habetur. b) Si tamen terminus "in quem" retineatur, verbum "desiderant" excludit quidem fastidium visionis, minime vero visionem ipsam. Hoc altero sensu textum interpretatur *S. Gregorius Magnus* (Moral. l. 18, c. 29).

4° Ex eo quod S. Paulus docet se visurum esse Deum "facie ad faciem," quoad visionem intuitivam nihil sequitur; nam hic terminus alibi in Sacris Litteris etiam de vivis adhibetur, qui tamen intuitivam Dei visionem non habebant. Ita Jacob de se ipso dixit: "Vidi Deum facie ad faciem" (Gen. 32, 30), cum tamen non vidisset nisi angelum; et etiam ad Moysen Deus locutus est "facie ad faciem" (Exod. 33, 11), et ipse vidit Deum (Num. 12, 8): *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: Omnino tenendum est, quod etiam ex contextu satis constat, neque Jacob neque Moysen vidisse Deum in propria specie; sed nos non arguimus ex verbis allegatis uti sonant, verum prout in contextu apud Paulum inveniuntur. Ibi autem, ut superius in argumento (n. 489 a) ostensum est necessario claram et immediatam Dei cognitionem significant, qualem in visione beatifica affirmamus.

5° Multi Patres docent Dei essentiam videri non posse; ita v. g. *Origenes* asserit "ne ipsi quidem Unigenito (ut homini) visibilem esse naturam Dei" (De Princip. l. 1, c. 1, n. 8; MG. 11, 128), et *S. Chrysostomus* ait: "Id quod Deus est, non modo prophetae, sed neque angeli neque archangeli viderunt. . . . Ut igitur multi pro captu suo ipsum viderunt, substantiam vero nemo vidit, sic et nunc omnes Deum novimus, substantiam vero ejus quae sit nemo novit, nisi is qui ex ipso natus est" (In Joan. hom. 15, n. 1, 2; MG. 59, 98); item: "Ascendamus ad caelos; an forte quipiam ibi sint, qui, quid secundum substantiam sit Deus, norint? . . . Verum ut ex abundanti discas nullam ibi creatam virtutem id nosse, audiamus angelos" (De Incomprehensibili, hom. 1, n. 6; MG. 48, 707): *Ergo.*

Resp. Multi Patres docent Dei essentiam videri non posse oculis corporeis, aut hac in terra, aut comprehensive, *C.* Dei essentiam videri non posse modo quam nos in thesi affirmamus, *N.* Distinctio data plerumque ex ipso contextu patet. Ita *Origenes* in textu statim prosequitur: "Videri et videre corporum est"; ergo de visione corporea loquitur. Item *S. Chrysostomus* ad textum primo loco allegatum subjungit: "Cognitionem enim hic dicit certam visionem et comprehensionem, talemque qualem Pater de Filio habet." Hoc modo Patres saepe arguunt contra Eunomianos, qui docebant Deum posse a creaturis

perfecte comprehendi; quare ubi visionem Dei negare videntur, nonnisi comprehensionem Dei prae mente habent (cf. *Franzelin,* De Deo Uno, thes. 19).

6° Essentia beatitudinis in actu illius facultatis reponenda est, quae est altera nobilior: *Atqui* voluntas est intellectu nobilior: *Ergo.*

Resp. Essentia beatitudinis in actu illius facultatis reponenda est, quae est altera nobilior et simul ejusmodi est ut per eam Deus primo formaliter possideri possit, *C.* Quae simul ejusmodi facultas non est, *N.* Per solum intellectum Deus primo formaliter possidetur, ut jam superius in argumento (n. 492) ostensum est; et ideo in solo actu intellectus formalis beatitudo essentialiter consistit. Praeterea minor argumenti simpliciter negari potest; nam ut bene nota *cl. Pesch:* "Sub multiplici respectu intellectus est nobilior voluntate: est enim radix vitae spiritualis; efficit sua amplitudine et indifferentia, ut voluntas sit libera; praeit voluntati eam illustrando et dirigendo, et actui ejus speciem tribuit; omnia objecta in se intelligibiliter producit eaque voluntati proponit, ut voluntas nullum bonum habeat nisi per intellectum. Hoc quoque modo voluntas tendit in bonum ut finem, non quasi ipsa possit per se finem attingere et possidere, sed quatenus suo pondere impellit alias facultates, ut ipsae bonum apprehendant" (op. cit. n. 448).

7° Absque fruitione Dei nemo beatus est: *Atqui* fruitio Dei est actus voluntatis: *Ergo* praeter actum intellectus etiam actus voluntatis ad essentiam beatitudinis pertinet.

Resp. Absque fruitione Dei, quae tamquam proprietas ex visione beatifica emanat, nemo vere beatus est, *C.* Quae vel per se solam vel una cum visione beatitudinem essentialiter constituit, *N.* Vulgo solum ille beatus dicitur, qui omnia aliqua ratione ad beatitudinem pertinentia possidet; sed hic loquendi modus de physica beatitudinis essentia procedit, de qua tamen hic non agitur. Hoc sensu etiam *S. Augustinus* ait: "Nemo beatus est, qui eo quod amat non fruitur; nam et hi qui res non amandas amant, non se beatos amando putant sed fruendo" (De Civ. Dei, l. 8, c. 8; ML. 41, 233).

ARTICULUS VII

De Inaequalitate et Permanentia Beatitudinis

THESIS XXXVII.—Beatitudo inaequalis est pro inaequalitate meritorum. Porro beati sunt impeccabiles eorumque beatitudo est aeterna.

S. Thomas, *Sum. Theol.* I. II, q. 5, aa. 2, 4; *In IV Sent.* d. 49, q. 1, a. 4, quaestiunc. 2; *Cont. Gent.* l. 3, cc. 58, 61, 62; S. Bonaventura, *In IV Sent.* d. 49, q. 6; Scotus, *In IV Sent.* d. 50, q. 5; Suarez, *De Attributis Dei,* l. 2; *De Ultimo Fine,* disp. 10, sect. 1; De Valentia, *De Beatitudine,* q. 5, punct. 3, 6; Lessius, *De Summo Bono,* l. 2, cc. 22, 23; Pesch, *Praelect.* III, nn. 455 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 1187 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 310 sqq.; 322 sqq.; Palmieri, *De Novissimis,* § 66, 70; Pohle-Preuss, *Eschatology,* p. 1, c. 3.

497. STATUS QUAESTIONIS.—Cum omnes beati clare videant Dei essentiam, eumque Dei essentia sit simplicissima, concludat forsitan aliquis beatitudinem singulorum esse prorsus aequalem. Haec tamen conclusio est nimis praeceps. Nam Deus non modo infinite *simplex* est, verum etiam infinite *perfectus,* et ideo ejus perfectio a nullo beato exhauriri potest. Quare unus beatus prae altero Deum perfectius cognoscere valet, ideoque hoc altero potest esse beatior. Haec beatitudinis *inaequalitas* ejusque ratio in *prima* parte theseos investigatur. In *altera* vero parte agitur de beatitudinis *permanentia,* quae si aeterna sit, beatorum impeccabilitatem includat necesse est.

498. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) In subjecta materia nihil dicendum esse de beatitudine *objectiva,* per se jam satis patet. Objectum enim beatitudinis, utique *essentialis,* idem est pro omnibus beatis, simplicissima videlicet Dei essentia. Si igitur inaequalitas quaedam in beatitudine sanctorum invenitur, quae non sit mere accidentalis, haec necessario derivanda est ex possessione istius objecti, seu inaequali perfectione actuum quibus Deus a singulis beatis possidetur. Hujusmodi autem inaequalis perfectio inaequalem reddit beatitudinem *subjectivam,* non vero *objectivam.* Simul utique admitti potest inaequalitas in objecto beatitudinis *accidentalis;* sed de accidentali beatitudine non est quaestio in hac thesi, quippe quae de sola essentiali beatitudine procedit.

b) Haec inaequalitas beatitudinis desumitur ex *inaequalitate meritorum,* quae singuli sibi durante vita terrestri compararunt. Quare ex scopo theseos excluduntur infantes; hi enim omnis meriti incapaces sunt. De iis proinde hic nihil asserimus, licet aliunde constet eorum beatitudinem esse aequalem. In adultis vero inaequalis beatitudo ex inaequalitate meritorum derivatur, quia titulus ad beatitudinem reponitur

in *gratia sanctificante*, gratia autem sanctificans in adultis eorum meritis proportionatur. Proinde quo majorem cumulum meritorum aliquis acquisierit in hac vita, eo etiam majorem beatitudinem habebit in vita futura. Initialis enim gratia, quae ex sacramento baptismi derivatur, per se in omnibus aequalis est.

c) Dicta beatitudinis inaequalitas primarie sita est in inaequalitate *visionis Dei;* hanc enim, ut superius probatum est, consequuntur amor et gaudium, eique proportionantur. Haec vero visionis inaequalitas non in eo reponenda est, quod non omnes beati videant *totam* Dei essentiam; sed potius in eo, quod non omnes vident hanc essentiam *aeque perfecte*. Ex una enim parte Dei essentia est infinita, et ex altera parte beatorum visio semper finita est; quapropter cum actus finiti inter se variare possint, eo ipso Dei essentia ab uno beato perfectius quam ab altero videri potest. In ipso subjecto seu beato, quod ejus capacitatem spectat, perfectio visionis intuitivae *proxime* pendet a *lumine gloriae*, quo mens creata ad Deum videndum roboratur. Quo perfectius lumen alicui a Deo conceditur, eo quoque perfectior ejus visio erit. Perfectio autem luminis gloriae in singulis respondet perfectioni gratiae sanctificantis; quae ipsa ut jam dictum est, a singulorum meritis pendet. Hoc igitur modo efficitur, ut beatitudo subjectiva inaequalis sit pro inaequalitate meritorum.

d) In altera parte theseos imprimis dicitur *beatos esse impeccabiles*. Hoc termino non significatur beatos privari libertate arbitrii, cum eorum natura per beatitudinem non essentialiter mutetur; affirmatur tamen eos sese non posse a Deo, fine suo ultimo jam possesso, avertere et sic in peccatum labi. Hanc conclusionem omnes thelogi aliqua ratione tuentur; aliter tamen et aliter. Juxta sententiam multo communiorem, beatorum impeccabilitas est *ipsi beatitudinis statui intrinseca*. Beati enim clare vident summum bonum, in quo ne species quidem mali inveniri potest; proinde ex una parte nulla habetur ratio ob quam eorum voluntas sese ab hoc bono avertat, ex altera parte absque ratione sufficiente voluntas etiam libera agere non potest. Propter eandem hanc rationem beati Deum necessario amant; non quidem quia ab extrinseco coguntur, sed potius quia ipsamet sua natura feruntur in bonum plene satiativum et simul qua tale clare cognitum.

e) Secundum alios tamen, praesertim Scotistas, ipsa libertas viae manet in termino; ideoque per se possent beati peccare. Quia vero sunt in termino, inde providentia Dei quodammodo necessitatur ad eos a peccatis praeservandos. In hac igitur sententia impeccabilitas beatorum est quidem intrinseca eorum statui quoad *exigentiam*, non vero quoad ipsam quoque *efficientiam;* efficax enim a peccando praeservatio ab *extrinseco* seu a Deo provenit. Attamen audiatur ad hoc ipsius Scoti responsum: "Dico, inquit, quod illud extrinsecum magis habet rationem

finis quam efficientis; et si se habeat in ratione efficientis, non tamen infert violentiam, quia violenter est, cujus causa est extrinseca et passo non confert vim. Sed haec voluntas confert, quia habet in objecto (Deo), cur ipsum super omnia velit, et non habet, cur ab eo resiliat, vel cur ad aliud convertatur, et sic ipsum necessario vult, et est impeccabilis'' (Collat. 15; tom. 5, n. 3, 207 b). Haec expositio cum communiore sententia supra indicata satis congruere videtur. Cf. *Minges,* op. sit. nn. 662 sqq.

f) Dein vero dicitur *beatitudinem esse aeternam.* Hoc termino affirmatur beatitudinem sine fine duraturam esse ex parte *voluntatis divinae.* Impeccabilitas beatorum est quidem ratio ex parte subjecti, cur beatitudo nunquam excidat; sed hac impeccabilitate Deus per se non obligatur ad volendum ut status beatorum sit aeternaliter duraturus. Etiam brevissima beatitudinis duratio esset pro omnibus hominum meritis merces magna nimis. Quare actualis Dei voluntas hac in re exploranda manet. Haec autem Dei voluntas manifesta est partim ex ipsa hominis natura, partim vero ex promissis in divina revelatione contentis; quod quidem infra in argumentis evincendum erit.

g) Demum quaeri solet, utrum beatitudo sit aeterna ab *intrinseco,* ferme sicut anima est immortalis ab intrinseco. Et theologi communiter affirmative respondent. Ratio autem haec est: Omnia elementa quibus beatitudo constituitur, vel quae ad eam directe concurrunt, *in se ipsis simplicia* sunt. Simplex enim est *anima* quae beatur, simplex est *lumen gloriae* quo intellectus ad Deum videndum habilis redditur, simplices quoque sunt *ipsi actus* intellectus et voluntatis in quibus subjectiva beatitudo consistit. Itaque in beatitudine *nullum est principium corruptionis;* quapropter ab intrinseco aeterna dici potest.

499. **ADVERSARII.**—Primam partem theseos olim negabat *Jovinianus,* qui docebat omnia merita esse aequalia, et ideo etiam aequalia esse praemia beatis propter eorum merita collata. Item *Lutherus,* sed ob aliam rationem. Contendebat enim beatitudinem non conferri propter merita, sed propter justitiam Christi singulis imputatam, quam quidem in omnibus aequalem esse affirmabat.—Alteram partem impugnasse dicitur *Origenes,* quatenus scilicet docuisse fertur beatos eo sensu liberos manere, ut etiam mortaliter peccare possint; peccato autem commisso, eo ipso a beatitudine deficiant, ita tamen ut eam per novam probationem denuo consequi valeant. De ejus vero doctrina hac in re historice non clare constat (cf. *Tixeront,* Hist. Dogm. I, 283).

500. **NOTA**—Prima pars thesees *est de fide tenenda;* definivit enim *Concilium Florentinum* animas plene purgatas "in caelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium (beatum) alio perfectius" (Decret. pro Graecis; DB. 693).—Altera pars, in quantum simpliciter affirmat beatos esse impeccabiles, proponit *communem* et *certam sententiam;* in quantum vero statuit eorum beatitudinem esse aeternam, *de fide tenenda est;* nam in Constitutione *Benedicti XII* definitum habetur: "Eadem visio et fruitio sine aliqua intercisione (al. intermissione) seu evacuatione praedictae visionis et fruitionis continuata exstitit et continuabitur usque ad finale judicium et ex tunc in sempiternum" (DB. 530).

I. Beatitudo subjectiva inaequalis est pro inaequalitate meritorum.

501. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Juxta Sacram Scripturam, a) *Justi in resurrectione ab invicem in gloria different sicut stella differt a stella in claritate;* b) *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem;* c) *omnes referent propria quae gesserunt in hac vita mortali:* **Atqui** haec necessario indicant beatitudinem subjectivam esse inaequalem pro inaequalitate meritorum: **Ergo.**

Minor satis liquet; in primo enim puncto ipsa beatitudinis inaequalitas clare indicatur, dum in secundo et tertio puncto hominum opera tamquam hujus inaequalitatis ratio assignantur.—*Major* hisce textibus probatur:

a) *I Cor. 15, 41, 42:* "Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum."

b) *I Cor. 3, 8, 9:* "Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adjutores; Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis." Item *II Cor. 9, 6:* "Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet."

c) *II Cor. 5, 10:* "Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum." Unde retributio tum meritis tum demeritis proportionatur. Hoc sensu etiam Dominus noster discipulis ait: "In domo Patris mei mansiones multae sunt. Si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum" (Jo. 14, 2). Huc quoque illa Domini nostri verba spectant: "Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me"

(Mt. 19, 21). Cf. Mt. 5, 12; 10, 42; 16, 27; 20, 8; Lc. 6, 38; 19, 16-27; II Jo. 8; Apoc. 22, 12.

502. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.**—Haec traditio satis colligitur ex scriptis Patrum, prout textus supra allegatos interpretantur. Ita v. g. *Tertullianus:* "Quomodo multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria nisi pro diversitate radiorum?" (Scorp. c. 6; ML. 2, 134). Similiter *S. Augustinus:* "Etsi alius alio fortior, alius alio sapientior, alius alio justior, alius alio sanctior, in domo Patris mansiones multae sunt, nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansiones pro suo quisque accepturus est merito. . . . Multae mansiones diversas meritorum in una vita aeterna significant dignitates" (In Jo. tract. 67, n. 2; ML. 35, 1812). Ex hoc retributionis principio *S. Hieronymus* ita arguit contra Jovinianum: "Quid perseverant virgines? quid laborant viduae? cur maritatae se continent? Peccemus omnes, et post poenitentiam idem erimus, quod Apostoli sunt" (Adv. Jovinianum, l. 2, n. 34; ML. 23, 333). Item *S. Gregorius Magnus:* "Quod hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendit" (Moral. l. 4, c. 36, n. 70, ML. 75, 677).

503. **ARGUMENTUM TERTIUM: ex ratione.**—Vita terrena ex Dei intentione est *praeparatio ad vitam caelestem, ideoque perfectio vitae caelestis respondere debet perfectioni vitae terrenae:* **Atqui** in terra alii aliis perfectiorem vitam ducunt: **Ergo** in caelo alii aliis beatiores erunt, et quidem juxta majorem vitae perfectionem quam sibi in terra compararunt.

II. Porro beati sunt impeccabiles eorumque beatitudo aeterna est.

504. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Sacra Scriptura docet, a) *beatitudinem esse incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem;* b) *justos in perpetuum vivere, eos semper esse cum Domino, eorum gaudium non tolli:* **Atqui** si beati possent peccare, eorum beatitudo aut non esset incorruptibilis et immarcescibilis, aut non esset incontaminata; et si eorum beatitudo non esset aeterna, beati non viverent in perpetuum, neque essent semper cum Domino, eorumque gaudium tolleretur: **Ergo.**

Minor satis liquet; nam si beati non essent impeccabiles, fieri posset ut aliquando peccarent, et in hac hypothesi aut amitterent beatitudinem aut eam retinerent; si eam amitterent, eorum beatitudo non esset incorruptibilis et immarcescibilis; si vero eam retinerent, eorum beatitudo non esset incontaminata, cum illo peccato foederetur.

Major hisce textibus probatur: a) *I Petr. 1, 2-5:* "Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in caelis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo." Terminum "hereditatem" in textu significare beatitudinem, fidelibus post mortem promissam, satis patet.

b) *Sap. 5, 16:* "Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum et cogitatio eorum apud Altissimum." *I Thess. 4, 16:* "Et sic semper cum Domino erimus." *Jo. 16, 22:* "Gaudium vestrum nemo tollet a vobis." *II Cor. 4, 17:* "Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis." Denique, quia beatitudo semper duratura est, inde in Sacris Litteris "vita aeterna" vocari solet. Ita v. g. Mt. 19, 29; 20, 46; Mc. 10, 17, 30; Jo. 4, 14, 36; 10, 28; 17, 2; Rom. 6, 22.

505. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex traditione.—Impeccabilitas beatorum hisce verbis docetur a *S. Augustino:* "Completo judicio suos fines habebunt civitates duae, una scilicet Christi, altera diaboli, una bonorum, altera malorum, utraque tamen et angelorum et hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit esse ulla peccandi" (Enchiridion, c. 111; ML. 40, 284). Similiter *S. Fulgentius,* qui ait: "Inhaerentibus Deo nihil inest de varietate temporis, quia collato sibi aeternae incorruptionis atque incommutabilitatis munere, nihil in se sentiunt mutationis" (De Fide ad Petrum, n. 29; ML. 65, 605). Idem docent *S. Gregorius Magnus* (Moral. l. 34, c. 7, n. 13; ML. 76, 724), *S. Joannes Damascenus* (De Fide Orthod. l. 2, c. 3; MG. 94, 866), alii.

Aeque clare SS. Patres docent beatitudinem esse aeternam, et quidem necessario aeternam. Ita v. g. *S. Augustinus* quaerit: "Quomodo enim vera beatitudo est, de cujus numquam aeternitate confiditur, dum anima venturam miseriam aut imperitissime in veritate nescit, aut infelicissime in beatitudine pertimescit?" (De Civ. Dei, l. 12, c. 14, n. 1; ML. 41, 361). Haec insuper traditio ex ipso symbolo colligitur, in quo fideles jam antiquissime confitebantur: "Credo in vitam aeternam."

506. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex ratione.—Beati possident bonum perfectum quod *totaliter quietat appetitum:* **Ergo** impeccabiles sunt eorumque beatitudo aeterna est.

Antecedens ab omnibus admittitur, et ex ipsa beatitudinis definitione clare constat.—*Consequens* ex eo sequitur, quod totalis quietatio appetitus necessario postulat beatos certo scire ipsorum conditionem

esse perpetuam; secus enim de ipsa beatitudinis continuatione essent inquieti, et eo ipso non essent vere beati. Jamvero si non essent impeccabiles, aut si eorum beatitudo ex voluntate Dei non esset aeterna, hanc scientiam habere non possent. Non primum, quia peccatum cum beatitudine componi nequit; non alterum, quia certa scientia objectivam veritatem necessario supponit.

Unde disputari quidem potest de causa istius impeccabilitatis, utrum scilicet beati sint impeccabiles per ipsammet beatitudinem, an potius propter specialem Dei providentiam, ipsis jam in termino versantibus debitam; sed de ipso facto impeccabilitatis dubitari non potest, neque unquam inter theologos dubitatum est. Nec ullo modo in dubium vocari potest aeterna beatitudinis duratio; quia beatitudo quae non est aeterna, vel cujus aeternitas beatis non innotescit, vera beatitudo esse nequit.

507. Scholion I: De omnimoda beatorum perfectione morali.

Beati neque *mortaliter* peccare possunt neque *venialiter:* non primum, quia possibilitas peccati mortalis ipsi verae beatitudinis conceptui repugnat, ut supra ostensum est; non alterum, quia etiam peccatum veniale suo modo verae beatitudini adversatur. Imprimis enim perfecta caritas, quae ad intuitivam Dei visionem sequitur, suo fervore vel levissimum peccatum a beatis arcere dicenda est. Dein vero, si beati in hujusmodi peccatum laberentur, eo ipso afficerentur tristitia, quae tamen absque miraculo cum perfecta beatitudine componi nequit. Quare beati omnimode impeccabiles dicendi sunt; qua quidem in re omnes theologi conveniunt.

At ulterius quaeritur, num in beatis possint esse *imperfectiones morales.* Moralis autem imperfectio in subjecta materia haberetur, si beati illud omitterent quod Deo hic et nunc magis placeret, et aliquid facerent quod quidem etiam Deo placeret, sed minus quam illud alterum. Hunc agendi modum beatis possibilem esse omnino negandum videtur; obstat enim immensus ille amor, quo in Deum clare visum necessario feruntur. Unde *De Lugo* ait: "Sicut enim visio beata impedit peccatum etiam leve, quia beatus necessario fugit displicentiam Dei etiam levissimam, sic etiam adeo rapitur in amorem Dei clare visi, ut velit ei in omnibus placere. Ergo, propositis duobus objectis quorum unum plus placet Deo, non potest beatus hoc praetermisso eligere aliud, quod minus placet Deo; ergo non potest eligere actum minus perfectum, cum sciat hunc minus placere Deo quam perfectiorem" (De Incarn. disp. 26, sect. 10, n. 129). Igitur quoad actus termini, qui visione beatifica regulantur, beati ad subjective optimum necessitari dicendi sunt.

508. Scholion II: Cur beati ex cognitione malorum nulla prorsus tristitia afficiantur.

Cum beati ea omnia clare cognoscant, quae aliqua ratione ad ipsos spectant, multa sane mala eis innotescere debent; et quidem mala quibus eorum amici gravantur. Ita cognoscunt multa peccata committi contra Deum, vehementissime ab eis amatum; cognoscunt quaedam ex his peccatis committi ab amicis suis aut propinquis adhuc in terra degentibus; cognoscunt hos amicos et propinquos multis afflictionibus esse obnoxios, immo aliquos forte esse ad infernum damnatos; quomodo igitur fieri potest, ut beati haec multa et gravissima amicorum mala cognoscentes nulla omnino tristitia afficiantur? Ratio est, quia similes sunt Deo. Deus haec omnia novit, Deus illos homines amat, Deus quodcumque peccatum odio habet; nullam tamen propterea tristitiam experitur. Beati autem Deo omnimode conformes sunt, et ideo sicut ipse Deus de his malis judicant, quippe quae ultimo et ipsa in Dei gloriam cedunt. Volunt quidem omnium salutem, et enixe pro suis amicis rogant eisque multas gratias impetrant; si illi tamen hoc non obstante in suis peccatis moriantur, beati eorum damnationem approbant Deique justitiam laudant.

Hoc sensu scribit *Lessius:* "Sic enim cogitatione et affectu trahuntur in Deum, ut a se ipsis plane exeant, nihil de rebus suis cogitantes, nihil sibi appetentes, nisi quatenus ad Deum id pertinet, ejusque gloriae servire potest. Itaque omnibus cogitationibus, curis, et motibus proprii amoris penitus extinctis, sibi quasi mortui sunt, et soli vivunt Deo. Exuerunt vitam humanam, quae sua dumtaxat cogitat et curat; et induerunt vitam divinam, quae est Deum contemplari, et super omnia et in omnibus amare et laudare. Non sunt amplius soliciti ut filii ac nepotes ad opes et honores (in quibus omnis pene mortalium cogitatio et cura consumitur) promoveantur; neque de hujusmodi gaudent, cum familiae obveniunt; neque, cum auferuntur, moerorem concipiunt; immo neque dolore tanguntur, cum suos damnari vident; sed laudant divinam justitiam, eamque servari cupiunt. Hanc ecstasin operatur in illis amor divinus" (De Summo Bono, l. 2, c. 12).

509. Scholion III: De inaequalitate beatitudinis accidentalis.

Quae supra de inaequalitate beatitudinis dicta sunt, directe solam beatitudinem essentialem spectant, cujus objectum est ipse Deus; sed indirecte etiam applicari possunt ad beatitudinem accidentalem, quae scilicet ex creaturis derivatur. Non enim omnes beati res creatas eadem perfectione cognoscunt, neque ad singulas eandem relationem habent. Suos quisque habere potest amicos speciales, tam in caelo quam etiam in terra; et ex hac amicitia, utique tota quanta spirituali, uni prae altero majus gaudium accrescere valet. Gaudent quoque de

exauditione precum, de fructu operum suorum qui adhuc obtinet inter vivos, de adventu sociorum et amicorum in caelum, et de aliis hujusmodi. Insuper potest Deus quibusdam concedere novas revelationes, quin eas simul omnibus concedat; potest alios ad haec munera obeunda elevare, et alios ad munera diversa, e quibus inaequalis gloria singulis proveniat. Haec enim ad essentialem beatitudinem non spectant, et proinde beatorum meritis non necessario respondent. Itaque plurimas ob causas accidentalem beatitudinem inaequalem esse, etsi non stricte pro singulorum meritis, satis liquet.

510. Scholion IV: De beatitudine accidentali quae aureola vocatur.

Beatitudo essentialis in Sacris Litteris haud raro dicitur corona, quia videlicet corona est signum victoriae et regni; beati enim cum Christo vicerunt in terra et cum Christo regnant in caelo. Ita v. g. S. Paulus ait: "Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus" (II Tim. 4, 8; cf. I Cor. 9, 25; I Petr. 5, 4; Jac. 1, 12; Apoc. 2, 10; 3, 11). Corona autem in subjecta materia etiam aurea dici solet; quo factum est ut in comparatione essentialis praemii aliud accidentale praemium, quod pro speciali victoria datur, aureola vocetur.

Hanc rem ita exponit *S. Thomas:* "Praemium essentiale hominis quod est ejus beatitudo, consistit in perfecta conjunctione animae ad Deum, in quantum eo perfecte fruitur ut viso et amato perfecte; hoc autem praemium metaphorice dicitur aurea. . . . Huic autem essentiali praemio, quod aurea dicitur, aliud superadditur . . . ratione operis meritorii, quod quidem rationem meriti habet ex duobus, ex quibus etiam habet bonitatis rationem, scilicet ex radice caritatis, qua refertur in finem ultimum et sic debetur ei praemium essentiale, scilicet perventio ad finem, quae est aurea, et ex ipso genere actus, quod laudabilitatem quandam habet ex debitis circumstantiis et ex habitu eliciente et ex proximo fine, et sic debetur ei quoddam accidentale praemium quod aureola dicitur. Et sic dicendum est quod aureola dicit aliquid aureae superadditum, id est quoddam gaudium de operibus a se factis, quia habent rationem victoriae excellentis" (In IV Sent. d. 49, q. 5, a. 1).

Hujusmodi autem aureolae *tres* distinguuntur: *Virginum, Martyrum, Doctorum;* siquidem propter excellentem victoriam, quam istae tres classes hominum hac in terra assequuntur. Virgines quidem, in pugna contra carnem et desideria carnis; martyres vero, de impugnationibus exterioribus; doctores denique, de ipso diabolo in rebus fidei

et morum. Per virgines tamen illae hic solum intelliguntur, quae propositum habuerunt virginitatem perpetuo conservandi, sive hoc propositum voto firmaverint sive non; excellentia enim virginitatis in eo reponitur, secundum quod perpetua incorruptio mentis et corporis a caritate imperata sub electione cadit. Doctoris autem nomine omnes illi veniunt, qui sive docendo sive praedicando homines ad salutem perducunt, et sic de diabolo triumphum reportant. Ita fere *S. Thomas* (Suppl. q. 96), quem hac in re theologi fere communiter sequuntur.

511. Scholion V: Num caelum sit determinatus aliquis locus.

Caelum esse determinatum statum, perfectae videlicet beatitudinis, ex supra disputatis clare constat; quaeritur tamen utrum etiam sit determinatus locus, qui electorum sit proprius. Ad hanc questionem theologi fere communiter affirmative respondent, et ipsa rei natura id postulare videtur. "Visio quidem Dei beatifica ubique haberi potest, et ubicumque inveniantur angeli animaeque sanctae, revera ab iis habetur; sed in caelesti regno post resurrectionem invenientur sancti cum suis corporibus, adeoque eorum societas locum requirit; Christus vero jam nunc in glorioso suo corpore rex est angelorum et electorum, Beata Mater Dei quoque cum suo corpore jam assumpta est, summaque gloria etiam quoad corpus ornata. Porro quum Christus quoad humanam naturam et corpus gloriosum, pariterque Beata Virgo non ubique praesentes sint, ibi sane erit caelum, ubi ipsi inveniuntur, omnes angeli atque electi eos honorant, eorumque societate fruuntur. Ubi autem sita sit regio illa vivorum, revelatio non docet. Satis tamen declarat, non esse nec in visceribus terrae, nec supra hanc terram; dum enim caelum ut in altis situm ostendit, extra regionem hujus orbis terrarum esse docet illud regnum Dei, in quo gloriam suam Omnipotens electis clarissime manifestat" (*Jungmann*, op. cit. n. 122; cf. *Palmieri*, op. cit. 82).

512. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Beati vident totam Dei essentiam: *Ergo* sunt aequaliter beati, seu eorum beatitudo aequalis est.

Resp. Beati vident totam Dei essentiam, et etiam totaliter, *N.* Vident totam Dei essentiam, et simul non totaliter, *C.* Primarium beatitudinis objectum idem est pro omnibus beatis; hoc tamen objectum non omnes beati aeque perfecte cognoscunt, ut jam supra (n. 494) explicatum est.

2° *Atqui* vident Dei essentiam totaliter; nam juxta S. Joannem (I Jo. 3, 2) cognoscunt Deum "sicuti est": *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Juxta S. Joannem beati cognoscunt Deum sicuti est, hoc sensu, quod cognoscunt Deum scientia propria et non mere analoga, *C.* Quod cog-

noscunt Deum scientia propria et simul etiam comprehensiva, *N.* Comprehensiva enim cognitio Dei omni prorsus creaturae impossibilis est, et ideo eam prae mente non habuit S. Joannes.

3° *Atqui* comprehensiva cognitio Dei non videtur esse creaturae impossibilis; nam juxta S. Paulum (I Cor. 13, 12) beati cognoscunt Deum sicut et ipsi cogniti sunt: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Juxta S. Paulum beati cognoscunt Deum sicut et ipsi cogniti sunt, id est, non mere abstractive et mediate, sicut homines cognoscunt Deum in hac vita; sed potius intuitive et immediate, sicut ipse Deus cognoscit, *C.* Id est, beati cognoscunt Deum eadem perfectione, qua ipsi a Deo cogniti sunt, *N.* Hanc beatorum cognitionem S. Paulus illi quidem opponit quae "ex parte" est; sed per cognitionem "ex parte" ibi intelligit cognitionem obscuram et aenigmaticam, non vero eam quae formaliter opponitur cognitioni comprehensivae.

4° Ex inaequalitate beatitudinis sua sponte sequerentur aemulatio, invidia, rixae, et alia hujusmodi, quibus tamen in caelo locus esse nequit: *Ergo.*

Resp. Nego antecedens. Nam singuli beati pro sua capacitate felices sunt, necnon in omnibus Dei voluntati omnimode conformes. Insuper ad adultos quod attinet, eorum beatitudo commensuratur meritis per proprios actus in terra comparatis; si igitur tunc non tam parce seminassent, neque postea tam parce messuissent. Hac in re *S. Augustinus* docet: "Atque id etiam beata Civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident archangelis ceteri; tamque nollet esse unusquisque quod non accepit, quamvis sit pacatissimo concordiae vinculo ei qui accepit obstrictus, quam nec in corpore vult oculus esse qui est digitus, cum membrum utrumque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius" (De Civ. Dei, l. 22, c. 30, n. 2; ML. 41, 801).

5° Aequalitas beatitudinis colligitur ex parabola operariorum (Mt. 20, 1-16), secundum quam idem omnino praemium omnibus in vinea laborantibus datur, licet alii per totam diem et alii per unam dumtaxat horam laboraverint: *Ergo.*

Resp. Nego antecedens. Nam in hac parabola non est sermo de aequalitate mercedis pro inaequali labore collatae, sed potius de illa inconcussa veritate, etiam aliunde bene nota, in negotio salutis plus proficere divinam gratiam et fervorem operantis quam temporis latitudinem. Itaque operarii novissime venientes, uberiore Dei gratia perfusi et intensius laborantes, una hora idem praestitisse dicendi sunt, ad quod praestandum primi portaverunt "pondus diei et aestus."

Cf. *Suarez* (De Deo, l. 2, c. 20), qui hanc parabolam egregie interpretatur; vel etiam *Knabenbauer* (Comment. in Matth. pp. 175, 176).

6° Si beatitudo respondet meritis, non erit aeterna; nam duratio operis meritorii finita est: *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad probationem dico: Duratio ipsius operis meritorii finita est, *C.* Duratio gratiae sanctificantis, ex opere meritorio acquisitae et in termino possessae, finita est, *N.* Titulus ad beatitudinem in ipsa gratia sanctificante reponitur, quippe quae secum fert jus hereditatis; gratia autem sanctificans, licet in hac vita per peccatum amitti possit, in altera tamen vita nunquam auferetur. Quare etsi opus meritorium physice non perdurat, titulus tamen ad beatitudinem inde ultimatim derivatus semper manet.

7° Beati gaudent libertate arbitrii: *Atqui* libertas arbitrii includit possibilitatem peccandi: *Ergo* beati non sunt impeccabiles.

Resp. Beati gaudent libertate arbitrii, quae tamen libertas ita circumscribitur ut beati non possint sese avertere a Deo, *C.* Quae non ita circumscribitur, *N.* Ipsa facultas libera manet quidem in beatis; sed sive propter ipsam visionem beatificam, ut communior fert sententia, sive propter specialem Dei providentiam, ut aliis praeplacet, haec facultas in termino constituta immutabiliter adhaeret Deo (cf. supra. n. 498 d et e).

ARTICULUS VIII

De Inferno

THESIS XXXVIII.—Animae in statu peccati mortalis decedentes in infernum detruduntur, poena interminabili pro ratione demeritorum cruciandae.

Cf. S. Thomas, *Supplementum,* q. 99; *In IV Sent.* d. 46, q. 1, a. 3; q. 2, a. 3, quaestiunc. 1; S. Bonaventura, *In IV Sent.* d. 44, p. 2, a. 1, q. 1; Scotus, *In IV Sent.* d. 44, q. 2; q. 46, q. 4; Suarez, *De Angelis,* l. 8; Petavius, *De Angelis,* l. 3, cc. 6-8; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 1253 sqq.; Pesch, *Praelect. IX,* nn. 621 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 329 sqq.; Palmieri, *De Novissimis,* § 56 sqq.; Jungmann, *De Novissimis,* nn. 19 sqq.; Billot, *De Novissimis,* q. 3; Oxenham, *Eschatology,* cc. 3-6; Muncunill, *De Novissimis,* nn. 811 sqq.; Hall, *Eschatology,* c. 7; Pohle-Preuss, *Eschatology,* p. 1, c. 4; *Hist. Dogm.* I, 460 sqq.

513. **STATUS QUAESTIONIS.**—Cum ex Dei ordinatione vita hominis in terra sit via ad vitam caelestem, seu ad finem ultimum consequendum et aeternaliter possidendum, necessario sequitur eos omnes, qui ab hac via aberrant et absque debita poenitentia de vita decedunt, illum finem nunquam possessuros esse. Proinde post quaestionem de

beatorum statu absolutam, jam nunc inquirendum est, *quisnam futurus sit illorum status qui gravi peccato inquinati moriuntur.* Item, cum status animarum post mortem sit sanctio legis divinae in hac vita servandae, necessarium quoque est ut *naturam istius sanctionis* investigemus. Itaque de hisce quaestionibus nostra thesis procedat oportet.

514. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) Per peccatum mortale hic intelligimus *quodcumque peccatum quo amittitur gratia sanctificans.* Eo enim ipso quod anima gratia sanctificante privatur, omni ad caelum titulo denudata existit; et absque titulo nemo unquam caelestem hereditatem possidere potest. Qui vero caelum ingrediendi jus non habent, illi ad infernum descendant necesse est. Quare ad *factum* damnationis quod attinet, nihil interest utrum quis minimum peccatum mortale commiserit an maximum, utrum uno peccato mortali inquinatus sit an sexcentis; si impoenitens ex hac vita migret, eo ipso in infernum abibit.

b) Juxta usum loquendi ecclesiasticum, vox inferni *quadruplici* significatione adhibetur: ad denotandum videlicet 1. *limbum patrum,* in quo animae justorum Veteris Testamenti jam purgatae usque ad ascensionem Christi manserunt; 2. *limbum puerorum,* in quo etiam nunc sunt eorum animae, qui absque peccato gravi personali sed cum macula peccati originalis ex hac vita discesserunt; 3. *purgatorium,* in quo sunt animae in statu gratiae versantes sed nondum plene purgatae, usque ad assumptionem suam in caelum; 4. *infernum damnatorum,* in quo angeli lapsi et homines in statu peccati gravis mortui poenam suam dabunt aeternam. De hoc ultimo inferno unice nunc agimus.

c) Juxta communem theologorum doctrinam, infernus est tum *locus* tum *status:* locus quidem, quatenus damnati ordinarie in determinata aliqua spatii parte detinentur, licet Deo permittente aliquando extra hanc partem spatii vagari possint; status vero, quatenus poenalis damnatorum conditio est permanens, quae nullam prorsus essentialem mutationem admittit. In utroque sensu Sacra Scriptura de inferno saepius loquitur. In quantum est locus, dicit eum vel simpliciter *infernum,* vel *abyssum, carcerem, caminum, stagnum ignis;* in quantum vero est status, eum appellat *interitum, mortem, mortem secundam, reprobationem, tenebras exteriores, ignem aeternum, vermem,* et alia hujusmodi. Infernus etiam *gehenna* dici solet, ex valle Hinnon apud Hierosolymam sita, ubi aliquando Judaei idololatrae idolo Moloch filios suos immolaverunt. Hanc ob causam rex Josias illum locum polluit eoque conjecit cadavera et omnis generis res immundas (IV Reg. 23, 10), et sic vallis ista in locum abominationis (Topheth) versa est; est igitur gehenna locus horroris, "ubi sempiternus horror inhabitat" (Job, 10, 22).

d) Damnati autem poena *interminabili* cruciantur. Haec poena duplex est: poena *damni* et poena *sensus*, ut in sequente thesi ostendetur. Hic solum affirmamus damnatos poena aliqua cruciari, eamque esse stricto sensu aeternam. Essentialiter haec poena semper eadem erit; accidentaliter tamen variare potest. Valent enim damnati pro peccatis suis venialibus satispati, et sic poena eis debita post aliquod tempus finem habebit; item poena temporalis pro peccatis mortalibus jam remissis, quae tempore mortis adhuc debita erat, aliquando cessabit. Unde *S. Thomas* ait: "Non est inconveniens quod, quantum ad aliquid accidentale, poena inferni minuatur, usque ad diem judicii" (In IV Sent. d. 23, q. 1, a. 1 ad 5).

e) Immo erant tum inter Patres tum inter theologos, qui censerent interdum damnatis aliquid relaxationis concedi, sive occasione alicujus mysterii in terra celebrandi, ut nocte resurrectionis Domini, sive fortasse aliis quoque temporibus propter suffragia vivorum. Ita fere *Prudentius* (Hymn. 5, vv. 125-130), *S. Augustinus* (Enchir. cc. 110, 112), alii. Haec opinio in *Concilio Florentino a Marco Ephesino* nomine Graecorum proposita fuit, et licet non accepta neque tamen condemnata est (cf. *Petavius*, De Angelis, l. 3, c. 8, nn. 16-13). Ex altera vero parte, *S. Thomas* hanc opinionem praesumptuosam vocat, "utpote sanctorum dictis contrariam, et vanam, nulla auctoritate fultam" (Suppl. q. 71, a. 5). De facto Ecclesia pro damnatis nunquam orat, quia sunt extra vinculum caritatis et totaliter ad vitae terminum pervenerunt. Quare illa opinio dictae mitigationi favens in praxi amplectenda non est, licet juxta Petavium neque temere ut absurda rejicienda sit.

f) Sicut beati pro ratione meritorum praemiantur, ita damnati pro ratione *demeritorum* cruciantur. Lex divina eo quidem sensu sancita est, ut homo quolibet peccato mortali reus fiat poenae inferni; attamen, sicut beatitudo in caelis, ita etiam poena in inferno graduum est capax. Idque non solum respectu poenae *sensus* verum est, sed etiam respectu poenae *damni*. Ita qui propter aliquod peccatum mortale semel commissum visione beatifica in perpetuum privatur, hac ratione certum aliquem gradum poenae damni sustinet; sed si idem illud peccatum bis commisisset, licet eadem visione beatifica privaretur, duplo tamen majorem poenam damni pateretur. Similis proportio servatur, si damnati ad invicem comparantur; qui plus peccavit, plus poenae dabit.

g) Probationis causa thesis convenienter in tres partes dividitur: I. *Omnes in peccato mortali decedentes damnantur ad infernum.* II. *Damnati interminabili poena cruciantur.* III. *Poenae damnatorum sunt inaequales pro ratione demeritorum.*

515. **ADVERSARII.**—Primam partem theseos negant omnes *Athei, Materialistae, Pantheistae,* ut per se patet.—Alteri parti olim adversabantur *Origenistae,* qui finalem omnium damnatorum restaurationem (ἀποκατάστασιν) docuerunt. Hos fere illi secuti sunt, quos S. Augustinus "misericordes" nominat, "qui vel omnibus illis hominibus, quos justissimus judex dignos gehennae supplicio judicabit, vel quibusdam eorum nolunt credere poenam sempiternam futuram, sed post certi temporis metas, pro cujusque peccati quantitate longioris sive brevioris, eos inde existimant liberandos" (De Civ. Dei, l. 21, c. 18, n. 1; ML. 41, 732). Inter hos "misericordes" etiam fuisse videntur quidam Patres, ut *Didymus, S. Gregorius Nyssenus, S. Gregorius Nazianzenus,* et *S. Hieronymus* adhuc junior, qui hac in re plus minus imbuti erant doctrina ab Origene primo proposita (cf. *Tixeront,* Hist. Dogm. II, 196 sqq).

Inter recentiores sententiam Origenistarum suam faciunt *Universalistae,* juxta quos reprobi in altera vita poenitere possunt, et tandem post varias probationes vitam aeternam consequentur. Idem fere docent *Unitarii,* qui hanc fidem profitentur: "Credimus unum esse Deum, cujus natura caritas est, quique se manifestavit in Christo, per Spiritum gratiae, ac ultimo totum genus humanum in sanctitate ac felicitate restaurabit" (Profession of Faith, art. 2). Similiter loquuntur, quod finalem restitutionem spectat, multi *Congregationalistae, Protestantes Liberales* vix non omnes, et nonnulli etiam *Anglicani* (cf. *Farrar,* Eternal Hope, Mercy and Judgment). Huc etiam pertinent deliriationes *Spiritistarum,* qui omnes animas, post varias transmigrationes et successivas expiationes, aeternam beatitudinem assecuturas esse contendunt. *Sociniani* vero, aliique haud pauci, docent impios vel statim post mortem vel saltem post ultimum judicium fore annihilandos, ideoque aeternitatem poenarum simpliciter negant.—Tertiam denique partem theseos negavit *Jovinianus,* qui nullam meritorum vel demeritorum inaequalitatem admittebat.

516. **NOTA.**—Tota thesis *de fide tenenda est,* ut ex diversis definitionibus clare constat. Ita in Constitutione *Benedicti XII* legitur: "Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem animae decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur" (cf. DB. 531); et in *Conc. Florent.* statuitur: "Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas" (Decret. pro Graecis, DB. 693; cf. 464); item in *Conc. Lateran. IV:* Omnes homines resurgent, "ut recipiant secundum opera sua sive bona fuerint sive mala; illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam" (Caput "Firmiter"; DB. 429).

I. Omnes in peccato mortali decedentes damnantur ad infernum.

517. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Sacra Scriptura docet, a) *omnes gravi peccato inquinatos ire in supplicium aeternum;* b) *propter timorem gehennae quodcumque peccatum mortale esse evitandum;* c) *vindictam dari omnibus qui non obediunt evangelio Domini nostri:* **Atqui** hoc perinde est ac omnes in peccato mortali decedentes damnari ad infernum: **Ergo.**

Minor satis liquet.—*Major* hisce textibus probatur, qui tamen facile multiplicari possent.

a) In ultimo judicio boni et mali ab invicem separantur, et de utrisque fertur sententia secundum quod bonum fecerint aut malum; hoc autem judicium feretur non de actibus tantum heroicis aut de magnis dumtaxat criminibus, sed de ordinariis quoque misericordiae operibus, quae judicandi aut fecerint aut facere neglexerint; et ideo omnes aliquo gravi peccato inquinatos damnationis sententia ferit, sicut etiam in omnes a peccato immunes approbationis sententia fertur. "Et ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam" (Mt. 25, 31-46). Huc etiam spectat parabola de virginibus fatuis et alia de talentis (Mt. 25, 1-30), in quibus non est sermo de magno aliquo crimine vel flagitio, ob quod illae virgines atque servi damnati dicuntur, sed de sola negligentia eorum quae Deo praestare debuerunt.

b) Sensu prorsus universali, seu respectu omnis peccati gravis, dicit Dominus noster: "Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam" (Mt. 10, 28). Iterum: "Quodsi oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam" (Mt. 5, 29, 30).

c) Juxta S. Paulum vindicta dabitur iis, "qui non noverunt Deum, et qui non obediunt evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini et a gloria virtutis ejus" (II Thess. 1, 8, 9). Et secundum S. Joannem: "Timidis et incredulis et exsecratis et homicidis et fornicatoribus et veneficis et idololatris et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure; quod est mors secunda" (Apoc. 21, 8). Hanc autem ad infernum damnationem non ad ultimum judicium differri, sed statim post mortem peccatoris locum habere, superius (nn. 452 sqq) jam probatum est.

518.—**ARGUMENTUM ALTERUM**: ex traditione.—Haec traditio imprimis clare colligitur ex *Symbolo Athanasiano,* ubi ipsa Ecclesia fidem suam ita profitetur: "Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; qui vero mala, in ignem aeternum" (cf. DB. 40). Dein vero eandem hanc traditionem etiam unanimiter testantur SS. Patres, ex quorum tamen testimoniis plurima in sequente thesi afferenda sunt, et ideo haec pauca nunc sufficiant.

a) *S. Ignatius Martyr:* "Ne erretis, fratres mei: familiarum perturbatores regnum Dei non hereditabunt. Si autem ii, qui secundum carnem haec operati sunt, morte sunt affecti, quanto magis si quis fidem Dei prava doctrina corrumpat, pro qua Jesus Christus crucifixus est? Talis, inquinatus factus, in ignem inexstinguibilem ibit; similiter et qui audit ipsum" (Ad Ephes. 16, 1; Funk, 1, 226).

b) *Martyrium Polycarpi:* "Ad Christi gratiam attendentes mundana tormenta spernebant (martyres), unius horae spatio se ab aeterna poena redimentes. Frigidusque ipsis videbatur ignis crudelium carnificum. Prae oculis enim habebant fugam illius qui aeternus est et nunquam exstinguetur, et oculis cordis respiciebant ad ea bona quae reservantur sustinentibus" (Op. cit. c. 2, n. 3; Funk, 1, 316).

c) *S. Polycarpus* judici ignem minanti respondit: "Ignem minaris, qui ad horae spatium ardet ac paulo post exstinguitur. Ignoras enim illum futuri judicii et aeternae poenae ignem qui impiis reservatur" (Mart. c. 11, n. 21; Funk, 1, 295).

d) *S. Justinus Martyr:* "Ne quis forte idem dicat, quod ii qui existimantur philosophi, strepitus inanes esse ac terricula, quae de impiorum in igne aeterno cruciatibus dicimus, ac nostram eo spectare sententiam, ut virtutem homines metu conducti colant, non propter ipsius pulchritudinem, nec quia illis placet, paucis respondebo: Nisi ita se res habeat (sc. ut sint aeterni cruciatus impiorum), vel Deum non esse, vel si sit, nullam hominum curam gerere, nec quidquam esse virtutem et vitium, ac inique a legumlatoribus puniri qui praeclara instituta transgrediuntur" (Apol. 2, n. 9; MG. 6, 458).

e) *S. Chrysostomus:* "Justus est Deus, omnes fatemur et Judaei et Graeci et haeretici et Christiani. At hinc multi, qui peccaverunt, abierunt impune; multi, qui cum virtute vixerant, tum demum abierunt cum sexcentas subiissent calamitates. Ergo si justus Deus, ubinam his quidem praemia, illis vero supplicia tribuet, si non est gehenna, si non est resurrectio? (Hom. 6 in Phil. n. 6; MG. 62, 228).

f) Hanc traditionem aeque clare testantur Patres Latini, ut *Tertullianus* (Apol. cc. 18, 45; ML. 1, 378, 499), *S. Cyprianus* (Ad Demetr. n. 24; ML. 4, 561), *S. Augustinus* (Enarr. in Ps. 49, n. 4; ML. 36, 566), *S. Gregorius Magnus* (Moral. l. 34, c. 19, n. 36; ML. 76, 738).

519.—**ARGUMENTUM TERTIUM: ex ratione.**—Hoc argumentum, quod ipsi quoque SS. Patres urgere solebant, ita proponit *cl. Pesch:* "Ratio ipsa suadet existentiam inferni. Nam Deus justus et sanctus non potest esse indifferens circa virtutes et vitia et circa legis suae observationem et transgressionem. Ergo debet necessario sanctionem sufficientem statuere. Jam vero sanctio sufficiens in hac vita non habetur, quia nequaquam virtutis exercitium solet semper sequi felicitas, flagitia vero miseria, sed contra propter virtutem saepe multa incommoda sunt perferenda, per crimina vero homines non raro ad divitias et alia emolumenta, perveniunt. Ergo perfecta sanctio in altera vita est exspectanda. Hoc argumento jam S. Paulus utitur: 'Si in hac vita tantum in Christo operantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. . . . Ut quid et nos periclitamur omni hora? . . . Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus, cras enim morimur' (I Cor. 15, 19; 30, 32). Itaque nisi esset retributio in altera vita pro bonis et malis, sed omnes aut perirent aut eodem modo tractarentur, periret omne virtutis studium et sola utilitatis ratio in omnibus regnaret. Hoc autem non potest esse. Ergo existit infernus. Quod ratiocinium cum sit tam evidens, mirum non est, quod populi vix non omnes inferni existentiam admittunt" (Op. cit. n. 623).

II. Damnati interminabili poena cruciantur.

520. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Sacra Scriptura tum *positive* tum *negative* docet *damnatos interminabili poena cruciari:* a) *positive* quidem, quatenus explicite affirmat damnatorum poenas esse aeternas et in saecula saeculorum duraturas; b) *negative* vero, quatenus aeque explicite negat eas aliquando finem habituras esse: **Ergo** juxta Sacram Scripturam damnati interminabili poena cruciantur.

Consequens patet; nam dicere poenas in se sumptas esse quidem interminabiles, non vero subjectivos damnatorum cruciatus, perabsurdum est.—*Antecedens* hisce textibus probatur.

a) Ipse Christus ait: "Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum" (Mt. 18, 8); et in ultimo judicio reprobis dicet: "Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum" (Mt. 25, 41), et subjungit Evangelista: "Ibunt hi (reprobi) in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam" (v. 46). Igitur non solum ignis aeternus est, sed ipsum quoque damnatorum supplicium aeternum dicitur, et quidem stricto sensu. Nam vitam justorum stricto sensu aeternam esse omnes ultro concedunt; sed in eadem sententia judiciali, eodemque termino

(αἰώνιον) adhibito, supplicium reproborum aeternum affirmatur. Quare bene arguit *S. Augustinus:* "Si utrumque aeternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt, hinc supplicium aeternum, inde vita aeterna. Dicere autem in hoc uno eodemque sensu: Vita aeterna sine fine erit, supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est" (De Civ. Dei, l. 21, c. 23; ML. 41, 736). Item S. Paulus de reprobis dicit: "Qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini et a gloria virtutis ejus" (II Thess. 1, 9), et S. Judas: "Quibus procella tenebrarum servata est in aeternum" (Jud. 13). Immo jam in Vetere Testamento poenae damnatorum aeternae dicuntur (Dan. 12, 2; cf. Is. 66, 24).

Etiam docet Sacra Scriptura poenas reproborum duraturas esse in saecula saeculorum, qui terminus interminabilem durationem significat. Ita S. Joannes, de omni qui bestiam adoraverit, dicit: "Hic bibet de vino irae Dei, quod mixtum est mero in calice irae ipsius, et cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum, et ante conspectum agni, et fumus tormentorum eorum ascendit in saecula saeculorum, nec habent requiem die ac nocte" (Apoc. 14, 9-11). Item: "Vera et justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna . . . . Et fumus ejus (meretricis) ascendit in saecula saeculorum" (Ibid. 19, 2, 3). Item: "Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum" (Ibid. 20, 9, 10).

b) Ipse Christus dicit poenas reproborum nullum finem habituras esse: "Et si scandalizaverit te manus tua, inquit, abscide illam; bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur" (Mc. 9, 43, 44). Haec autem verba de verme qui non moritur et de igne qui non extinguitur, ibidem ter repetit, ideoque ea cum emphasi posuisse censendus est. Eadem verba, et quidem de poena damnatorum, jam ante adhibuerat Isaias, cum diceret: "Et egredientur et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me; vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur" (Is. 66, 24; cf. 34, 10), in quem locum commentans *S. Augustinus* ait: "Qualiscumque poena significata sit nomine vermis atque ignis, certe si non morietur nec extinguetur, sine fine praedicta est, nec aliud agebat propheta, cum hoc diceret, nisi ut eam sine fine praediceret" (Ad Oros. c. 6; ML. 42, 673). Et notandum est, non dici simpliciter "ignis" et "vermis," sed "ignis eorum" et "vermis eorum"; ideoque non poena objective sumpta dumtaxat, sed subjectivus quoque damnatorum cruciatus designatur. Hic autem cruciatus a S. Joanne dicitur "secunda mors" (Apoc. 20, 14), quia nullum finem

habiturus est. Damnati enim sunt "maledicti" (Mt. 25, 41), "vasa irae" (Rom. 9, 22), super quos "manet ira Dei" (Jo. 3, 36), qui "regnum Dei non possidebunt" (I Cor. 6, 9).

"Igitur poenarum aeternitas non uno solum textu docetur, neque ab hac vel illa particula pendet, ut falso clamant adversarii, sed in multis textibus explicite et sub variis formis traditur, in aliis vero innumeris plus minusve implicite supponitur: de ea proinde dubitari nequit" (*Tanquerey,* De Deo Remuneratore, n. 15).

521. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.**—Ad Ecclesiae traditionem quod attinet, satis notum est eam hac in re a primis jam saeculis omnino universalem fuisse atque constantem. Quarto et quinto saeculo nonnulli quidem scriptores Origenistarum errore imbuti reperiuntur; eorum tamen vagationes tum a SS. Patribus tum etiam a conciliis, utpote traditionali doctrinae adversantes, statim impugnatae atque rejectae sunt. Quare operis vix pretium est hic plurima SS. Patrum testimonia adducere; itaque haec ex primis saeculis desumpta sufficiant.

a) *S. Justinus Martyr:* "Nos immortalitatem (felicem) eos consequi solos didicimus, qui se vitae sanctitate et virtute Deo appropinquant; qui autem improbe vivunt nec se convertunt, eos igne aeterno credimus puniri. . . . Quem (diabolum) in ignem esse mittendum cum exercitu ipsius, et hominibus qui eum sequuntur, in aeternum puniendis, Christus ante significavit" (Apol. I, nn. 21, 25; MG. 361, 386).

b) *S. Theophilus:* "Lege studiose propheticas scripturas, et ipsae tutius te ducent, ut effugias aeterna supplicia et aeterna Dei bona consequaris. . . . Incredulis autem et superbis . . . erit ira et indignatio, tribulatio et augustiae, ac tandem tales detinebit ignis aeternus" (Ad Autolycum, l. 1, n. 14; MG. 6, 1045).

c) *S. Irenaeus:* "Poena eorum qui non credunt verbo Dei, et contemnunt ejus adventum et convertuntur retrorsum, adampliata est, non solum temporalis sed etiam aeterna facta. Quibuscumque enim dixerit Dominus: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, isti erunt semper damnati; et quibuscumque dixerit: Venite benedicti, hi semper percipiunt regnum et proficiunt" (Adv. Haer. l. 4, c. 28, n. 2; MG. 7, 1062).

d) *S. Cyprianus:* "Credite illi, qui incredulis aeterna supplicia gehennae ardoribus irrogabit. . . . Cremabit addictos ardens semper gehenna et vivacibus flammis vorax poena; nec erit unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem. . . . Erit tunc sine fructu poenitentiae dolor poenae, inanis ploratio et inefficax deprecatio. In aeternam poenam sero credunt, qui in vitam aeternam credere

noluerunt. . . . Quando istinc recessum fuerit, nullas jam poenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus'' (Ad Demetr. cc. 24, 25; ML. 4, 561, 563).

e) *S. Ephraem Syrus:* ''Scimus omnes, dilecti, judicium tremendum futurum esse. Et non est qui recogitet corde nec qui stultitiae suae memor sit; severissimum quippe de peccatore fiet judicium, et tormentorum ejus non erit finis, nec parvo instante quiescet poena a plectendo peccato ejus, quia in aeternum durabit et nullo unquam tempore solvetur ei; judicium ultionis erit et cunctis retributionem debitam reddet'' (Sermo de Fine, 8; Lc. 3, 148).

522. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex ratione.—Hoc argumentum non est omnino conclusivum, sed ostendit quamdam aeternitatis poenarum congruitatem, et in tantum probat nostram doctrinam rectae rationi non adversari. Complectitur autem haec puncta: a) Omnis anima est naturaliter immortalis, et ideo, nisi contrarium probetur, assumendum est eam semper exstituram fore; b) quandiu anima damnata existit, rea est peccati mortalis in quo ex vita migravit; c) est igitur in aeternum absque titulo ad beatitudinem; d) quantum erat de se, graviter peccando in perpetuum renuntiavit bono increato, cujus igitur possessione post mortem in aeternum privatur; e) offensa ex peccato mortali in Deo exorta semper manet, offensae autem in Deo poena in offendente respondeat necesse est; f) insuper nisi poenae inferni essent aeternae, lex divina in hac vita non haberet sanctionem per se sufficientem, cum sub passionum impetu quaelibet poena temporalis facile parvi pendatur.

III. Poenae damnatorum sunt inaequales pro ratione demeritorum.

523. Haec pars speciali probatione vix indiget, cum fere ad modum corollarii ex praecedente thesi sequatur. Si enim, ut ibi (nn. 501 sqq.) probatum est, beatitudo justorum inaequalis est pro inaequalitate meritorum, eodem sensu poenae reproborum etiam inaequales esse debent. Et hoc quidem ipsa Sacra Scriptura satis clare docet, et quidem multis in locis. Ita v. g. S. Paulus ait: ''Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus'' (Rom. 2, 5, 6). Hoc sensu etiam Dominus de civitate evangelium suum non recipiente dicit: ''Amen dico vobis: Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die judicii, quam illi civitati'' (Mt. 10, 15); et S. Joannes de ''Babylon magna'': ''Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum'' (Apoc. 18, 7).

Idem docent SS. Patres. Ita *S. Augustinus:* "Nequaquam tamen negandum est, etiam ipsum aeternum ignem pro diversitate meritorum quamvis malorum aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem, sive ipsius vis atque ardor pro poena digna cujusque varietur, sive ipse aequaliter ardeat, sed non aequali molestia sentiatur" (De Civ. Dei, l. 21, c. 16; ML. 41, 731). Et *S. Gregorius Magnus:* "Unus quidem est gehennae ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores. Unusquisque enim quantum exigit culpa, tanta illic sentitur poena" (Dial. l. 4, c. 43; ML. 77, 401). Neque haec de sola poena sensus intelligenda sunt, sed etiam de poena damni; nam quo magis damnati propter peccata sua se visione Dei indignos reddiderunt in terra, eo gravius ex privatione ejusdem visionis tristitia et remorsu et desperatione affliguntur in inferno. Poena enim damni non est pura privatio, sed privatio cum respectu ad culpam; et ideo pro inaequalitate culpae, ipsa quoque poena inaequalis dicenda est.

524. Scholion I: Quod Deus puniendo reprobos non more hominum spiritu vindictae ducatur.

Hoc ab omnibus theologis tenetur, et quidem necessario tenendum est; vindicta enim, cum poenam propter poenam intendat et inde gaudium quoddam capiat, non modo Deo sed homine quoque indigna est. Deus semper punit ordinate, seu secundum modum et propter finem quem rectus ordo postulat. Quantum in se est, omnibus bonum vult, estque super omnia benignus atque misericors; sed simul etiam infinite sapiens est et justus, et ideo permittere nequit ut totus ordo moralis perturbetur. Peccatum autem mortale, praesertim cum tempore probationis non fuerit poenitentia deletum, hujusmodi perturbationem necessario inducit; et ideo rectus ordo postulat ut peccator, finaliter impoenitens factus, poenis culpae suae proportionatis afficiatur. Secus enim finis absolute ultimus, a quo homo mortaliter peccando libere se avertit, humana malitia omnino frustraretur. Igitur puniendo reprobos Deus hoc unum efficit atque intendit, ut perturbatores ordinis moralis ipsi huic ordini tandem efficaciter subjiciantur. Insuper juxta communem theologorum sententiam, Deus damnatos non secundum totum rigorem justitiae sed cum quadam misericordia punit. "In damnatione reproborum, inquit *S. Thomas*, apparet misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter allevians, dum punit citra condignum" (I. q. 21, a. 4 ad 1).

525. Scholion II: Num omnes reprobi etiamnum in inferno detineantur.

Haec quaestio tum de malis angelis tum de animabus damnatis intelligi potest, et de utrisque intellecta cum distinctione solvenda est. Ad animas enim damnatas quod attinet, non habetur sufficiens ratio

asserendi eas aliquando extra infernum vagari; quia eorum ad vivos relatio per ipsam mortem interempta est, quippe quae in sola viatorum societate et mutua quadam dependentia consistebat. Igitur nisi Deus in aliquo particulari casu aliter decernat, animae damnatae statim post mortem in infernum detruduntur, ibique ad ultimum usque judicium sine evagationis possibilitate detinentur.

Non ita tamen omnes angeli mali seu daemones, licet statim post lapsum ad inferni cruciatus damnati sint eisque sine interruptione torqueantur. Ipsa enim Sacra Scriptura testatur daemones vagari per terram hominesque in multis vexare. Quare etiam monet fideles: "Sobrii estote, et vigilate; quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide" (I Petr. 5, 8, 9; cf. Mt. 8, 28; 15, 22; Ephes. 6, 12, 13). Ratio est, quia angeli relate ad homines Dei ministri sunt, et ideo sicut angeli boni in hominum custodiam deputantur, ita etiam angelis malis homines ad eos in virtutibus exercendos impugnare permittitur.

Quibus notatis *S. Thomas* ait: "Sic ergo daemonibus duplex locus poenalis debetur; unus quidem ratione suae culpae, et hic est infernus, alius autem ratione exercitationis humanae, et sic debetur eis caliginosus aer. Procuratio autem salutis humanae protenditur usque ad diem judicii. Unde usque tunc durat ministerium angelorum et exercitatio daemonum. Unde et usque tunc et boni angeli ad nos mittuntur et daemones in hoc aere caliginoso sunt ad nostrum exercitium, licet eorum aliqui etiam nunc in inferno sint ad torquendum eos quos ad malum induxerunt, sicut et aliqui boni angeli sunt cum animabus sanctis in caelo. Sed post diem judicii omnes mali tam homines quam angeli in inferno erunt, boni vero in caelo" (I, q. 64, a. 4). Interim tamen, ut jam supra dictum est, daemones poenis inferni torquentur, sola incarceratione excepta.

526. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° In Sacris Litteris reproborum sors dicitur perditio (Phil. 13, 19), interitus (II Thess. 1, 9), secunda mors (Apoc. 21, 8): *Ergo* animae in peccato mortali decedentes annihilari potius quam ad infernum damnari dicendae sunt.

Resp. In Sacris Litteris reproborum sors dicitur perditio, interitus, secunda mors, quia essentialiter consistit in amissione vitae aeternae, seu in privatione visionis Dei, *C.* Quia anima esse desinit, *N.* Ita S. Joannes in textu allegato clare dicit: "Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure: quod est mors secunda."

2° Ex eo quod poenae inferni dicuntur aeternae, perperam concluditur eas nunquam habituras esse finem; nam illa vox in Sacris Lit-

teris saepe adhibetur ad designandum longissimum quidem tempus, quod tamen fine haud caret. Ita v. g. Deus dixit ad Abraham: "Dabo tibi et semini tuo . . . omnem terram Chanaan in possessionem aeternam" (Gen. 17, 8), nihilominus illa possessio finem habuit: *Ergo.*

Resp. Ex eo solo quod poenas inferni dicuntur aeternae, perperam concluditur eas nunquam habituras esse finem, *Tr.* Ex eo quod illae poenae dicuntur aeternae in eadem judicis sententia, in qua etiam vita justorum dicitur aeterna, *N.* Praeterea in argumento (n. 520 b) ostensum est juxta explicitam Christi declarationem illas poenas nullum unquam finem habituras esse; vermis enim damnatorum non moritur, et ignis non extinguitur. Transmissum est primum membrum distinctionis, quia vox "aeternum" (αἰώνιος) sensu obvio et proprio reapse significat durationem sine fine; et ideo quoties neque in textu neque in contextu limitationis vestigium apparet, hoc sensu accipienda est. Neque obstat textus in objectione allegatus; possessio enim aeterna terrae Chanaan non fuit promissa absolute loquendo sed conditionate, si nempe posteri Abrahae fideles permanerent legi Dei. Simili quoque modo interpretandi sunt alii quidam textus, qui plerumque contra hanc thesim adducuntur.

3° Juxta Sacram Scripturam Deus "non in perpetuum irascitur" (Ps. 102, 9), non "in aeternum projiciet" (Ps. 76, 8), non "in finem misericordiam suam abscindet" (Ibid. 9): *Ergo.*

Resp. Haec dicuntur quia Deus in hac vita non denegat peccatoribus remissionem delictorum suorum, si sincero corde converti velint, *C.* Haec dicuntur quia Deus etiam post hanc vitam paratus est ad gratiam efficacis poenitentiae conferendam, qua reprobi tandem salventur, *N.* Responsum ex contextu satis liquet.

4° In Sacra Scriptura dicitur peccata remitti in altera vita (Mt. 12, 32), Christum descendentem in infernum praedicasse illis qui olim increduli fuerunt temporibus Noe (I Petr, 3, 19, 20), immo omnia restauranda esse (Act. 3, 19-21), ita "ut Deus sit omnia in omnibus" (I Cor. 15, 26-28): *Ergo.*

Resp. In Sacra Scriptura dicitur peccata venialia remitti in altera vita, *C.* Etiam peccata mortalia, *N.* Dicitur Christum annuntiasse redemptionem ex limbo Patrum iis mox futuram, qui licet aliquando increduli ante mortem tamen conversi fuerint, *C.* Dicitur Christum annuntiasse redemptionem ex inferno iis aliquando futuram, qui increduli ex hac vita migraverant, *N.* Dicitur omnia restauranda esse, "quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo prophetarum" (Act. 3, 21), *C.* Dicitur omnia restauranda esse, ita ut in hac restauratione etiam damnati includantur, *N.* Denique dicitur Christum etiam ultimum hostem, scilicet mortem, superaturum esse,

"ut Deus sit omnia in omnibus," eo sensu quod post ultimum judicium potestas diaboli et peccati fidelibus non jam nocere poterit et impotens erit, *C.* Eo sensu quod etiam reprobi in regnum caeleste admittentur, *N.* Hae distinctiones secundum communem textuum interpretationem positae sunt, quae interpretatio etiam ex contextu sat facile eruitur.

5° Quidam Patres reproborum restitutionem docuisse reperiuntur: *Ergo* argumentum ex traditione desumptum non multum valet.

Resp. Quidem Patres aliquibus in locis reproborum restitutionem docuisse videntur, *C.* Iidem Patres simul aliis in locis non etiam contrarium docuerunt, *subd.* Unus alterve forte non, *C.* Neque alii et quidem pro maxima parte, *N.* Unde *Petavius,* qui istorum Patrum dicta recenset, ita concludit: "Quamobrem constat Hieronymum, et si qui alii sunt ex SS. Patribus, qui scriptis suis Origeniana illa dogmata velut naevos quosdam intexerunt, haec aliud agentes ex Origenis lectione traxisse, atque identidem emendasse" (De Angelis, l. 3, c. 8, n. 10). Immo alii, qui reproborum restitutionem docuisse videntur, illis locis reapse non de reprobis sed de animabus in purgatorio agunt. Ita v. g. *S. Gregorius Nazianzenus,* qui ceterum de igne puniente ait: "Est alter ignis non purgans, sed scelerum vindex, . . . ille omnibus his (ignibus purgantibus) formidabilior est, qui cum insomni illo verme conjunctus est nec umquam exstinguitur, verum in sceleratorum hominum poenam perennis est et sempiternus" (Orat. 40 in S. Baptisma, n. 36; MG. 36, 411). Quare consensus SS. Patrum saltem moraliter unanimis est, quod ad nostrum argumentum sufficit.

6° Aeternitas inferni repugnat Dei sapientiae; nam sapientis est proponere finem et ad eum inducendum idonea media eligere: *Atqui* finis, in quem Deus hominem condidit, est assecutio vitae aeternae; posita autem aeternitate inferni, hic finis a damnatis nunquam obtineri potest: *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: Finis homini a Deo praestitutus duplex est; alter primarius et absolute obtinendus, alter vero secundarius et hypothetice assequendus. Ille consistit in gloria Dei per creaturas manifestanda; hic in felicitate hominum ultimo ex visione Dei habenda. Gloriam Dei etiam reprobi manifestant, quatenus divina attributa, nempe sanctitatem, justitiam, veracitatem, immo et misericordiam nolentes volentes agnoscunt atque annuntiant; propria felicitate semper quidem privati existent, sed solum quia non impleverunt conditionem ejus assecutioni juste et sapienter appositam.

7° Aeternitas inferni adversatur justitiae Dei; nam justitia postulat ut poena gravitatem culpae non excedat: Atqui poena aeterna gravitatem peccati, saepe brevissimo tempore commissi, infinite excedit: *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad probationem dico: Concedo majorem et nego minorem. Gravitas peccati non ex duratione actus peccaminosi desumitur, sed ex ejus deviatione a regula morum; quamdiu igitur haec deviatio habitualiter permanet, poena inflicta simul durans gravitatem peccati ex hoc capite non excedit. Hac de re *S. Thomas* ait: "Sicut Augustinus dicit, in nullo judicio requiritur ut poena adaequetur culpae secundum durationem. Non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea poena punitur, sed quandoque quidem perpetuo carcere vel exilio, quandoque etiam morte; in qua non consideratur occisionis mora, sed potius quod in perpetuum auferatur a societate viventium; et sic repraesentat suo modo aeternitatem poenae inflictae divinitus" (I. II, q. 87, a. 3 ad 1).

8° Deus non potest velle id quod est prorsus inutile: *Atqui* poenae aeternae prorsus inutiles sunt: *Ergo.*

Resp. Concedo majorem et nego minorem. Dici potest cum *S. Thoma:* "Impiorum poenae in perpetuum duraturae non erunt omnino inutiles. Utiles enim sunt ad duo: primo ad hoc, quod in eis divina justitia conservatur, quae est Deo accepta propter seipsam; . . . secundo ad hoc sunt utiles, ut de his electi gaudeant, dum in his Dei justitiam contemplantur, et dum eas cognoscunt se evasisse" (Suppl. q. 99, a. 1 ad 4). Insuper ex eo praecise quod aeternae sunt, constituunt pro viventibus sanctionem legis per se sufficientem.

ARTICULUS IX

De Duplici Reproborum Poena

THESIS XXXIX.—Damnati in inferno duplici poena torquentur: poena damni et poena sensus.

Cf. S. Thomas, *Suppl.*, qq. 97, 98, 99, a. 1; S. Bonaventura, *In IV Sent.* d. 44, p. 2, a. 2, q. 1; a. 3, q. 2; Scotus, *In IV Sent.* d. 44, q. 3; Suarez, *De Angelis,* l. 7, cc. 4, 5; Petavius, *De Angelis,* l. 3, cc. 4, 5; Pesch, *Praelect.* IX, nn. 642 sqq.; Palmieri, *De Novissimis,* § 55, 63; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 345 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 1274 sqq.; Muncunill, *De Novissimis,* nn. 830 sqq.; Jungmann, *De Novissimis,* nn. 27 sqq.; Billot, *De Novissimis,* thes. 4; Pohle-Preuss, *Eschatology,* p. 1, c. 4, sect. 2, 3; *Hist. Dogm.* II, 426 sqq.

527. **STATUS QUAESTIONIS.**—Probato damnatos pro ratione demeritorum cruciari, et quidem poena interminabili, nunc investigemus oportet *naturam istius poenae;* nimirum quotuplex sit et in quonam consistat. Eos privari visione beatifica, una cum omnibus bonis inde sequentibus, ex probatis satis constat; sed determinandum adhuc manet, quanam ratione illa privatio sit vera poena. Insuper cum in

omni peccato mortali, praeter aversionem a Deo, contineatur indebita conversio ad creaturas, una cum privatione visionis beatificae etiam poena quaedam positiva admittenda videtur, quae nimirum aliqua ratione ex creaturis ortum habet. Haec igitur in praesente thesi investigari atque determinari debent.

528. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Terminus "damnati" in hac thesi ita accipitur, ut comprehendat *omnes omnino reprobos,* sive homines sint sive angeli; et ad homines quod spectat, sive animae separatim existant sive fuerint corporibus suis iterum conjunctae. Tum angelis tum hominibus essentialiter eadem irrogatur poena, nempe damni et sensus. Haec autem poena considerari potest tum *objective* tum *subjective.* Objective quidem, quatenus spectatur ipsum malum in se, quo reprobi affliguntur; subjective vero, in quantum respicitur dolorosa affectio reprobis ex isto malo proveniens. Damnatorum poena *formaliter* in hac dolorosa affectione consistit.

b) Poena *damni* oritur ex amissione finis ultimi, ad cujus possessionem reprobi ex Dei ordinatione destinati erant. Per hanc igitur poenam *primarie* non intelligitur ipsa ultimi finis amissio, neque beatificae visionis privatio, sed potius *subjectiva reproborum conditio* inde resultans. Haec autem consistit in summo dolore spirituali, cujus intensitas peccaminosae reproborum aversioni a Deo fine ultimo est proportionata. Itaque quo gravius aliquis damnatus peccavit, eo magis a Deo aversus existit, et eo quoque magis poena damni cruciatur. Spiritualis vero hic dolor omnes illas affectiones dolorosas includit, quae etiam hisce in terris sequi solent ex magno aliquo bono propria culpa amisso. Hinc adest *remorsus, tristitia, anxietas, horror,* et id genus omne, ita ut reprobi in profundissimo spiritualis miseriae pelago immersi existant. Accedit insuper saevissima *intestina pugna,* cum reprobi ex una parte pondere suae naturae vehementer in finem ultimum ferantur, et simul ex altera parte propter peccata commissa aeque vehementer ab eo repellantur. Inde *absoluta damnatorum desperatio.*

c) Damnum *objective* consideratum includit amissionem, non modo beatitudinis tam essentialis quam accidentalis, verum etiam *omnium donorum supernaturalium,* quibus damnati aliquando ornati erant; excepto tamen charactere sacramentali, qui manet in poenam. Disputatur quidem de fide, sed fere communis et vera sententia tenet eam etiam esse amissam; quod enim "daemones credunt et contremiscunt" (Jac. 2, 19), intelligendum est de assensu naturali, ad quem daemones per evidentiam necessitantur. Non vero privantur damnati *naturalibus facultatibus,* sive apprehensivis sive appetitivis, neque illis speciebus acquisitis vel etiam infusis et inclinationibus voluntatis, quae

ad hoc pertinent ut ipsi suam miseriam clare intelligant atque intense detestentur (cf. *Suarez*, De Angelis, l. 8, c. 6).

d) Modo dicta *S. Thomas* ita breviter proponit: "Erit igitur extrema miseria hominis in hoc, quod intellectus totaliter divino lumine privetur et affectus a Dei bonitate obstinate avertatur; et haec est praecipua miseria damnatorum, quae vocatur poena damni. Considerandum tamen est, quod malum non potest totaliter excludere bonum, cum omne malum in aliquo bono fundetur. Miseria igitur quamvis felicitati, quae ab omni malo erit immunis, opponatur, oportet tamen quod in bono naturae fundetur. Bonum autem intellectualis naturae in hoc consistit, quod intellectus respiciat verum et voluntas tendat in bonum. Omne autem verum et omne bonum derivatur a primo et summo bono, quod Deus est; unde oportet quod intellectus hominis in illa extrema miseria constituti aliquam Dei cognitionem habeat et aliquam Dei dilectionem, secundum scilicet quod est principium naturalium perfectionum (et naturalis tendentiae in bonum), quae est naturalis dilectio" (Compend. Theol. c. 174). Haec naturalis dilectio partialis causa est, ob quam damnati etiam amissione ipsius Dei affligantur, et non solum amissione beatitudinis subjectivae.

e) Damnati insuper cruciantur poena *sensus*. Poena damni est natura sua *privativa*, quia ex privatione oritur; poena vero sensus *positiva* est, quia ab extrinseco infligitur. Dicitur autem poena *sensus*, non tam quia in facultatibus sensitivis recipitur, quippe quod saltem in daemonibus fieri nequit; sed potius quia *proxime a causa aliqua sensibili producitur*. Haec causa sensibilis per se multiplex esse potest, sicut etiam in hoc mundo causae sensibiles inter se valde diversae homines dolore afficere possunt; attamen in Sacris Litteris ubique fere *ignis* ut hujusmodi causa assignatur, et idem quoque in scriptis SS. Patrum invenitur. Quare negari non potest damnatos igne torqueri; sed *quali igne?* Hac de re multum disputatur. Ignem illum non in eadem prorsus natura cum nostro igne convenire, ita ut plane idem sit, satis constare videtur; urit enim damnatos, sed non comburit. Neque tamen propterea asserere licet eum non esse vero aliquo sensu ignem *corporeum;* non enim repugnat aliquam materiam absque combustione perpetuo in eo statu motus molecularis conservari, quem nos *aestum* vocamus. Hoc autem dato, terminus "ignis" sensu satis proprio accipi videtur.

f) Quomodo vero spiritus, daemones et animae separatae, hoc igne sensibili cruciari possint, haud facile intelligitur. Diversas theologorum opiniones, quae hac de re proponi solent, infra in scholio recensebimus; eamque tunc indicabimus, quae prae aliis amplectenda videtur. In ipsa thesi quoad ignem inferni hoc unum tuemur, *eum esse vero aliquo sensu ignem corporeum,* ita ut sensus *mere metaphori-*

cus excludatur. Probationis causa, thesis convenienter in has tres partes dividitur: I. *Damnati in inferno cruciantur poena damni.* II. *Damnati in inferno cruciantur poena sensus.* III. *Ignis quo damnati cruciantur, vero aliquo sensu ignis corporeus est.*

529. **ADVERSARII.**—Primae parti theseos adversatur *Scotus,* saltem eo sensu quod reprobat divisionem poenarum inferni in poenam damni et poenam sensus. Dicit enim omnem poenam esse tristitiam quamdam ex dolore sensibili exortam (In IV Sent. d. 49, q. 7). Admittit utique damnatos privari visione beatifica, sed hanc privationem non putat esse poenam appellandam. Immo dicit: "Si quilibet damnatus et praecise daemones possent stare in quieta cognitione sua et dilectione sua perpetua, et non determinarentur ab hoc vel alio, reputarent se beatos beatitudine naturali, et ideo in cognitione sua maxime quiescerent; et credo quod quia ab hoc impediuntur (per poenas positivas), quod est eis maxima poena" (In IV Sent. d. 50, q. 6, n. 13).

Alteram partem theseos negant *Rationalistae* et plerique *Protestantes Liberales,* qui quidem non admittunt nisi infernum temporalem, sed etiam in hoc inferno temporali nullas poenas positivas esse contendunt. Juxta eos igitur sola damnatorum poena in dilatione gaudii caelestis consistit.

Tertiam denique partem impugnavit *Ambrosius Catharinus,* qui ait: "Quod non sit ignis ille corporeus, multa vehementer mihi videntur facere et urgere" (Opusc. de bonorum praemio et supplicio malorum aeterno, p. 145); et deinde ex diversis Sacrae Scripturae locis ostendere conatur ignem inferni esse metaphorice intelligendum, ita ut significet ingratas apprehensiones intellectuales, quae ex amissione summi boni enascantur. Catharini sententiam plus minus amplexi sunt *Moehler, Klee, Hettinger,* alii. Item *Calvinistae* et multi ex Protestantibus modernis dicunt poenam ignis nihil aliud esse quam horrorem conscientiae.

530. **NOTA.**—Prima pars theseos, quatenus affirmat damnatos privari visione beatifica et hoc saltem sensu subire poenam damni, est *de fide tenenda* (cf. DB. 464, 531); quatenus vero tuetur damnatos hac privatione cruciari, ita ut propterea summam miseriam patiantur, est sententia certa et communis.—Altera pars, quae statuit damnatos torqueri poena positiva, etiam *de fide tenenda est;* tum quia in Sacra Scriptura clare continetur, tum quia ex jugi Ecclesiae magisterio certe constat.—De tertia parte *Suarez* dicit: "Certa et Catholica sententia est ignem inferni, qui paratus est diabolo et angelis ejus, ut in illo crucientur, verum ac proprium ignem corporeum esse" (De Angelis, l. 8, c. 12, n. 9). Et juxta responsum S. Poenitent. 30 Apr. 1890. poenitens renuens admittere esse in inferno ignem realem, sed meta-

phoricum tantum, instruendus est et pertinax non absolvendus. Igitur haec pars certa est, eamque theologi communiter defendunt.

I. Damnati in inferno cruciantur poena damni.

531. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scripturam, a) *damnati compelluntur discedere a Christo;* b) *rejecti sunt a Deo;* c) *regnum Dei non possidebunt;* d) *conscientia sui status summa miseria afficiuntur:* **Atqui** ex his necessario sequitur damnatos in inferno cruciari poena damni: **Ergo.**

Minor satis evidens est; nam qui a Christo discedit, a Deo rejectus est, et a regno Dei exclusus, eo ipso visione beatifica privatus existit, ideoque saltem hoc sensu poenam damni subire debet; et qui insuper conscientia sui status summa miseria afficitur, eo ipso poena damni cruciatur.—*Major* probatur per partes, juxta divisionem supra indicatam.

a) Christus in ultimo judicio "dicet his, qui a sinistris sunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum" (Mt. 25, 41), qua judicis sententia prolata, "ibunt hi in supplicium aeternum" (Ibid. 46).

b) Ad quaestionem, "Domine, si pauci sunt qui salvantur?" Christus respondit: "Contendite intrare per augustam portam; quia multi, dico vobis, quaerent intrare et non poterunt. Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis; et respondens dicet vobis: Nescio vos unde scitis. Tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vos unde sitis; discedite a me omnes operarii iniquitatis. Ibi erit fletus et stridor dentium, cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras" (Lc. 13, 23-28).

c) S. Paulus monet Corinthios: "An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt" (I Cor. 6, 9-11).

d) Damnatorum miseriam, ex amissione salutis ortam, hisce verbis graphice describit Sapiens: "Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis; dicentes intra se, poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes: Hi (justi) sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati, vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, et justitiae

lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra; . . . in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt'' (Sap. 5, 2-14).

Huc etiam omnes illi textus spectant, in quibus reprobi ejici dicuntur in tenebras exteriores. Ita Mt. 8, 12: ''Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.'' Item Mt. 22, 13, de homine non habente vestem nuptialem: ''Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.'' Et Mt. 25, 30, de servo qui pecuniam domini sui absconderat: ''Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores; illic erit fletus et stridor dentium.'' In his enim textibus de tenebris spiritualibus sermo est, quae sc. privationem luminis caelestis seu gloriae consequuntur. Quare notat *Knabenbauer:* ''Cum Deus sit lux et apparitiones divinae et angelicae multa cum luce et magno splendore fieri soleant et lux generatim symbolum sit felicitatis, gloriae, beatitatis, etiam regnum caelorum tamquam regnum lucis ac splendoris concipitur; quare regio extra illud regio est tenebrarum densissimarum, qua metaphora summa miseria et ingentes calamitates designari solent. Declaratur itaque in ejectione et in tenebris poena damni, privatio omnis lucis i. e. omnis beatitatis quae in se jam est poena gravissima i. e. caligo densissima. Ad eam insuper accedit fletus et stridor dentium, dolor summus animi de bono amisso, furor, terror, desperatio'' (Comment. in Matth. 8, 12, pp. 317, 318).

532. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex traditione.—Hanc traditionem quoad ipsam privationem visionis Dei, et proinde hoc sensu quoad poenam damni, SS. Patres iterum atque iterum testantur, ut satis notum est; eandem vero traditionem quoad summam miseriam ex illa privatione oriundam, data occasione etiam plurimi exponunt. Ita v. g. *S. Chrysostomus,* qui ait: ''Multi sane sunt, qui absurdo judicio usi a gehenna solum liberari peroptant; ego vero gehenna multo graviorem esse poenam puto, non assecutum esse gloriam illam, eique, qui inde exciderit, opinor non adeo lugendum esse de gehennae malis, ut de amisso caelorum regno; hic enim est cruciatus omnium acerbissimus. . . . An non putabimus extremum esse supplicium, si in choro ipsi circumposito non constituamur, sed sat nobis esse credemus, si gehennam effugerimus? Quid anima sic affecta miserius?'' (Ad Theodorum lapsum, l. 1, n. 12; MG. 47, 292). Et *S. Augustinus:* ''Perire a regno Dei, exulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, perfecit autem sperantibus in se, tam grandis est poena, ut ei nulla

possint tormenta quae novimus comparari, si illa sit aeterna, ista autem sint quamlibet multis saeculis longa'' (Enchir. c. 112; ML. 40, 285).

533. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex ratione.—Poena damni in subjecta materia duas res comprehendit, nempe *privationem finis ultimi et dolorosam afflictionem propter hanc privationem:* **Atqui** damnati privantur fine ultimo et propterea dolore afficiuntur: **Ergo.**

Major ex notione poenae damni, quatenus haec ad alteram vitam pertinet, satis constat.—*Minoris prima pars* ex eo patet, quod damnati ratione peccati mortalis a Deo aversi sunt; nam Deus est eorum finis ultimus, ideoque a Deo aversi, eo ipso fine ultimo privati existunt.—*Minoris altera pars* inde sequitur, quod damnati adeo clare cognoscunt se esse ad Deum beate possidendum ordinatos, ut nolentes volentes in hanc unam felicitatem propria culpa irreparabiliter amissam vehementissime semper ferantur. Omne enim ens rationale in finem suum ultimum, utique clare cognitum, necessario tendit. Haec autem necessaria simul et penitus inefficax tendentia absque summa miseria esse nequit.

II. Damnati in inferno cruciantur poena sensus.

534. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Juxta Sacram Scripturam, a) *damnati mittuntur in ignem aeternum;* b) *in caminum ignis;* c) *in flammam ignis dantis vindictam;* d) *sunt in loco ubi ignis non exstinguitur;* e) *cruciantur in saecula saeculorum, non habentes requiem die ac nocte:* **Atqui** haec aliquam saltem poenam sensus involvunt: **Ergo.**

Minor videtur satis evidens; nam omnes illi textus hoc unum commune habent, quod naturali et obvio sensu intelligi non possunt nisi in hypothesi supplicium reproborum ex parte saltem ab extrinseco infligi; hoc autem per poenam sensus hic intelligimus. Ceterum haec minor ex sequente parte clarius constabit.—*Major* probatur per partes, juxta divisionem supra indicatam.

a) Sententia judicis ultimo die in reprobos ferenda erit: ''Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus'' (Mt. 25, 41). Hunc ignem esse aliquid objectivum, ab ipso reproborum cruciatu distinctum, ex ipsis terminis satis patet.

b) De reproborum sorte in fine saeculi Christus dicit: ''Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit in consummatione saeculi. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium'' (Mt. 13, 40-42).

c) Retributio dabitur ''in revelatione Domini Jesu de caelo cum angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non

noverunt Deum, et qui non obediunt evangelio Domini nostri Jesu Christi'' (II Thess. 1, 7, 8).

d) ''Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur'' (Mc. 9, 43, 44).

e) ''Si quis adoraverit bestiam, . . . et hic bibet de vino irae Dei, . . . et cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni; et fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum; nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam et imaginem ejus, et si quis acceperit characterem nominis ejus'' (Apoc. 14, 9-12).

535. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex dictis SS. Patrum.—Cum plurimi textus huc spectantes in sequente parte allegandi sint, hic unus audiatur *S. Basilius:* ''Ignem qui diabolo et angelis in supplicium paratus est, voce Domini intercidi reor; ut, cum duae sint in igne facultates, combustiva una illuminativa altera, ignis quidem asperitas ac torquendi proprietas iis qui adustione digni sunt servetur, illius vero splendor et claritas ad hilaritatem eorum qui laetam ac beatam vitam acturi sunt, destinetur'' (In Ps. 28, n. 6; MG. 29, 297).

536. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex ratione.—Hoc argumentum *S. Thomas* ita evolvit: ''Non solum autem qui contra Deum peccant puniendi sunt per hoc quod a beatitudine perpetuo excludantur, sed etiam per experimentum alicujus nocivi. Poena enim debet proportionaliter culpae respondere, ut supra ostensum est. In culpa autem non solum avertitur mens ab ultimo fine, sed etiam indebite convertitur in alia quasi in fines. Non solum ergo puniendus est qui peccat per hoc quod excludatur a fine, sed etiam per hoc quod ex aliis rebus sentiat nocumentum.

''Amplius, poenae inferuntur pro culpis, ut timore poenarum homines a peccatis retrahantur, ut supra dictum est. Nullus autem timet amittere id quod non desiderat adipisci; qui ergo habent voluntatem aversam ab ultimo fine non timent excludi ab illo. Non ergo per solam exclusionem ab ultimo fine a peccando revocarentur. Oportet igitur peccantibus aliam poenam adhiberi, quam timeant peccantes.

''Item, si quis eo quod est ad finem inordinate utitur, non solum fine privatur, sed etiam aliud nocumentum incurrit, ut patet in cibo inordinate assumpto, qui non solum sanitatem non affert, sed etiam aegritudinem inducit. Qui autem in rebus creatis finem constituit eis non utitur secundum quod debet, referendo scilicet ad ultimum finem. Non ergo solum debet puniri per hoc quod beatitudine careat, sed etiam per hoc quod aliquod nocumentum ab ipsis experiatur.

"Praeterea, sicut recte agentibus debentur bona, ita perverse agentibus debentur mala. Sed illi qui recte agunt, in fine ab eis intento percipiunt perfectionem et gaudium. E contrario ergo debetur haec poena peccantibus, ut ex his in quibus sibi finem constituunt afflictionem accipiant et nocumentum" (Cont. Gent. l. 3, c. 145).

III. Ignis quo damnati cruciantur, vero aliquo sensu ignis corporeus est.

537. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Juxta Sacram Scripturam sententia judicialis in damnatos hisce verbis proferetur: *"Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus":* **Atqui** termini in sententia judiciali adhibiti accipiendi sunt sensu proprio, et ignis sensu proprio acceptus corporeus est: **Ergo.**

Major constat ex Matthaeo, 25, 41. *Minoris altera pars* est evidens; prima vero pars ab omnibus ultro admittitur, dummodo aliunde nihil obstet quominus hujusmodi sententia sensu proprio accipiatur. In nostro autem casu nihil obstare, immo etiam ea adesse quae sensum proprium retinendum esse omnino suadeant, sequentibus rationibus ostenditur.

a) *Nihil obstat ex contextu proximo.* Nam imprimis hic ignis exhibetur distinctus ab ipsis damnatis, ideoque non potest intelligi de mere subjectiva eorum affectione dolorosa; dein vero, licet hic ignis dicatur praeparatus diabolo et angelis ejus, minime tamen constat Deum non posse spiritus puros per ens aliquod sensibile punire.

b) *Nihil obstat ex contextu remoto.* Nam licet in nonnullis textibus, in quibus damnati igne cruciari dicuntur, quaedam sensu metaphorico intelligenda sint, inde tamen non sequitur etiam ipsum ignem metaphorice accipiendum esse. Ita v. g. apud Marcum (9, 44) dicitur, "Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur," ubi "vermis" quidem figurative accipiendus est, non vero etiam "ignis." Prima ratio est, quia juxta usitatum modum loquendi vermis ille, quo homines flagitiosi aliquando cruciari dicuntur, remorsus conscientiae intelligitur; similis vero loquendi modus non obtinet quoad ignem, quo malefici inter homines puniuntur. Altera ratio est, quia in ipso hoc textu reprobus dicitur "mitti in ignem"; jamvero nulla sermonis proprietate dici potest hominem mitti in subjectivum aliquem cruciatum.

c) *Insuper diversae proprietates ignis infernalis,* quae in pluribus Sacrae Scripturae locis exhibentur, *tales sunt ut ignem illum sensu proprio intelligendum esse suadeant.* Hujusmodi sunt *flamma, adustio, caminus, stagnum, fumus.* "Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic colligent . . . et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis" (Mt. 13, 40, 41).

538. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex dictis SS. Patrum.**—Licet nonnulli ex SS. Patribus *Origenem* (De Princ. l. 2, c. 11; MG. 11, 245) secuti ignem inferni metaphorice explicent, communis tamen sententia semper erat damnatos materiali igne cruciari. Immo etiam illi qui uno aliquo in loco Origenianae doctrinae favent, alibi docere inveniuntur verum ignem esse in inferno, sed a nostro igne valde diversum. Ita v. g. *S. Gregorius Nyssenus,* qui ait: "Cum ignem audis (inferni), didicisti aliquem ab illo (nostro) diversum intelligere, ex eo quod illi igni aliquid sit additum quod non est in hoc. Nam ille quidem non exstinguitur, hunc autem multa sunt inventa, quae exstinguant; magna est autem differentia inter eum qui exstinguitur, et eum qui nullam admittit extinctionem" (Orat. Catech. c. 4; MG. 45, 103, 106). Etiam *S. Ambrosius* ignem materialem admittere videtur, cum dicat sacrilegos praecipitari "in lacum ignis ardentis" (In Ps. 36, n. 26; ML. 14, 981), licet alibi (In Lc. l. 7, n. 204 sqq.; ML. 15, 1754) ignem inferni metaphorice interpretetur; necnon *S. Hieronymus* (In Ephes. l. 3, c. 5, n. 6; ML. 26, 522). Itaque metaphoricae interpretationis fautores, quos contra nostram thesim allegare consuevit, reapse audiendi non sunt; aut enim sibi ipsis contradicunt, aut tandem nostram doctrinam tuentur. Quare pauca testimonia audiamus, quae ignem inferorum materialem esse clare edicunt.

a) *Minutius Felix:* "Nec tormentis aut modus ullus aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit et reficit, carpit et nutrit. Sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt, sicut ignes Aetnaei montis et Vesuvi montis et ardentium ubique terrarum flagrant nec erogantur; ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur" (Octav. 35; ML. 3, 348).

b) *Lactantius:* "Docent nos sanctae litterae quemadmodum poenas impii sint daturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, ut in corporibus piaculum solvant; . . . cruciatibus et igni sempiterno, cujus natura diversa est ab hoc nostro, quo ad vitae necessaria utimur, qui nisi alicujus materiae fomite alatur, exstinguitur" (Divin. Instit. l. 2, c. 21, nn. 4, 5).

c) *S. Chrysostomus:* "Non est jam mare rubrum trajiciendum, sed pelagus ignis est; pelagus non cum illo conferendum, sed multo majus et acerbius, cujus fluctus ignis sunt, ignis certe novus et horrendus. Abyssus illic magna est flammae gravissimae. Ibi enim ignem semper circumcurrere videre est, ferae immanissimae similem" (In Matth. hom. 23 al. 24, n. 4; MG. 57, 325).

d) *S. Augustinus:* "Gehenna illa, quod etiam stagnum ignis et sulphuris dictum est, corporeus ignis erit et cruciabit corpora damnatorum, aut et hominum et daemonum, solida hominum, aeria daemonum; aut tantum hominum corpora cum spiritibus, daemones autem spiritus

sine corporibus, haerentes sumendo poenam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe utrisque ignis erit, sicut Veritas dixit'' (De Civ. Dei, l. 21, c. 10, n. 2).

e) *S. Gregorius Magnus:* ''Qua ratione credendum est quia rem incorpoream tenere ignis corporeus possit? . . . Teneri spiritum per ignem dicimus, ut in tormento ignis sit videndo atque sentiendo . . . Si diabolus ejusque angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si et antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta? (Dial. l. 4, c. 29; ML. 77, 365).

539. **ARGUMENTUM TERTIUM: ex consensu theologorum.**— Ante *Catharinum* (+ 1543) ne unus quidem invenitur, qui ignem inferorum metaphorice interpretatus sit, vel qui non docuerit Sacram Scripturam hac in re secundum litteram esse intelligendam. Ita *S. Thomas* ait: ''Quae (dicta Sacrae Scripturae) animabus damnatorum praenuntiant poenas corporeas, utpote quod ab igne inferni cruciabuntur, sunt secundum litteram intelligenda'' (Compend. Theol. c. 179). Item *S. Bonaventura:* ''Tam homines quam spiritus mali affligentur eodem igne corporali, qui concremabit et affliget spiritus et etiam corpora, nec tamen corpora illa consumet sed semper affliget'' (Breviloq. p. 7, c. 6; cf. In IV Sent. d. 44, p. 2, a. 2, q. 1). Similiter loquuntur *Albertus Magnus* (In IV Sent. d. 44, aa. 37, 38), *Scotus* (In IV Sent. d. 44, q. 3), alii.

Hos secuti sunt recentiores omnes, praeter quosdam modernos, qui superius (n. 529) jam notati sunt. Hac de re *Petavius* ait: ''Corporeum et materia constantem esse inferorum ignem, quo utrique illi [daemones et homines] torquentur, theologi hodie omnes, immo et Christiani, consentiunt'' (De Angelis, l. 3, c. 5, n. 7). Unde juxta *Suarezium* (*De Angelis,* l. 8, c. 12, n. 9), haec sententia *certa et Catholica* est; juxta *Toletum* (In I, q. 64, a. 3), *opposita sententia est erronea;* juxta *Bañez* (In I, q. 64), *opposita sententia est erronea aut proxima errori.* Alii quidem mitius judicant, sed simul doctrinam de igne corporeo strenue defendunt. Huc accedit responsum *S. Poenitentiariae,* jam supra (n. 530) allegatum, ex quo habetur ut opposita sententia reapse teneri non possit.

540. **Scholion I: De modo quo ignis inferorum agat in spiritus.** Cum juxta omnes, tam Patres quam theologos, ignis inferorum non sit prorsus idem atque ille quo nos modo utimur, non adeo magna occurrit difficultas quoad corpora per eum in perpetuum crucianda; corpora enim corporeo agente miro in modo divinitus affligi, quodammodo intelligi potest. Quomodo vero spiritus, immo et spiritus puri, igne vero aliquo sensu corporeo cruciari possint, nos vix non ex toto latere fatendum est. Quare mirum non est hac de re nihil apodictice

propositum apud Patres inveniri, neque theologos explicationem aliquam excogitasse, de qua omnes plus minusve inter se conveniant. Praecipuas tamen sententias, quae lapsu temporis hac de re propositae fuerunt, breviter notasse juvabit.

Ita *S. Augustinus* quaerit: "Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis et etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, et nunc poterunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?" (De Civ. Dei, l. 21, c. 10, n. 2; ML. 41, 724). Possibilitatem quidem indicat, sed modum non exponit. Ulterius progreditur *S. Gregorius Magnus*, qui ait: "Teneri spiritum per ignem dicimus, ut in tormento ignis sit videndo atque sentiendo. Ignem namque eo ipso patitur quod videt; et quia concremari se aspicit, concrematur. Sicque fit ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor et dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur." (Dial. l. 4, c. 29; ML. 77, 365).

Hanc fere explicationem suam fecit *S. Bonaventura* (In IV Sent. d. 44, p. 2, a. 3, q. 2), juxta quem spiritus damnati nonnisi moraliter ab igne corporeo afficiuntur, nempe in quantum ignis eos alligat et perceptionem eorum immutat, repugnante cum horrore voluntate. Item *Scotus* (In IV Sent. d. 44, q. 2, n. 11), qui docet damnatum spiritum per potentiam divinam continuo detineri igne, cogi ad eum perpetuo considerandum et sic arceri a consideratione objectorum aliorum sibi complacentium; hoc autem fieri cum summa repugnantia voluntatis, et sic spiritum illum vehementissime contristari atque torqueri. Ordinem quo hoc fiat, ipse ita exponit: "Primo intellectus angeli determinatur perpetuo ad intense considerandum ignem in ratione objecti. Secundo apprehendit istam determinationem ad talem considerationem. Tertio odit, et istud odium oritur ex affectione commodi, ex qua vult quodcumque objectum, prout sibi delectabile fuerit, considerare nunc hoc nunc illud; promovetur ex superbia, ex qua vult uti intellectiva sua secundum imperium voluntatis propriae, et consummatur ex invidia, propter quam odit determinari a Deo ad aliquam considerationem unicam. Quarto sequitur apprehensio certa de eventu istius considerationis intensae et perpetuae. Quinto ex hoc sequitur tristitia" (Ibid. n. 11; cf. n. 13).

Ab hac Scoti sententia ea non multum differt, quam jam ante Scotum proposuerat *S. Thomas* hisce verbis: "Patiuntur igitur ab igne corporeo substantiae incorporeae per modum alligationis cujusdam. Possunt enim alligari spiritus corporibus vel per modum formae, sicut anima corpori humano alligatur ut det ei vitam, vel etiam absque hoc quod sit ejus forma, sicut necromantici daemonum virtute spiritus

alligant imaginibus aut hujusmodi rebus. Multo igitur magis virtute divina spiritus damnandi igni corporeo alligari possunt; et hoc ipsum est eis in afflictionem quod sciunt se rebus infimis alligatos in poenam'' (Cont. Gent. l. 4, c. 90). Iterum: ''Ignis ex natura sua habet quod spiritus incorporeus ei conjungi possit, ut loco locatum; sed quantum est instrumentum divinae justitiae, habet ut ipsum quodammodo retineat alligatum; et in hoc veraciter ignis est spiritui nocivus, et sic anima ignem ut sibi nocivum videns, ab igne cruciatur'' (Suppl. q. 70, a. 3).

Ut legenti facile patebit, in utraque explicatione duplex inconveniens habetur: Primum quidem, quod poena detentionis vel alligationis vix differre videtur a poena damni; alterum vero, quod nulla apparet ratio cur spiritus damnati igni potius quam cuilibet alii materiali objecto alligentur vel in eo detineantur. Nam juxta laudatos auctores, praeter detentionem vel alligationem, ignis nullum realem influxum in illos spiritus exercet. Quare alii cum *Suarezio* (De Angelis, l. 8, c. 14, nn. 41, 47) contendunt, praeter illam localem detentionem, per ignem tamquam instrumentum Dei produci in spiritibus qualitatem [illegible]am doloriferam, quae reddat eos foedos et deformes. Sed reprehendet *Lessius* concipi non posse qualitatem, quae diabolum magis deformem reddat quam mala ejus voluntas et habitus vitiosi. Hinc ipse ponit ignem divinitus elevari ad spiritus torquendos, ad modum fere quo mediante corpore torquet animam humanam illud informantem. Nam ''si ignis naturaliter vim habet affligendi spiritum infimum, nempe animam humanam, . . . ergo divina virtute ita poterit elevari, ut etiam superiores spiritus, nempe daemones affligere possit. Ubi enim est vis aliqua naturalis, etsi imperfecta, ibi locum habet elevatio ad actum ejusdem generis perfectiorem et superioris ordinis'' (De Perfect. Div. l. 13, c. 30, n. 216). Sicut igitur intellectus humanus divinitus elevatur ad Deum intuitive videndum, ita ignis divinitus elevatur ad spiritus directe torquendos.

Neque haec sententia multum explicat; adhuc enim quaeri potest, in quonam illa actio ignis elevati ultimo consistat. Nam tristitia, ad quam Lessius confugit, non est ipsa actio ignis, sed subjectiva affectio ad eam consequens. Unde adhuc sub judice lis est. Inter modernos *Franciscus Schmid* (Quaestiones Selectae, c. 2, p. 189) hanc thesim ponit: ''Daemones in suae praevaricationis poenam verum adustionis dolorem patiuntur, idque per ignem tamquam per physicum divinae vindictae instrumentum.'' Defendit autem hanc thesim recurrendo ad potentiam locomotivam, quae puris spiritibus inest. Sicut enim spiritus per hanc potentiam in corpora agere possunt, ita etiam corpora ut instrumenta Dei agere possunt in spiritus. Nam quando spiritus movet corpus, corpus utique suo modo reagit in spiritum; et licet corpus

naturaliter in spiritum agere non possit nisi cum spiritus vult, disponente tamen Deo id potest etiam cum spiritus non vult. Ipsa enim in spiritum agendi potentia adest, eamque Deus citra naturaliter ad agendum requisita in actum reducere valet.

Unde laudatus auctor concludit: "Num absolute impossibile dicere poterimus, ut talis spiritus per extraordinarium influxum divinae omnipotentiae contra naturalem tendentiam naturae suae sive secundum potentiam obedientialem dolorem pati possit, qui nequaquam rationem tristitiae sive doloris rationalis habet sed vere sensibilis simulque in eo genere intensissimus est et per consequens cum dolore adustionis, qui inter dolores sensibiles animales omnium vehementissimus esse censetur, genericam identitatem aut saltem maximam similitudinem prae se fert? Certe impossibilitatem hujus rei nemo hucusque demonstrare potuit; neque pro futuro eam aliquis facile demonstrabit" (Op. cit. p. 201). Haec utique possibilis quaedam explicatio esse videtur; utrum etiam vera sit, Deus novit.

541. Scholion II: Num damnati, praeter poenam ignis, etiam aliis poenis positivis crucientur.

Plurimi Patres, quos veteres theologi fere omnes secuti sunt, docent damnatos non tantum igne, sed etiam aliis rebus materialibus torqueri, puta *aqua, nive, procellis,* vel etiam *rebus foetidis* (cf. *S. Thomas,* Suppl. q. 97, a. 1; *S. Bonaventura,* In IV, d. 44, p. 2, a. 2, q. 2); de qua tamen sententia *Suarezius* ait: "Haec sententia, licet gravium doctorum auctoritate nitatur, incerta est . . . , quia Christus Dominus poenam ignis perpetuam et irremissibilem et quasi unicam expresse comminatur, de alia vero poena nivium et aquarum nullam facit mentionem, nec ex alio Scripturae loco sufficienter probatur neque talis poena ostenditur necessaria" (De Angelis, l. 8, c. 12, n. 24).

Ex altera tamen parte ibi multae sunt poenae positivae, quae sua quasi sponte ex damnatorum conditione profluunt. Infernus enim teterrimus carcer est, infima humani generis faece pollutus, in quem detrusi simul lugent atque se invicem maledicunt "fornicarii, idolis servientes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, avari, ebriosi, maledici, rapaces" (I Cor. 6, 9, 10), "timidi incredduli, exsecrati, homicidae, fornicatores, venefici, idololatrae, mendaces" (Apoc. 21, 8); "ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat" (Job, 10, 22).

542. Scholion III: Quod damnati perfecte obstinati sint in malo.

Juxta omnes theologos damnati adeo indeclinabiliter adhaerent malo, ut de suis peccatis efficacem poenitentiam nullatenus agere valeant, ideoque nunquam veniam consequi possint. Immo haec sententia de fide tenenda est, ut advertit *S. Thomas:* "Tenendum est

firmiter secundum fidem Catholicam, quod et voluntas bonorum angelorum confirmata est in bono, et voluntas daemonum obstinata est in malo'' (I, q. 64, a. 2). Absque dubio eos poenitet se peccasse, Deum offendisse et sic ejus visione privatos finem existentiae suae non assecutos esse; sed haec poenitentia non est salutaris, quia non ex amore Dei sed tota quanta ex propria ruina procedit. Ultima autem obstinationis ratio in eo sita est, quod damnati in perpetuum omni Dei gratia privantur; sunt enim in termino constituti, ubi ex ordinatione Dei ulteriori probationi non est locus. *S. Thomas* quidem docet daemones ex ipsa sua natura malo semel electo indeclinabiliter adhaerere, et ideo daemonum obstinationem ex indole angelicae naturae repetit (I, q. 64, a. 2), eumque sequuntur *Thomistae;* sed aliis haec interna mentis angelicae immobilitas non satis probatur (cf. *Suarez,* De Angelis, l. 3, c. 10; l. 8, c. 10, n. 18).

Quia vero damnati in malo perfecte obstinati sunt, ideo juxta communiorem sententiam omne eorum studium omnisque amor ad malum inclinat, ita ut nullum actum ponant qui hac prava voluntate non corrumpatur. Itaque hoc sensu semper peccant, quin tamen ita agentes novas in dies poenas mereantur. Ratio est, quia simul deest sufficiens libertas moralis ad demeritum requisita. Sunt quidem physice liberi, sed in ea nunc conditione versantur, in qua eorum voluntas malo indeclinabiliter adhaeret. Unde juxta *S. Thomam,* ''totum demeritum sequentis culpae videtur ad primam culpam pertinere'' (Suppl. q. 98, a. 6 ad 3), ob quam quidem jam ad infernum damnati sunt.

543. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Damnati non clare cognoscunt quid sit visio beatifica: *Ergo* poena damni non cruciantur.

Resp. Damnati non clare cognoscunt quid sit visio beatifica, id est, non habent eam claram cognitionem qua gaudent beati in caelo, *C.* Neque habent eam claram cognitionem qua vehementissime in illam visionem feruntur, *N.* Manet enim in damnatis omnis cognitio olim habita, sive naturalis fuit sive ex fide derivata; et cum simul omnia istius cognitionis obstacula ablata sint, evidenter vident se sola Dei visione posse esse beatos. Haec autem cognitio omnino sufficit, ut ex privatione visionis Dei summa in eis miseria oriatur.

2° Damnati Deum odio habent: *Ergo* amissione visionis beatificae non affliguntur.

Resp. Damnati Deum odio habent, quatenus propter poenas ab eo inflictas Deo nihil boni sed omne malum volunt, *C.* Quatenus non simul naturali quadam dilectione in Deum qua finem suum ultimum tendunt, *N.* Irresistibiliter quidem a Deo avertuntur, ut ab objecto

sibi in illo foedissimo peccati statu quam maxime disconveniente; nihilominus pondere suae naturae et propriae felicitatis desiderio impulsi, aeque irresistibiliter ad Deum trahuntur; inde sequitur ea animi dilaceratio, quae tanto gravior est omni corporis dilaniatione, quanto nobiliores sunt facultates animi sic intime vulneratae.

3° Ea habetur in Sacris Litteris inferni descriptio, quae ignem metaphorice accipiendum esse omnino suadet; nam apud Lucam (16, 22-31) dives ille, qui sepultus est in inferno, ab ipso Christo repraesentatur patiens sitim in flammis ignis, colloquens cum Abraha, videns Lazarum in sinu ejus, petens gratiam poenitentiae pro fratribus suis: *Atqui* cum ille dives tunc corpus non haberet, cumque ex supra dictis obstinatus esset in malo, haec litteraliter accipi nequeunt, et ideo neque ipse ignis litteraliter accipi potest: *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad probationem dico: Haec inferni descriptio parabolica narratione continetur; in explicatione autem hujusmodi narrationis "sedulo distinguere oportet, quid referendum sit ad ipsam doctrinam, quid pertineat solum ad modum hanc doctrinam ope narrationis exprimendi" (*Knabenbauer,* Comment. in Lucam, p. 476); jamvero ad doctrinam de inferno in hoc casu non pertinet nisi ipsum factum, quod dives ad aeternas inferorum poenas damnatus fuit, reliqua vero ad modum narrationis referri debent. Unde licet ex hoc textu probari nequeat damnatos materiali igne torqueri, neque tamen contrarium ex eo ullo modo ostendi potest.

4° SS. Patres per ignem intelligebant materialem substantiam, unum videlicet ex quatuor elementis quibus mundum materialem constare putabant: *Atqui* qui nescit quid sit ignis, de poena ignis judicare nequit: *Ergo* ex dictis SS. Patrum argumentari non licet.

Resp. Concedo majorem, et ad minorem dico: Qui nescit quid sit ignis, ex propria sua scientia de poena ignis judicare nequit, *Tr.* Ex scientia aliunde habita de poena ignis judicare nequit, *subd.* De intima natura istius poenae, *Tr.* De ipso facto istius poenae, *N.* SS. Patres, sicut et nos, ex Sacra Scriptura didicerunt damnatos poena ignis cruciari, et ad hoc factum certe cognoscendum opus non habebant ut vel intimam naturam ignis vel ejus in spiritus operationem cognoscerent. Transmissum est primum membrum distinctionis, quia sive quis putet ignem esse elementarem aliquam substantiam, sive existimet eum esse certam speciem motus molecularis, ad rem non pertinet; nam quid in genere sit poena ignis, uniuscujusque experientia satis constat.

5° Juxta Sacram Scripturam (Mt. 25, 41), ignis inferni paratus est diabolo et angelis ejus: *Atqui* diabolus et angeli ejus, utpote spiritus puri, igne corporeo cruciari nequeunt: *Ergo* ignis inferni non est corporeus.

Resp. Concedo majorem, et nego minorem. Nam licet nos plus minus lateat, quo modo ignis corporeus in puros spiritus agere possit, cum tamen ex supra dictis (nn. 537 sqq) terminus "ignis" in textu allegato litteraliter accipiendus sit, satis constat Deum nosse modum quo illos spiritus igne corporeo cruciet. Ceterum non contendimus ignem inferni esse prorsus eundem atque eum quo nos utimur, sed forte in multis diversum. Quare *Knabenbauer* ad illum textum notat: "Poena sensus igne declaratur, qui ignis utique alterius generis est ab hoc igne, quem habemus in terra. Proinde ad declaranda supplicia illa et tormenta, quibus reprobi cruciantur, sermo humanus non habet vocem aliquam magis congruam et significantem, neque inter conceptus humanos alius existit conceptus, quo melius instrumentum illud justitiae divinae nobis aliqua ratione declaretur et explicetur. Hoc statim ex eo colligitur, quod Christus ea voce utitur in sententia judiciali, qua fieri nequit, ut ignis solum metaphorice dicatur de angoribus ac cruciatibus conscientiae. Talis acceptio insuper excluditur, cum reprobi jubeantur in illum ignem ingredi, qui paratus est diabolo. Quibus verbis supplicia exprimuntur, quae a causa quadam externa cruciante infliguntur. Haec causa nomine ignis significatur, igne autem dolores infliguntur quam maxime acuti et ingentes. . . . Est itaque ignis, sed ignis sui generis" (Comment. in Matth. II, p. 384).

SECTIO II

De Novissimis Mundi

ARTICULUS I

De Resurrectione Mortuorum

THESIS XL.—Ad secundum Christi adventum omnes mortui resurgent; et quidem cum propriis corporibus quae nunc gestant.

Cf. S. Thomas, *Suppl.*, qq. 75 sqq.; *IV Sent.* d. 43; *Cont. Gent.* l. 4, cc. 79 sqq.; S. Bonaventura, *In IV Sent.* d. 43, a. 1, qq. 1-6; Scotus, *In IV Sent.* d. 43, qq. 1, 5; Suarez, *De Mysteriis Vitae Christi,* disp. 50; Bellarminus, *De Romano Pontifice,* l. 3; Palmieri, *De Novissimis,* 49 sqq.; Pesch, *Praelect.* IX, nn. 682 sqq.; Billot, *De Novissimis,* q. 6; Jungmann, *De Novissimis,* nn. 193 sqq.; Stentrup, *Soteriologia,* thes. 150; Muncunill, *De Novissimis,* nn. 1008 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 1357 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 388 sqq.; Pohle-Preuss, *Eschatology,* p. 2, c. 2; *Hist. Dogm.* II, 418 sqq.

544. STATUS QUAESTIONIS.—Resurrectio mortuorum et judicium universale vocantur *novissima mundi,* quia sunt ultima quae hominibus in hoc mundo contingent. Eis enim peractis, ipse hic mundus finem habebit, qui erit consummatio hujus saeculi (Mt. 13, 40); posthac vero "novos caelos et novam terram secundum promissa ipsius (Domini) exspectamus, in quibus justitia habitat" (II Petr. 3, 13). Postquam igitur investigata sunt novissima hominis, jam de novissimis mundi agendum est; et in hac quidem thesi ea investigabimus, quae ad *resurrectionem mortuorum* spectant.

545. TERMINORUM EXPOSITIO.—a) Primus Christi adventus erat in ejus nativitate, cum ingrediens mundum dixit: "Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio; in capite libri scriptum est de me ut faciam, Deus, voluntatem tuam" (Hebr. 10, 5, 6). Secundus autem Christi adventus erit in fine mundi, cum ipse venturus est judicare vivos et mortuos. Tunc erit "dies Domini" (I Cor. 3, 13), quando apparebit "Filius hominis in majestate sua" (Mt. 25, 31); quapropter ille adventus Christi παρουσία dici solet.

b) "De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli caelorum, nisi solus Pater" (Mt. 24, 36). Attamen quaedam signa illam diem praecedent, ex quibus simul sumptis statutum tempus quodammodo

determinari potest. Et imprimis "praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe" (Mt. 24, 14). Non omnium conversio promittitur, sed universalis evangelii praedicatio, quae sane inter omnes gentes efficaciam suam habebit. Deinde "novissima hora Antichristus venit" (I Joan. 2, 18), qui est "homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus" (II Thess. 2, 3. 4). Item ultimis temporibus magna erit Christianorum a fide defectio seu apostasia, quae partim Antichristi vias praeparabit, partim vero ad ejus adventum consequens erit (II Thess. 2; Mt. 24, 12). Ipsa tamen Ecclesia non exstinguetur, cum Antichristum ii soli secuturi sint, "quorum nomina non sunt scripta in libro vitae" (Apoc. 13, 8); propter electos vero "breviabuntur dies illi" (Mt. 24, 22). Regnabit Antichristus per tres annos et dimidium (Apoc. 11, 2; 13, 5), et in fine eum "Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui (II Thess. 2, 8). Illis diebus revertentur Elias et Henoch (Apoc. 11, 8 sqq), quorum opere Judaei ad Christum convertentur (Rom. 11, 25 sqq). Demum prodigiosa signa finem jam proxime instare mundo annuntiabunt: "Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur; et parebit signum Filii hominis in caelo" (Mt. 24, 29).

c) Ad hunc Christi adventum omnes mortui resurgent. Haec resurrectio erit *universalis*, ita ut resurgere habeant non modo omnes justi verum etiam omnes injusti. Resurrectio in subjecta materia intelligitur *iterata conjunctio animarum cum corporibus organizatis ad constituendum compositum humanum*. Hoc compositum idem erit atque illud quod in morte dissolutum erat; et hoc quidem non tantum quoad *animam*, sed etiam quoad *partem materialem*. In eorum igitur systemate, qui formam corporeitatis propugnant, iterum assumenda est *ea materia in ratione corporis completa*, quam anima sibi conjunctam habebat in hac vita mortali; in systemate vero eorum qui corpus humanum componi dicunt ex moleculis independenter ab anima in ratione substantiae completis, *ipsae moleculae* olim illud corpus constituentes denuo assumendae sunt; in systemate denique eorum qui cum *S. Thoma* docent animam uniri ipsi materiae primae et simul cum ea constituere corpus humanum in ratione substantiae completae, *eadem materia prima* resumenda est quae animae per vitam unita erat. Attamen non requiritur, immo nec possibile est, ut omnis prorsus materia iterum assumatur, quae aliquando in vita fuit pars compositi humani; sufficit enim ut tantum materiae denuo uniatur animae, quantum requiritur ad perfectum corpus humanum constituendum.

d) Theologi communiter docent unumquemque resurrecturum in *juvenili aetate*, qua in re sequuntur S. Augustinum, qui ait: "Restat

ut suam quisque recipiat mensuram, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus si antea est defunctus'' (De Civ. Dei, l. 22, c. 15). In iis igitur, qui infantia moriuntur, aliqua materiae pars supplenda est; neque tamen hoc supplementum obstat identitati corporis resurgentis, sicut etiam hujusmodi identitati non obstat quod corpori humano per vitam novae continuo partes adduntur. Itaque non *specificam* modo sed *numericam* quidem corporis identitatem defendimus, non tamen quoad singulas istius corporis partes.

e) Causa principalis resurrectionis est *ipse Deus* (Rom. 4, 17); attamen per potestatem excellentiae etiam *Christus* mortuos resuscitabit (Joan. 6, 28). Resurrectio *formaliter* sumpta, seu ipsa conjunctio animae et corporis, est *opus divinum* et immediate ab ipso Deo perficietur, sicut etiam in creatione corpus humanum immediate a Deo formatum est atque animae conjunctum; sed ea quae huic conjunctioni praecedere debent, puta collectio pulveris, committenda videntur ministerio angelorum (Mt. 24, 31, I Cor. 15, 32; Thess. 4, 15). Probabiliter mortui ibi resurgent, ubi eorum corpora inventa fuerint.

546. **ADVERSARII.**—Primam partem thesees, seu ipsum factum resurrectionis, olim inter Judaeos negaverunt *Sadducaei,* cum immortalitatem animae non admitterent (Mt. 22, 23). Hos nonnulli inter primos Christianos secuti sunt (I Cor. 15, 12), praesertim *Hymenaeus* et *Philetus* (II Tim. 16-18); postea *Gnostici* multi, *Manichaei* et *Priscillianistae, Waldenses* et *Albigenses* necnon *Sociniani.* Hodie resurrectionem communiter fere negant *Unitarii* et *Protestantes Liberales,* et omnes utique *Rationalistae.*

Alteram partem illi *Unitarii* et *Protestantes Liberales* impugnant, qui ipsum factum resurrectionis aliquo modo admittunt; contendunt enim corpus futurum esse specifice quidem idem atque illud quod nunc habemus, non vero etiam numerice (*Clarke,* Orthodoxy, c. 12; *Lyon,* A Study of the Sects, c. 43). Idem quoque quidam Catholici tueri videntur, ad quos aliquatenus accedit Cardinalis *Billot;* repetit enim identitatem compositi resurgentis totam quantam ex anima, quae eo ipso quod alicui materiae primae conjungatur, idem semper numero corpus sibi conjunctum habeat (Op. cit. q. 7, 3).

547. **NOTA.**—Prima pars *est de fide tenenda,* tum ex symbolis (cf. DB. 20, 40) tum ex definitionibus mox citandis.—Altera pars, quatenus statuit veram aliquam corporis resurgentis identitatem, etiam *de fide tenenda est;* nam *Conc. Lateran. IV* definitive declarat: ''Omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quae nunc gestant'' (Caput ''Firmiter''; DB. 429); item in professione fidei Michaelis Palaeologi habetur: ''Credimus etiam veram resurrectionem hujus carnis, quam nunc gestamus'' (DB. 464); item in symbolo fidei a

Leone IX Petro Antiocheno praescripto legitur: "Credo etiam veram resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gesto" (DB. 347; cf. 427, 531). Quatenus vero haec altera pars istam carnis identitatem non specificam tantum sed etiam numericam esse affirmat, proponit *sententiam certam* et *fere communem.*

I. Ad secundum Christi adventum omnes mortui resurgent.

548. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Ad secundum Christi adventum omnes mortuos resurrecturos esse, *tum ab ipso Christo tum ab Apostolis clare docetur:* **Ergo.**

a) Ipse Christus ait: "Venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala, in resurrectionem judicii" (Jo. 5, 28, 29). Et hanc resurrectionem ipse defendit contra Sadducaeos (Mt. 22, 23 sqq), dicens: "Erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei." Item docet Deum peccatorum corpus et animam perditurum esse in gehennam (Mt. 10, 28); de bonis autem ait: "Haec est voluntas ejus qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die" (Jo. 6, 39).

b) Eandem doctrinam proposuerunt Apostoli, et magna quidem constantia, ita ut dolerent Sadducaei, "quod docerent populum, et annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis" (Act. 4, 2). Item S. Paulus coram Felice praeside declarat se non accusari a Judaeis nisi "de una hac solummodo voce, qua clamavi: Quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie a vobis" (Act. 24, 21). Et cum inter Corinthios hac de re orta esset contentio, ad eos scripsit: "Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra" (I Cor. 15, 13, 14). Item praedicavit resurrectionem universalem (Act. 24, 15).

Immo jam in Vetere Testamento resurrectio mortuorum clare annuntiatur. Fidem suam ita testatur Job: "Scio enim, quod redemptor meus vivit et in novissimo die de terra resurrecturus sum et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse . . . et oculi mei conspecturi sunt et non alius; reposita est haec spes mea in sinu meo" (Job, 19, 25 sqq). Item secundus fratrum Machabaeorum regi respondit: "Tu quidem, scelestissime, in praesenti vita nos perdis, sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit" (II Mach. 7, 9). Hanc fidem etiam Judaei Christi aequales, solis Sadducaeis exceptis, profitebantur; unde Martha, cum Jesus ei diceret, "resurget frater tuus," continuo respondit: "Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die" (Jo. 11, 24).

549. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex traditione.—Resurrectionem mortuorum imprimis profitentur omnia *symbola;* ita v. g. in *Symbolo Athanasiano* dicitur: "Ad cujus (Christi) adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis" (DB. 40). Dein vero *SS. Patres* non solum data occasione hanc doctrinam quasi obiter tangunt, sed integros quoque tractatus de ea ediderunt. Ita *S. Athenagoras,* "De Resurrectione Mortuorum"; *Tertullianus,* "De Resurrectione Carnis"; *S. Gregorius Nyssenus,* "De Anima et Resurrectione," alii. Unde *S. Augustinus* ait: "Resurrecturam carnem omnium qui sunt hominum atque nascentur, et mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus" (Enchir. n. 84; ML. 40, 272).

550. **ARGUMENTUM TERTIUM**: ex ratione.—Hoc argumentum licet non stricte probet thesim, multum tamen nostram doctrinam suadet; constat autem hisce punctis: a) Anima humana est per suam ipsius essentiam forma corporis; ergo etiam in altera vita ordinata manet ad corpus informandum. b) Corpus suo modo particeps erat operum bonorum atque malorum; ergo pro sua capacitate etiam particeps esse debet aut mercedis aut supplicii. Huc accedunt rationes theologicae, nempe: a) Christus a mortuis resurrexit; ergo et nos, quos sibi membra acquisivit, a mortuis resurgamus oportet; b) ad fideles quod spectat, corpus est templum Spiritus Sancti (I Cor. 6, 19), charactere sacramentali signatum, susceptione corporis Christi consecratum; ergo convenit illud resuscitari in novissimo die.

II. Mortui resurgent cum propriis suis corporibus, quae nunc gestant.

551. **ARGUMENTUM PRIMUM**: ex Sacra Scriptura.—Juxta S. Paulum "*oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem*" (I Cor. 15, 53): **Ergo** propria nostra corpora, quae gestamus, resurgent.

Consequens satis constare videtur; nam cum Apostolus adhuc vivens de suo ipsius corpore loqueretur, illud utique tale intelligebat quale tunc erat, constans hac determinata materia animae substantialiter unita; et ideo naturali et obvio verborum sensu, non specificam tantum et formalem, sed etiam numericam et materialem corporis resurgentis identitatem significabat. Eodem sensu etiam intelligenda sunt verba Job: "Et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum meum" (Job, 19, 26).

552. **ARGUMENTUM ALTERUM**: ex traditione.—Haec traditio imprimis patet ex *symbolis* et *conciliis* supra (n. 547) allegatis; ibi enim resurrectio ejusdem carnis, quam nunc gestamus, emphatice docetur. Dein vero etiam *Patres* data occasione eandem doctrinam

explicite proponunt atque tuentur. Ita v. g. *ipse Origenes,* hac in re traditione ductus, declarat: "Ita etiam de natura corporis sentiendum est, quod non aliud corpus est quo nunc in ignobilitate et in corruptione et infirmitate utimur, et aliud erit illud quo in incorruptione et in virtute et in gloria utemur; sed hoc idem, abjectis his infirmitatibus in quibus nunc est, in gloriam immutabitur spiritale effectum, ut, quod fuit indignitatis vas, hoc ipsum expurgatum fiat vas honoris et beatitudinis habitaculum" (De Princ. l. 3, c. 6, n. 6; MG. 11, 338). *Tertullianus* ait: "Resurgere non est nisi ejus, quod cecidit" (Adv. Marcion. 5, 9; ML. 2, 492); et contrariam opinionem ita refellit: "Quam absurdum . . . aliam substantiam operari, aliam mercede dispungi, ut haec quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur, Marcionem pro Valentino resuscitari" (De Resurrect. Carnis, 56; ML. 2, 877).

Item cum Origenistae postea numericam corporis resurgentis identitatem negarent, Patres eos statim impietate arguebant. Ita *S. Epiphanius:* "Quod eos attinet qui se Christianos profitentur, sed Origenem sequuntur, et mortuorum quidem resurrectionem admittentes . . . dicentes autem eamdem carnem non excitari, sed aliam in ejus locum a Deo dari: nonne hanc ipsam opinionem ceteras omnes impietate superare dicemus?" (Adv. Haer. 87; MG. 43, 177). Et iis qui ex insita rei difficultate contra numericam identitatem arguebant, *S. Augustinus* respondit: "Absit autem, ut ad resuscitanda corpora vitaeque reddenda non possit omnipotentia Creatoris omnia revocare, quae vel bestiae, vel ignis absumpsit, vel in pulverem cineremve collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum" (De Civ. Dei, l. 22, c. 20, n. 1; ML. 41, 782).

553. **ARGUMENTUM TERTIUM: ex ratione.**—Hoc argumentum ex ipsa notione resurrectionis petitur; quia resurgere id solum dici potest, quod morte cecidit. Qua de re *S. Thomas* ait: "Non enim resurrectio dici potest, nisi anima ad idem corpus redeat, quia resurrectio est iterata surrectio. Ejusdem autem est surgere et cadere. Unde resurrectio magis respicit corpus, quod post mortem cadit, quam animam, quae post mortem vivit. Et ita si non est idem corpus quod anima resumit, nec dicetur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio" (Suppl. q. 79, a. 1). Et hanc conclusionem omnes fere theologi, *Durando* (In IV, d. 44, q. 1) paucisque aliis exceptis, suam faciunt.

554. **Scholion I: Quod Chiliasmus omnino rejiciendus sit.**

Chiliastae seu *Millenarii* illi dicuntur, qui statuunt *duplicem* resurrectionem mortuorum. *Prima* erit justorum, qui statim post victum Antichristum resurgent; *secunda* erit reproborum, qui non resurgent

nisi immediate ante ultimum judicium. Inter duas illas resurrectiones interveniet regnum Christi millenarium, quando Christus cum angelis suis et sanctis per mille annos summa felicitate in terra regnabit. Juxta alios tamen Chiliastas omnes homines resurgent simul, et mox post resurrectionem judicium universale instituetur; hoc autem judicio peracto, reprobi projicientur in infernum, dum justi per mille annos summa felicitate fruentur cum Christo in terra, et post hoc temporis intervallum tandem admittentur ad beatificam Dei visionem in caelo.

Distingui debet Chiliasmus *crassus* et *moderatus:* ille felicitatem regni millenarii potissimum in voluptatibus sensualibus reponit; hic vero in gaudiis omnino honestis, quae partim ex materialibus et partim ex spiritualibus bonis derivantur. Crassum Chiliasmum primo docuisse videtur *Cerinthus,* de quo *Eusebius* scribit: "Haec fuit illius opinio, regnum Christi terrenum futurum. Et quarum rerum cupiditate ipse flagrabat, utpote voluptatibus corporis obnoxius carnique addictus, in iis regnum Dei situm fore somniavit" (Hist. Eccl. l. 3, c. 28; MG. 20, 275). Cerinthum secuti sunt *Ebionitae, Marcionitae, Apollinaristae,* et nostris temporibus *Irvingiani* et *Mormones.* Moderatum Chiliasmum docuerunt *Papias, Justinus, Irenaeus, Tertullianus, Lactantius, Nepos,* et alii quidam minoris nominis, ad quos inter recentiores fere accedunt *Anabaptistae, Pietistae,* aliique non pauci ex diversis Protestantium sectis.

Chiliasmus est inventum Judaicum potius quam Christianum, et ortum habuit ex falsa quorumdam vaticiniorum interpretatione, quae in causa fuit ut Judaei exspectarent regnum messianicum mundanum, in quo ipsi sub Messia rege totius orbis dominatores futuri essent. Quae enim in illis vaticiniis leguntur de summa fertilitate (Joel, 3, 17 sqq), de pace (Is. 11, 6 sqq), de gloria filiorum Dei (Is. 66, 18 sqq), de sancta civitate a Deo reaedificanda, ad quam deinceps omnes gentes cum suis thesauris confluent (Is. 2, 2 sqq; 60, 1 sqq), ad litteram et sensu mere materiali de futuro regno messianico interpretabantur. Hanc Judaeorum interpretationem, plus minus modificatam, suam fecerunt quidam Christiani superius allegati, qui insuper argumenta petierunt ex verbis S. Joannis. Nam in Apocalypsi (20, 2 sqq) legitur draconem per mille annos vinctum iri, Christum cum suis mille annos esse regnaturum, intra quod temporis spatium ceteri mortui non vivent, et haec dicitur "resurrectio prima."

Crassus ille Chiliasmus est plane haereticus; moderatus vero, licet haereticus non sit, ab omnibus tamen rejicitur, utpote omni solido fundamento carens. Ex una enim parte textus qui allegari solent, vel alium sensum habent vel adeo obscuri sunt ut inde nihil probari possit; ex altera vero parte Sacra Scriptura satis clare docet judicium universale statim post secundum Christi adventum futurum esse, et mox

post judicium beatos caelum ingressuros (Mt. 25, 31 sqq); pro regno igitur millenario nullus manet locus. Unde fere omnes Patres et omnes theologi etiam moderatum Chiliasmum semper strenue impugnarunt. Totam hanc quaestionem praeclare tractatam vide sis apud *Franzelin* (De Traditione, thes. 17).

555. Scholion II: De dotibus supernaturalibus corporis glorificati.

Juxta omnes theologos corpora beatorum, praeter perfectionem naturalem, habebunt *quatuor dotes supernaturales*, quae respective vocantur *impassibilitas, claritas, agilitas, subtilitas*. Haec doctrina clare traditur a S. Paulo, qui ait: "Seminatur in corruptione, surget in incorruptione (impassibilitas); seminatur in ignobilitate, surget in gloria (claritas); seminatur in infirmitate, surget in virtute (agilitas); seminatur corpus animale, surget corpus spiritale (subtilitas)" (I Cor. 15, 42-44).

Impassibilitas in eo consistit, quod corpus glorificatum est immortale nec ullum amplius incommodum experiri potest. Nam "oportet mortale hoc induere immortalitatem" (I Cor. 15, 53), "et mors ultra non erit neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, quia prima abierunt" (Apoc. 21, 4). Undenam haec impassibilitas proxime derivetur, theologi non omnino inter se conveniunt. *S. Thomas* eam repetit ex perfecto dominio animae in corpus, quo omne agens contrarium excluditur; "et ideo in corpore glorioso non poterit esse aliqua mutatio contra dispositionem illam qua perficitur ab anima" (Suppl. q. 82, a. 1). *Suarez* vero et alii insuper postulant specialem qualitatem ipsi corpori infusam (De Myst. Vitae Christi, disp. 48, sect. 3, n. 13). Sunt etiam qui ad specialem Dei providentiam confugiant, vel aliquam materiam caelestem in corpore glorioso adesse putent (cf. *Stentrup*, Soteriol. thes. 61).

Claritas est quidam luminis splendor; nam "tunc fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum" (Mt. 13, 43). Exemplum hujus claritatis habetur in transfiguratione Christi; quia ipse "reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae" (Phil. 3, 21). Non tamen in omnibus aequalis erit; "stella enim a stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum" (I Cor. 15, 42). Juxta *S. Thomam* "claritas illa causabitur ex redundantia gloriae animae in corpus; quod enim recipitur in aliquo, non recipitur per modum influentis, sed per modum recipientis; et ita claritas, quae est in anima ut spiritualis, recipitur in corpore ut corporalis, et ideo secundum quod anima erit majoris claritatis secundum majus meritum, ita etiam erit differentia claritatis in corpore, et ita in corpore glorioso cognoscetur gloria animae, sicut in vitro cognoscitur color corporis, quod continetur in vase vitreo" (Suppl. q. 85, a. 1). Hanc tamen redundantiam

Suarezius docet non esse nisi moralem, quatenus ipse Deus propter meritum animae illam claritatem in corpore producat (Op. cit. disp. 48, sect. 2, n. 14).

Agilitas in facilitate motus localis consistit, quae talis est ut corpus expedite et sine ullo impedimento e loco in locum transire possit. Haec qualitas censetur esse tum passiva tum activa: passiva quidem, quatenus corpus perfecte subest animae ut motori; activa vero, quatenus corpus in se augmento mobilitatis donatum est. Num vero corpus gloriosum vi suae agilitatis instantanee moveri possit, ita ut non debeat transire per spatia intermedia, inter theologos disputatur; *S. Thomas* id negat (Suppl. q. 84, a. 3), *Suarezius* vero ut probabile affirmat (Op. cit. disp. 48, sect. 4, n. 13).

Subtilitas est corporis quaedam spiritualitas, quae negative consistit in cessatione operationum animalium, ut sunt nutritio et generatio; positive vero in eo sita est, quod corpus gloriosum sine ullo impedimento serviet spiritualibus animae operationibus (*S. Thomas,* Suppl. q. 83, a. 1). Ipsa igitur corporis substantia in se non mutatur, cum corpus in spiritum transire nequeat; sed evehitur ad modum existendi atque operandi, qui naturaliter non convenit nisi enti spirituali. Ad quaestionem, num corpus gloriosum vi suae subtilitatis possit esse in eodem loco cum alio corpore. *S. Thomas* negative respondet (Suppl. q. 48, a. 2); *Suarezius* vero affirmative (Op. cit. disp. 48, sect. 5, n. 16).

556. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° In Vetere Testamento saepius negatur resurrectio mortuorum; nam "homo, cum dormierit, non resurget (Job. 14, 12), et "unus interitus est hominis et jumentorum, et aequa utriusque conditio" (Eccl. 3, 19): *Atqui* Scriptura Scripturae contradicere nequit: *Ergo* neque ex Novo Testamento resurrectio mortuorum probari potest.

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: Job solum dicit hominem semel mortuum non resurgere ad vitam temporalem; quare in alio textu clare affirmat: "Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum" (Job. 19, 25). Textus vero ex Ecclesiaste allegatus jam superius (n. 146 5°) explicatus est.

2° Psalmista ait: "Non resurgent impii in judicio" (Ps. 1, 5): *Ergo* non omnes mortui resurgent.

Resp. Psalmista ait: "Non resurgent impii in judicio," id est, impios in divino judicio non posse subsistere sed excludi a felice sorte justorum, *C.* Id est, impios non resurgere a mortuis eosque non adduci in judicium, *N.* Distinctio data ex contextu constat.

3° Mortuos cum propriis suis corporibus resurgere, plane impossibile videtur; nam corpus humanum totaliter renovari dicendum

est, non modo quolibet septennio ut olim docebatur, sed etiam quolibet saltem anno; et ideo non omnes partes materiae semper manent, sed adest perpetuus materiae fluxus, ita ut unum aliquod determinatum corpus individui hominis non habeatur: *Ergo.*

Resp. Nego assertum, et ad rationem additam dico: Probabiliter adest quidem ille perpetuus materiae fluxus, ita tamen ut identitas individui corporis non destruatur; eo enim quod idem organismus anima informatus semper maneat, idem etiam semper manet hominis corpus. Hoc quidem corpus in suis partibus continenter deteritur et reparatur; hoc tamen non obstat quominus identicum illud corpus semper maneat. Dummodo igitur materia quae aliquando hoc corpus constituebat, etsi non tota quanta, resumatur, mortuus eo ipso cum proprio suo corpore resurgere dicendus est.

4° *Atqui* non semper eadem haec materia iterum assumi potest; nam sunt anthropophagi qui carnibus humanis vescuntur, et ideo eadem materia in pluribus hominibus successive fuit, neque ad hunc magis quam ad illum pertinet; cui igitur restituetur? Et haec difficultas propter aliam rationem ad omnes ferme homines spectat; nam cadavera terrae mandata mox in sua componentia resolvuntur, his nutriuntur vegetalia, quibus animalia aluntur; animalibus autem et vegetalibus vescuntur homines, quapropter hac quoque via eadem materia in pluribus successive invenitur: *Ergo.*

Resp. Nego minorem subsumptam, et ad rationem additam dico: Haec et alia quaedam similia, quae a Rationalistis objici solent, ad unum tantum inserviunt, nempe ad fucum faciendum. Quisnam enim sanus, hanc rem vel obiter considerans, non statim videt nullum unquam hominem solis carnibus humanis vesci aut solis vegetalibus componentia humani corporis continentibus nutriri? Uniuscujusque hominis corpus pro maxima saltem parte iis elementis chimicis constat, quae in aliis hominibus nunquam fuerunt; ex illis igitur elementis ejus corpus in novissimo die commode constitui poterit. Ceterum haec difficultas, quam scientiae naturalis indagatores tanti nunc faciunt, pervetusta est; eam jam solvit *S. Augustinus* (De Civ. Dei, l. 22, cc. 12 sqq), et post illum *S. Thomas* (Cont. Gent. l. 4, cc. 80, 81), necnon deinceps omnes ferme theologi usque ad praesens tempus.

5° Ad veritatem resurrectionis sufficit identitas animae, etsi materia sit numero diversa: *Ergo* mortui non resurgent cum propriis corporibus materialiter sumptis.

Resp. Ad veritatem resurrectionis per se sufficit identitas animae, etsi materia sit numero diversa, *Tr.* Etiam cum respectu ad modum loquendi ecclesiasticum, necnon ratione habita communis theologorum doctrinae, *N.* Nam quomodo in ista hypothesi potest quis vere dicere:

"Credo veram resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gesto"? Vel: "Corde credimus et ore confitemur hujus carnis, quam gestamus, et non alterius, resurrectionem"? Et quomodo id resurgeret, quod ceciderat, prout tum Patres tum theologi communiter loquuntur? Num ad hoc vere dicendum sufficit materiam assumendam specifice esse eandem, eandem quoque esse corporis figuram, eadem oris lineamenta? Non videtur.

ARTICULUS II

De Ultimo Judicio

THESIS XLI.—Post resurrectionem mortuorum instituetur judicium universale, in quo omnes homines de factis propriis rationem reddent.

Cf. S. Thomas, *Suppl.* qq. 88-90; *Cont. Gent.* l. 4, c. 96; S. Bonaventura, *In IV Sent.* d. 47, a. 1, qq. 1-3; d. 48, a. 1, qq. 1-4; Scotus, *In IV Sent.* d. 47, q. 1; Suarez, *De Mysteriis Vitae Christi,* disp. 53, 54; Stentrup, *Soteriologia,* thes. 147, 148; Palmieri, *De Novissimis,* 53, 54; Jungmann, *De Novissimis,* nn. 243 sqq.; Pesch, *Praelect.* IX, nn. 718 sqq.; Muncunill, *De Novissimis,* nn. 1080 sqq.; Mazzella, *De Deo Creante,* nn. 1403 sqq.; Lahousse, *De Deo Creante,* nn. 401 sqq.; Pohle-Preuss, *Eschatology,* p. 2, c. 3; *Hist. Dogm.* I, 458; II, 422 sqq.

557. **STATUS QUAESTIONIS.**—Jam probatum est animam statim post hominis mortem judicari, quo judicio ejus aeterna sors determinatur; illud tamen judicium privatum est, cujus sententia soli animae innotescit. At congruum est ut homo a mortuis resuscitatus publice coram judice sistatur, non quidem ad *ejus causam denuo decidendam,* sed potius ad *vias divinae providentiae manifestandas.* Hoc igitur judicium, in quo omnium hominum sententia publice dicetur, in fine mundi locum habebit; quare judicium *ultimum* et *universale* vocatur. De hoc judicio procedit nostra thesis.

558. **TERMINORUM EXPOSITIO.**—a) Praeparatio ad ultimum judicium in ipsa Sacra Scriptura indicatur. Post magnas illas tribulationes quae finem mundi proxime praecedent, "parebit signum Filii hominis in caelo; et tunc plangent omnes tribus terrae, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et majestate. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum" (Mt. 24, 29-31). "Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae; et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hoedis; et statuet oves

quidem a dextris suis, hoedos autem a sinistris'' (Mt. 25, 31-33). Signum Filii hominis, quod parebit in caelo, communiter intelligitur *signum crucis,* vel etiam *ipsa illa crux* in qua Christus passus est (cf. *Suarez,* De Mysteriis Vitae Christi, disp. 57, sect. 2).

b) Congregabuntur ante Christum *omnes gentes.* Hic terminus satis communiter eo sensu accipitur, quod omnes et singuli homines coram judice sistentur. Imprimis inter judicandos illi omnes certe numerandi sunt, qui ad usum rationis pervenerint, tum boni tum mali. Deinde infantes baptizati et ante usum rationis mortui etiam aderunt, non quidem ut judicentur sed ut gloriam judicis videant (cf. *S. Thomas,* Suppl. q. 89, a. 5 ad 3); de iis vero qui sine baptismo mortui sunt, inter theologos disputatur. Secundum *Suarezium* et illi comparebunt, ut ex judicio intelligant oeconomiam salutis et justitiam Dei (disp. 57, sect. 5). Angelos quoque in ultimo judicio judicandos esse, probabilior fert theologorum sententia (*Suarez,* disp. 57, sect. 8); *S. Thomas* tamen putat eos indirecte tantum esse judicandos, ''in quantum actibus humanis fuerunt commixti'' (Suppl. q. 89, a. 7). Ipsa Scriptura docet angelos praevaricatores in judicium reservari (II Petr. 2, 4), quae quidem verba aegre de solo indirecto judicio intelliguntur.

c) Judicium agetur de *omnibus judicandorum operibus,* tam bonis quam malis; nam ''cuncta quae fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit'' (Eccl. 12, 14), et ''omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii'' (Mt. 12, 36). Neque solum opera externa, sed etiam internae cogitationes et volitiones omnibus patebunt: ''Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium'' (I Cor. 4, 5). Nec ab hac manifestatione excipiuntur peccata sanctorum per poenitentiam jam dudum plene expiata; ita docent theologi communiter, et contrariam Magistri opinionem omnino rejiciunt. Et re quidem vera nisi haec omnia manifestentur, ratio divinae bonitatis, misericordiae, justitiae intelligi nequit. Neque vero sancti ideo rubore suffundentur; nam ut bene notat *Suarezius,* ''quis enim dubitet, cognoscere Petrum vel Magdalenam quotidie in Ecclesia sua peccata publice praedicari, de quo non solum pudore et dolore non afficiuntur, sed etiam vehementer gaudent, quia in majorem Dei gloriam cedit'' (disp. 57, sect. 7).

d) Juxta Scripturam (Mt. 25, 34 sqq) judicium illud erit tum discussionis tum retributionis; attamen probabilius aestimatur processum ibi indicatum futurum esse mentalem potius quam verbalem. ''Si enim vocaliter singulorum facta narrarentur, inaestimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur'' (*S. Thomas,* Suppl. q. 88, a. 2). Nihilominus *Suarezio* aliisque haud paucis contrarium probabilius videtur; ''quia cum illud judicium futurum sit sensibile et inter homines qui

se mutuo sensibiliter conspiciunt, videtur etiam conveniens ut aliqua ratione fiat locutione sensibili, qui modus est hominibus maxime accommodatus et ad majorem bonorum honorem, iniquorum vero confusionem pertinens'' (disp. 57, sect. 9). Revera ad sententiam judicis quod spectat, nihil impedit quominus exterius sonet atque aures cunctorum percellat; quoad reliqua vero res ex utraque parte incerta est.

e) In Apocalypsi S. Joannis (20, 12) commemorantur *duo libri,* liber *vitae* et liber *conscientiae,* qui in ultimo judicio aperientur. Liber vitae est, in quo nomina electorum eorumque opera continentur; hic liber est *memoria divina,* in qua ista omnia singulari modo descripta sunt. Aperietur autem eo ipso, quod electi gloriose resurgent, et Christo obviam in aere rapti ejus tribunali gloriose adstabunt. Liber vero conscientiae pro multitudine judicandorum multiplex est, quippe qui idem est atque *uniuscujusque conscientia.* Aperietur autem hic liber, quatenus factorum omnium suorum plenam actualemque notitiam unusquisque accipiet, non vocis externae significatione, sed interna manifestatione divina. Hac de re *S. Augustinus* ait: ''Quaedam vis est intelligenda divina, qua fiet ut cuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul omnes et singuli judicentur'' (De Civ. Dei, l. 20, c. 14). Simili quoque modo ''unumquemque Deus etiam illuminabit ad quorumvis aliorum opera cognoscenda et aestimanda, quae perinde illi objicientur ac si ipse ea perpetrari vidisset, eaque haberet in recenti memoria'' (*Jungmann,* op. cit. n. 257).

f) Quaeri solet quonam loco illud ultimum judicium peragendum sit, et satis communiter assignatur *vallis Josaphat,* quae est Hierosolymam inter et montem Olivarum. Hunc quidem locum assignant propter verba Joelis (3, 2); ''Congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem Josaphat et disceptabo cum eis ibi super populo meo et hereditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus.'' At ex contextu liquet prophetam non loqui de ultimo judicio, sed de illo quo Deus judicaturus et puniturus erat gentes populum suum opprimentes. Ex ipsa tamen rei natura valde probabile videtur, Christum ibi omnes gentes judicaturum fore, ubi pro eis passus est, et unde ipse in caelum ascendit (cf. *S. Thomas,* Suppl. q. 88, a. 4).

g) Judicium autem illud instituet *ipse Christus,* qui in natura sua humana munere judicis fungetur. ''Licet, inquit *Suarezius,* illud judicium etiam sit a Patre et Spiritu Sancto, ut a prima et principali causa, habente primariam auctoritatem judicandi, cujus vices gerit Christus ut homo, tamen non erit a Patre ut a persona immediate ferente judicium; hoc autem modo judicabit Filius, tamquam propria persona, in qua subsistit illa humanitas per quam judicium fit'' (In

III, q. 50, a. 1). Veniet Christus ad judicandum in corpore suo glorioso; et hanc Christi gloriam etiam reprobos visuros esse, Patres et theologi consentiunt. Ille tamen gloriosi corporis aspectus reprobis non gaudium afferet, sed potius timorem et desperationem; qua de re *S. Thomas* ait: "Sicut amici gloria est delectabilis, ita gloria et potestas ejus qui odio habetur maxime contristat, et ideo sicut visio gloriae humanitatis Christi erit justis in praemium, ita inimicis erit in supplicium" (Suppl. q. 90, a. 2).

h) Simul cum Christo etiam judicaturi sunt *quidam sancti,* ut patet ex his Christi verbis ad Apostolos: "Amen, dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel" (Mt. 19, 28; cf. Lc. 22, 30); et S. Paulus scribit: "Nescitis, quoniam sancti de hoc saeculo judicabunt? . . . Nescitis, quoniam angelos judicabimus?" (I Cor. 6, 2, 3). *S. Thomas* cum multis aliis putat illa Christi verba non solum de Apostolis intelligenda esse, verum etiam de iis omnibus "qui relinquentes omnia sequuntur Christum secundum perfectionem vitae" (Suppl. q. 89, a. 2). In quo vero consistat haec judiciaria potestas, non una est theologorum sententia. Nonnulli eam in *mera judicialis sententiae approbatione* reponunt; alii vero in *honoraria quadam cum Christo judice consessione;* alii denique insuper in *aliqua actionis judiciariae participatione.* Hanc participationem tuetur *S. Thomas,* qui ait: "Alio modo judicare (non ex propria auctoritate) est sententiam alterius auctoritate latam in aliorum notitiam ducere, quod est sententiam latam pronuntiare. Et hoc modo perfecti viri judicabunt, quia alios ducent in cognitionem divinae justitiae, ut sciant quid juste pro meritis eis debeatur; ut sic ipsa revelatio justitiae dicatur judicium" (Suppl. q. 89, a. 1).

559. **ADVERSARII.**—Huic thesi olim adversabantur *Sadducaei,* plerique *Gnostici* et *Manichaei;* medio aevo, *Cathari* seu *Albigenses;* ex recentioribus praesertim *Rationalistae,* qui nostram doctrinam rationi adversari docent.

560. **NOTA.**—Thesis *de fide tenenda est,* tum ex symbolis tum ex conciliorum definitionibus. Ita in *Symbolo Athanasiano* dicitur: Christus "venturus est judicare vivos et mortuos; ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem: et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum.—Haec est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit" (DB. 40). Et in *Conc. Lateran. IV* definitur: Christus est "venturus in fine saeculi, judicaturus vivos et mortuos, et reddituras

singulis secundum opera sua, tam reprobis quam electis'' (Caput ''Firmiter''; DB. 429).

561. **ARGUMENTUM PRIMUM: ex Sacra Scriptura.**—Sacra Scriptura non modo *explicite docet futurum esse universale judicium, verum etiam illud graphice describit.* Ita apud Matthaeum describitur *judicis adventus, malorum bonorumque ab invicem segregatio, causae inquisitio, sollemnis sententiae prolatio, ejusque proxime sequens executio* (Mt. 25, 31 sqq). Et hanc doctrinam Apostoli ubique praedicarunt, utpote ab omnibus credendam. Ita S. Paulus, qui scribit: ''Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum'' (II Cor. 5, 10; cf. Apoc. 20, 12). Huc etiam spectant textus supra (n. 558) jam allegati. **Ergo** ex Sacra Scriptura nostra thesis invicte probatur.

562. **ARGUMENTUM ALTERUM: ex traditione.**—Haec traditio colligitur tum ex *symbolis* tum ex *scriptis SS. Patrum.* In omnibus enim symbolis nos credere confitemur in Dominum nostrum Jesum Christum, ''qui venturus est judicare vivos et mortuos''; in scriptis vero SS. Patrum multos habemus commentarios in textus Sacrae Scripturae supra citatos, quos ipsi secundum hanc traditionem interpretantur. Unde *S. Augustinus* ait: ''Nullus vel negat vel dubitat per Jesum Christum tale, quale istis Sacris Litteris praenuntiatur, futurum esse novissimum judicium, nisi qui eisdem litteris nescio qua incredibili animositate seu caecitate non credit'' (De Civ. Dei, l. 20, c. 30, n. 5). Nec huic traditioni obstat quod quidam Patres docent neque justos in bonis operibus consummatos, neque infideles et peccatores omnino flagitiosos, judicandos esse; nam illi prae mente habent judicium discussionis, non vero etiam judicium retributionis (cf. *Suarez,* disp. 57, sect. 5).

563. **ARGUMENTUM TERTIUM: ex ratione.**—Congruum est ut in fine mundi instituatur universale judicium, ''a) ex parte Dei, ut viae bonitatis, sapientiae, justitiae divinae, quae in hac vita nos saepe latent, omnibus hominibus ob oculos ponantur et ab eis agnoscantur; b) ex parte Christi, ut ipse coram universo mundo exaltetur, et sicut pro omnibus exinanitus est, ita omnium obsequium accipiat et de hostibus suis publicum triumphum agat; c) ex parte hominum, ut omnium bona et mala opera, quae saepe hominibus in hac vita abscondita manserunt, manifestentur, et justa Dei retributio omnibus appareat'' (*Pesch,* op. cit. n. 719).

564. **Scholion: De innovatione mundi.**

In novissimo die praesens rerum corporearum status finem habebit, et omnia hominum opera destruentur; ipse tamen mundus non anni-

hilabitur, sed ex integro renovatus in aeternum existet. Haec ex ipsa Sacra Scriptura colliguntur. Hoc sensu scribit S. Petrus: "Adveniet autem dies Domini ut fur; in quo caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur. Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, expectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem caeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? Novos vero caelos et novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat" (II Petr. 3, 10-14).

Item S. Joannes: "Vidi caelum novum, inquit, et terram novam; primum enim caelum et prima terra abiit, et mare jam non est. Et ego Joannes vidi sanctam civitatem, Jerusalem novam, descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia" (Apoc. 21, 1-5). Idem innuit S. Paulus cum ait: "Expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc" (Rom. 8, 19-22). Creatura vanitati subjecta hic intelligitur ipse mundus, ob hominis peccatum defectioni et corruptioni obnoxius, qui in fine saeculorum et ipse aliqua ratione gloriae filiorum Dei particeps fiet.

Ex hisce locis arguunt SS. Patres et consonanter docent rerum substantias non esse annihilandas, sed renovandas atque clarificandas. Ita v. g. *S. Augustinus,* qui scribit: "Peracto judicio, esse desinet hoc caelum et haec terra, quando incipiet esse caelum novum et terra nova. Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu, transibit hic mundus. Unde et Apostolus ait: 'Praeterit enim figura hujus mundi.' Figura ergo praeterit, non natura. . . . Judicatis his qui non sunt in libro vitae, et in aeternum ignem missis, tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione praeteribit, sicut factum est mundanarum inundatione diluvium. Illa itaque, ut dixi, conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quae corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quae corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant, ut scilicet mundus in melius innovatus apte accommodetur hominibus, etiam in melius innovatis" (De Civ. Dei, l. 20, cc. 14, 16).

Eandem doctrinam proponunt Scholastici, eamque rationibus congruentiae illustrant. *S. Thomas* ita argumentatur: "Omnia corporalia propter hominem facta esse creduntur, unde omnia ei dicuntur esse subjecta. Serviunt autem homini dupliciter: uno modo ad sustenta-

tionem corporalis vitae, alio modo ad profectum cognitionis divinae, in quantum homo per ea quae facta sunt invisibilia Dei conspicit. Primo ergo ministerio creaturarum homo glorificatus nullo modo indigebit, cum ejus corpus sit futurum omnino incorruptibile, divina virtute id faciente per animam quam immediate glorificat. Secundo etiam ministerio non indigebit homo, quantum ad cognitionem intellectivam, quia tali cognitione Deum sancti videbunt immediate per essentiam. Sed ad hanc visionem essentiae oculus carnis attingere non poterit; et ideo, ut ei etiam solatium congruens de visione divinitatis praebeatur, inspiciet divinitatem in suis effectibus corporalibus, in quibus manifesta indicia divinae majestatis apparebunt, et praecipue in carne Christi, et post hoc in corporibus beatorum, et deinceps in omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit, ut etiam illa corpora majorem influentiam a divina bonitate suscipiant quam nunc, non tamen speciem variantem, sed addentem cujusdam gloriae perfectionem; et haec erit mundi innovatio. Unde simul mundus innovabitur, et homo glorificabitur'' (Suppl. q. 91, a. 1).

565. SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

1° Ut ex antea probatis habetur, omnes homines mox post mortem judicantur, eorumque aeterna sors immutabili sententia determinatur: *Ergo* ulteriori judicio non est locus.

Resp. Omnes homines qua individui et privatim mox post mortem judicantur, *C.* Etiam qua membra societatis et publice mox post mortem judicantur, ita ut ipsa hominum societas jam dici possit judicata, *N.* Unde judicium in fine mundi non tam novum erit judicium quam potius judicii jam peracti universalis et juridica manifestatio; sententia enim antea lata non mutabitur, sed accidentaliter complebitur, et sic completa publice annuntiabitur.

2° Ipse Christus ait: Qui credit in Filium Dei, ''non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est'' (Jo. 3, 18): *Ergo* neque fideles neque infideles in fine mundi judicabuntur.

Resp. Sensus verborum Christi est: Qui credit in Filium Dei, non judicatur judicio condemnationis; qui autem non credit, nullam amplius spem habet judicii beatificationis, ideoque hoc sensu jam judicatus est, *C.* Sensus est: Deus neque fidelibus neque infidelibus retribuet secundum merita eorum, vel haec retributio non manifestabitur in fine mundi, *N.* Itaque textus in objectione idem valet quod ille alius: ''Qui crediderit, et baptizatus est, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur'' (Mc. 16, 16).

3° Plurimi Patres docent illos in fine mundi solos judicandos esse, quorum causa jam non est per se evidens; ita v. g. *Aphraates,*

qui ait: "Sicut enim justi in bonis operibus consummati ad judicium non convenient judicandi, ita neque impii quorum multiplicata sunt peccata et supereffluens mensura debitorum ad judicium procedere compellentur; verum ut surrexerint, revertentur in infernum" (Demonstr. 22, n. 17). Ita etiam *S. Ephraem* (Interpret. in Gen. 9), et *S. Ambrosius* (in Ps. 1, 51, 54, 56): *Ergo.*

Resp. Plurimi Patres docent illos solos judicandos esse judicio discussionis, quorum causa jam non est per se evidens, *C.* Illos solos judicandos esse judicio retributionis, quorum causa jam non est per se evidens, *N.* Unde ipse Aphraates paulo superius clare dicit: "Universi filii Adam ad judicium congregabuntur, et unusquisque perget ad locum sibi paratum" (Ibid. n. 15).

4° Juxta communem theologorum sententiam, quae Scriptura nititur, Apostoli et alii quidam sancti simul cum Christo judicabunt: *Atqui* judices non judicantur: *Ergo* saltem non omnes judicandi sunt.

Resp. Juxta communem theologorum sententiam, Apostoli et alii quidam sancti simul cum Christo judicabunt, per honorariam consessionem et annuntiando sententiam a Christo latam, *C.* Per auctoritativam sententiae prolationem, *N.* Quare S. Paulus de se ipso ait: "Qui judicat me, Dominus est" (I Cor. 4, 4), et: "Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum (II. Cor. 5, 10).

5° Amicus non prodit peccata amici jam condonata: *Atqui* Christus beatorum amicus est, eorumque peccata jam condonavit: *Ergo* beatorum peccata non manifestabit.

Resp. Amicus non prodit peccata amici jam condonata, nisi id aliqua ratione requiratur et simul etiam in amici gloriam cedat, *C.* Si tamen utrumque verificetur, ut in casu, *N.* Viae enim Domini debent plene manifestari, et simul etiam cum illis peccatis beatorum poenitentia manifestabitur (cf. supra. n. 558 c).

APPENDIX

De Phaenomenis Quibusdam Miris, Praesertim Spiritismi

Haec phaenomena, quae ideo potissimum mira dicuntur quia eorum causae nos latent, revocari possunt ad *Magiam, Magnetismum, Hypnotismum, Spiritismum.* Quid de singulis sive certo sive saltem probabiliter censendum sit, praemissa generali quadam eorum expositione, hic breviter dicemus, quatenus utique haec res ad Theologiam Dogmaticam pertinere videtur.

566. *Magia in genere est facultas producendi miros et insolitos effectus, qui apparenter saltem hominum vires transcendunt.* Dividi solet in *naturalem* seu *albam* et *diabolicam* seu *nigram.* Magia *naturalis* ea est, qua effectus miri et insoliti producuntur sive per occultas naturae vires sive per vires sat notas sed dexteritatis ope. Neque tamen illae occultae naturae vires simpliciter occultae sunt, cum saltem ipsi mago notae esse debeant; sed sunt occultae secundum quid, quatenus nempe homines communiter latent. Magia *diabolica* ea dicitur, quae ad miros et insolitos effectus producendos utitur interventu diaboli, quippe qui in natura sensibili multa efficere potest, quae superant vires mere humanas. De hac sola nunc quaerimus.

567. Magiam diabolicam possibilem esse, ubi *solum factum* diabolici interventus consideratur, dubitari nequit; sicut enim possibiles sunt variae diaboli infestationes, immo et saepe contingunt, ita etiam Deo permittente fieri potest ut diabolus ab homine invocatus miros quosdam et homini impossibiles effectus producat. Si igitur impius homo, sive mera curiositate sive aliqua passione motus, diabolica potestate uti cupiat, per se nihil obstat quominus Deus diabolo quandoque permittat ut se istius hominis actionibus immisceat. Nec tamen admittendum est Deum hoc *certa lege* et *semper* permissurum esse, quotiescumque nempe magus id velit aut determinatis signis in hunc finem utatur; nam tale quid Dei providentiae manifeste adversatur, ipsisque hominibus nimium noceret. Quare *ars magica,* quae vocatur, seu facultas certa et constanter producendi, ope daemonis, miros aliquos effectus, adhibitis certis quibusdam signis, nullatenus admittenda est, neque a theologis admittitur.

568. Immo sunt qui dicant nulla omnino esse facta magica, etiam citra certam legem ope daemonis patrata, ideoque quaecumque a magis fiant esse vel technis vel fraudibus adscribenda. Ita v. g. *E. Kluepfel,* qui scribit: "Arbitramur quaecumque de eo rerum genere venditantur,

esse commentitia aut somnia delirantis phantasiae'' (Instit. Theol. Dogm. l. 1, § 77, nota 4). Attamen theologi communi fere consensu contrarium docent, et haec eorum doctrina tam in Sacris Litteris quam in scriptis SS. Patrum solidum fundamentum habet. Huc enim ea pertinere videntur, quae in libro Exodi (7, 11 sqq) de sapientibus et maleficis aegyptiacis narrantur, quippe qui per ''incantationes aegyptiacas et arcana quaedam'' eadem patrarunt, quae Moyses et Aaron operabantur per digitum Dei; item ea quae in Actibus Apostolorum de Simone (8, 9, 11), de Elyma (13, 8 sqq), et de puella pythonissa (16, 16 sqq) referuntur. Ceterum ab ipso Christo clare praenuntiatur signa magna et prodigia futura esse tempore Antichristi, ''ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, electi'' (Mt. 24, 24). De his autem prodigiis loquens, *S. Augustinus* ait: ''Addimus et humanarum et magicarum, i. e. per homines daemoniacarum artium, et ipsorum daemonum per se ipsos multa miracula; quae si negare voluerimus, eidem ipsi, cui credimus, sacrarum litterarum adversabimur veritati'' (De Civ. Dei, l. 21, c. 6; ML. 41, 731).

569. Hoc autem cum diabolo commercium, quomodocumque quaesitum, horrendum esse crimen per se patet; unde Sacra Scriptura monet: ''Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid scisciteminī, ut polluamini per eos'' (Levit. 19, 31). Iterum: ''Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur; lapidibus obruent eos; sanguis eorum sit super illos'' (Ibid. 20, 27). Haec iterum ostendere videntur diabolicum interventum non esse semper ad ''somnia delirantis phantasiae'' revocandum, licet utique multoties id prudenter fieri possit. Idem quoque haud obscure testantur leges Ecclesiae, quae quodcumque commercium cum diabolo severissime interdicunt (cf. Acta S. Sedis, t. 1, pp. 177, 178; Coll. Lac. t. 6, p. 103; DB. 1653), ideoque hujusmodi commercium possibile esse supponunt. Haec autem de magia dixisse sufficiat; alia enim disputari solent in Theologia Morali.

570. *Magnetismus* in subjecta materia ille intelligitur, qui dici solet *magnetismus animalis*. Ipsum nomen derivatum est ex hypothesi fluidum quoddam subtilissimum animalium hominumque corpora pervadere ex eisque emanare, quod simile sit fluido magnetico, quodque ex magnetizante ponitur fluere in magnetizandum, ad miros quosdam sanationis effectus producendos. Magnetismus animalis etiam *Mesmerismus* vocatur, quia inventus et primo expositus est ab *Antonio Mesmer*, Vindobonensi medico, qui saeculo decimo octavo fere exeunte varios morbos ejus ope sanare suscepit. Ipsa tamen istius fluidi theoria paulatim derelicta est, ejusque loco postulari coepit influxus mentalis, per magnetizantis suggestiones exercendus. Haec explicatio primo

proposita est ab *Alexandro Bertrand* (Traité du somnambulisme, Paris, 1823), et magis evoluta a *Jacobo Braid* (Neurypnology, London, 1843), unde etiam Braidismus dicta est.

571. Status magneticus inducitur sive manuum gesticulationibus, sive certis substantiis adhibitis, sive etiam simplici voluntatis nutu, verbis expresso. Phaenomena autem in illo statu occurrentia ad tres quasi gradus revocari possunt, ita ut distinguantur status *soporis artificialis,* status *somnambulismi,* status *claree intuitionis;* neque tamen in hac phaenomenorum distinctione omnes periti conveniunt, nec singula phaenomena semper adsunt. Porro haec magnetismi phaenomena ab iis haud differre videntur, quae hisce diebus producuntur per hypnotismum; immo ipse magnetismus animalis, in ultimo suae evolutionis stadio, nihil aliud est nisi hypnotismus alio nomine condecoratus. Quare ea omnia, quae infra de hypnotismo dicemus, magnetismo quoque applicari possunt.

572. *Hypnotismus* denominatur ab effectu suo quasi primario, qui est somnus, Graece ὕπνος; ordinarie enim primo inducitur status soporis somno simillimus, in quo patiens non propria sed hypnotizantis voluntate regi videtur. Hic status *hypnosis* vocatur, eoque inducto persona hypnotizata in rebus agendis adeo uniformiter suggestionibus hynotizatoris respondet, ut irresistibili quodam impulsu ad ea exsequenda ferri videatur, quae ipse velit. Inter medicos praxis hypnotismi late diffundi coepit opere *H. Bernheim* (Hypnotisme, Suggestion, Psychotherapie, Paris, 1886; Suggestive Therapeutics, New York, 1889), qui ejus ope multos nerveis quibusdam morbis laborantes sanavit. Nec minore successu hypnotismum adhibuit *I. M. Charcot* (Hypnotisme, inter ejus opera t. 9, Paris, 1890). *Bernheim* censuit omnes homines, indiscriminatim sumptos, hypnosi subjici posse; *Charcot* vero contendit ad hypnosim inducendam praerequiri abnormalem quamdam dispositionem in patiente. Res adhuc disputatur, sed periti nunc communius tenent in patiente nihil aliud requiri nisi consensum voluntatis; immo neque hunc consensum necessarium esse nisi prima vice, ita ut semel hynotizatus postea etiam nolens hypnosi subjici possit (cf. *Tuckey,* Treatment by Hypnotism and Suggestion, London, 1913).

573. Phaenomena hypnotismi varia sunt, nec semper eadem occurrunt in diversis subjectis. Satis communiter ad tres classes revocantur: *somatica,* quae praesertim corpus (σῶμα) afficiunt, ut sunt lethargia, catalepsis, somnambulismus; *intellectualia,* quae primarie in ordine cognitionis peraguntur, ita ut persona hypnotizata ea solummodo cognoscat vel etiam sensibiliter percipiat, quae ipsi ab hypnotizatore suggeruntur; *mixta,* quae quidem in corpore sed mediante

imaginatione producuntur, puta sanguinis vel sudoris effusio, juxta suggestionem ab hypnotizatore factam. Praeter varias hallucinationes, quae praesertim in statu somnambulismi occurrunt, etiam ea mentis sensuumque elevatio a quibusdam asseritur, vi cujus res occultae, objecta procul distantia, aliaque hujusmodi cognosci atque percipi videantur; alii tamen, in arte hypnotizandi bene versati, haec phaenomena aut nunquam occurrere aut ad subjectivas hallucinationes revocanda esse contendunt. Ita fere *Bernheim* (De la Suggestion, p. 84). Denique notandum est, suggestiones etiam ad tempus futurum dirigi posse, ita ut patiens, postquam evigilavit, sibi in hypnosi imperata designato tempore et modo exsequatur. Haec aliaque permulta huc spectantia in libris de hypnotismo tradi solent (cf. *J. M. Bramwell,* Hypnotism; its History, Practice, and Theory, London, 1903; *Encyclopedia Britannica,* art. Hypnotism; *Baron von Liljencrants,* Spiritism and Religion, New York, 1918, pp. 181 sqq). Quid vero de his phaenomenis atque de ipso hypnotismo theologice censendum sit, infra dicemus.

574. *Spiritismus* dici potest magia necromantica, qua attentatur communicatio cum animabus defunctorum, tum ad mira quaedam patranda tum etiam ad occulta cognoscenda. Hoc sensu spiritismus perantiquus est, ut ex multis gentium scriptoribus abunde constat, utque ex scriptis SS. Patrum clare elucet. Nec ipsis Hebraeis, populo Dei electo, spirituum evocatio ignota erat (cf. I Reg. 28, 7 sqq). Ad spiritismum vero modernum viam stravit *Swedenborgius,* qui asseruit sibi datum esse directe loqui cum angelis aliisque spiritibus, ut sic edoctus spiritualem Sacrae Scripturae sensum intelligere atque explicare posset (Arcana Caelestia, 68). Quo factum est ut inde a medio saeculo decimo octavo mira magnetismi et hypnotismi phaenomena per spirituum interventum explicari coeperint, necnon introducta sint conventicula sessionesque ad animas defunctorum evocandas. Et haec quidem praxis mox late diffusa est (cf. *Liljencrants,* op. cit. pp. 13 sqq).

575. Nova autem spiritismi phasis incepit an. 1848 in oppidulo status Neo-Eboracensis, vulgo *Hydesville* nuncupato, ubi in domo a familia quadam Methodistica nomine *Fox* occupata iterati crepitus ictusque auditi sunt, quorum causa omnino occulta videbatur. Materfamilias, alioquin religiosa, putans adesse spiritum, ab eo postulavit ut distinctis ictibus vellet ad quaestiones respondere; illico responsum datum est. Paulo post filiae ejus, *Margarita* et *Catharina,* munus mediatricis spiritus inter et personas cum eis communicare volentes agere coeperunt, idque eo successu ut ad quamcumque fere quaestionem propositam responsa obtinerent. Exinde spirituum evocatio res com-

munis facta est, et ita quidem ut spiritismus non solum per Americam sed per totam quoque Europam celerrime propagaretur. Nec solum varios ictus percutiendo spiritus responsa edebant, sed etiam scribendo pennae vel styli ope, sicut id hisce quoque diebus fieri solet (cf. *E. H. Britten,* Modern American Spiritualism; a twenty year record of the communication between earth and the world of spirits, New York, 1870).

576. Communiter ad spiritus evocandos instituuntur *sessiones,* in quibus mulierecula aliqua vel etiam vir exquisitae sensibilitatis adhibetur ut *medium,* dum spectatores efformant *circuitum,* sive mediante mensa quam manibus tangunt, sive per mutuum manuum contactum. Aliae quoque conditiones requiruntur, praesertim ut locus sit obscurus, utque *medium* in statum quemdam hypnoticum delabatur, qui vulgo *trance* dici solet. Tunc demum spiritus suam praesentiam manifestant, sive per rotationem mensae, sive per ejus elationem, sive per ictus, sive per scriptum automaticum, sive per alia quoque media, quibus simul responsa ad quaestiones forte propositas eduntur. Immo quandoque spirituum effigies visibiliter apparent, ita ut photographice depingi possint. Responsis autem plerumque res omnino secretae revelantur, quae nempe soli quaerenti notae creduntur. Porro alia quoque phaenomena sua quasi sponte occurrunt, ut cum sedilia vel aliae res in cubiculo e loco in locum moventur, in aerem ascendunt, parietem percutiunt, aut instrumenta musica pulsantur.

577. Haec aliaque plura valde mira in istis sessionibus exhiberi notissimum est; quaeri igitur debet, quid de iis censendum sit. Suntne objective vera, an merae subjectivae illusiones? Et si saltem ex parte vera sint, num fiant per fraudes, ope mirae dexteritatis, an per vires occultas? Hae autem vires occultae, si ad eas quandoque recurrendum sit, suntne vires naturales an etiam praeternaturales? Denique, si forte praeternaturales dicendae sint, quaenam sunt? Ipsi *spiritistae* respondent haec omnia fieri ope *animarum defunctorum,* quae corpore quodam astrali indutae sese sub certis quibusdam conditionibus sensibiliter manifestare possint. Idque non solum illi dicunt, qui *mediorum* munere funguntur, sed ii omnes qui huic spirituum cultui addicti sunt. Nec solum homines inculti id tenent, verum etiam primi nominis scientistae, qui sessionibus spiritisticis multoties astiterunt, ipsaque phaenomena mature investigarunt. Ita inter alios *Sir Oliver Lodge* (Raymond; or, Life and Death, New York, 1916).

578. Inter eos vero qui spiritismo non adhaerent, *triplex* enata est sententia. *Prima* eorum est, qui tenent omnia supra dicta phaenomena spiritistarum fraudibus attribuenda esse, sive directe quatenus ope dexteritatis miros quosdam effectus producant, quos a spiritibus

provenire affirment, sive indirecte quatenus variis artificiis hallucinationes illusionesque in spectatoribus excitent, quas hi facile credant esse spirituum manifestationes objective veras. Ad hanc sententiam firmandam provocant ad factum indubium, quod hujusmodi fraudes repetita vice detectae atque probatae sunt, quodque *Margarita* et *Cartharina Fox*, quarum opere spiritismus modernus introductus est, publica tandem confessione testatae sunt se ipsas illa spirituum responsa simulasse, cujus simulationis modum illico factis demonstrarunt. Ita fere *H. Houdini* (Miracle Mongers and Their Methods, 1920). Nec aliter sentiunt *R. B. Davenport* (The Deathblow to Spiritualism, New York, 1888) et *J. N. Maskelyne* (The Supernatural?, Bristol, 1891). Immo *Houdini*, qui mirae dexteritatis praestigiator est, vix non omnia spiritismi phaenomena sua arte accurate imitatur.

579. *Altera* sententia ab iis proponitur, juxta quos maxima quidem pars dictorum phaenomenorum vel technis vel fraudibus adscribenda est, nonnulla tamen objective vera sunt. Ad horum autem explicationem quod attinet, ipsi inter se non conveniunt, licet omnes uno alterove modo recurrant ad vires naturales quidem sed quodammodo occultas, quae se non prodant nisi in certis personis et sub peculiaribus quibusdam adjunctis. Sunt qui postulent *psychicas quasdam radiationes*, in suo ordine undis Hertzianis persimiles, ope quarum levitationes aliaque hujusmodi phaenomena causentur (cf. *L. Denis*, Le Spiritisme et Les Mediumnites, Paris, 1904). Sunt etiam qui contendant animam humanam immediate unitam esse *corpori astrali*, ex tenuissma materia confecto, ope cujus sese extra corpus suum materiale extendere possit, mirosque producere effectus (cf. *J. Grasset*, L'Occultisme d'Hier et d'Aujourd'hui, Montpellier, 1908). Alii denique confugiunt ad *vim telepathicam*, qua explicari censent non modo miram rerum scientiam atque visionem in distans, verum etiam omnes illos effectus qui per medium sub influxu externae alicujus voluntatis produci videantur. Huic sententiae inter alios favet *C. M. de Heredia* (Spiritism and Common Sense, New York, 1920); etiam *Baron von Liljencrants* (Op. cit. pp. 181 sqq).

580. *Tertia* sententia a praecedente in eo potissimum differt, quod, praeter phaenomena causis naturalibus adscribenda, alia quaedam adesse contendit, quorum explicatio ab interventu diabolicae potestatis petenda sit. Huc praecipue pertinent clara intuitio, cognitio rerum secretarum, spirituum apparitiones, aliaque hujusmodi. Hanc sententiam tuetur *J. G. Raupert* (Dangers of Spiritualism, St. Louis, 1914), qui ipse olim spiritismo addictus erat. Attamen non solis factis inhaeret, sed simul argumentum depromit ex vix non universali mediorum depravatione, quam eorum praxim consequi affirmat. Alii tamen con-

tendunt hanc assertionem non esse bene fundatam, cum ista morum depravatio neque universalis sit, neque necessario ex diabolico influxu petenda (cf. *Liljencrants,* op. cit. p. 269). Nec ex ipsis factis solidum argumentum desumi potest; imprimis enim non certo constat, num objective vera sint; dein vero, etsi objectiva eorum veritas admittatur, non tamen adeo evidenter vires naturae excedunt, ut eo ipso ad praeternaturalem causam referenda sint.

581. Huic tertiae sententiae quodammodo suffragari videntur Patres *Concilii Baltimorensis II,* qui aiunt: "Bene vero videtur esse exploratum plura, quae in Circulis Spiritismi exhiberi phaenomena miranda dicuntur, esse vel omnino ementita et operatorum inter se collusione fraudulenta producta, vel personarum quae dicuntur media imaginationi et spectatorum credulitati esse praesertim adscribenda, vel demum manuali cuidam dexteritati, qualis apud praestigiatores usu venit, esse tribuenda. Vix dubitandum tamen videtur, quaedam saltem ex eis a Satanico interventu esse repetenda, cum vix alio modo satis explicari possint. Nec mirum videatur, si novissimis hisce diebus, in quibus instant tempora periculosa, 'in nos descendat diabolus, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet' (Apoc. 12, 12); et si antiquus ille humani generis hostis iterum Magiae antiquae Artem, sub aliis tamen formis, mundi conditioni praesenti magis convenientibus, ad hominum ruinam invehere studeat" (Acta et Decreta, n. 36).

582. Fieri utique potest ut in spiritisticis sessionibus praeternaturalis aliqua potestas interveniat, hujusmodi tamen interventus non est actu admittendus, nisi forte in particulari quodam casu certis argumentis probetur. Spiritus enim, ultra id quod eis a Deo permittitur, sese rebus humanis immiscere non possunt; jam vero Deo prorsus indignum est permittere ut spiritus ad nutum hominis evocentur, quidquid hac in re per modum exceptionis fieri possit. Porro hoc judicium etiam ferendum est de hypnotismo, cujus ope eadem fere phaenomena exhibentur. Immo spiritismus et hypnotismus, ad eorum effectus apparenter praeternaturales quod attinet, adeo intime connexi sunt, ut vix non in idem recidant. Nam in sessionibus spiritisticis, in quibus hujusmodi effectus exhibentur, medium communiter in eo somnambulismi statu versatur, qui nihil aliud esse videtur quam hypnosis, auto-suggestionibus inducta (cf. *Liljencrants,* op. cit. pp. 181 sqq).

583. Si autem spiritus quandoque interveniant, tunc dubium esse nequit quinam illi sint. Imprimis enim certe excluduntur Deus et angeli boni, cum iis manifeste indignum sit ejusmodi praestigias et artes magicas exsequi ad hominum curiositatem pascendam; praeterea

Deus et boni angeli non possunt mentiri, sibi ipsi contradicere, frivolos ac irreligiosos sermones miscere, sicut spiritus illi apparentes haud raro faciunt. Excluduntur etiam animae defunctorum bonae, sive in purgatorio detentae sive in caelo glorificatae, et quidem propter easdem rationes. Manent igitur animae damnatae et spiritus maligni. At animas damnatas hic considerari non posse, sat certum videtur; quia non eam relationem ad hunc mundum habent, vi cujus seductoris munere fungantur, ut jam supra (n. 525) expositum est. Diabolus e contrario adversarius noster est, qui "tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret" (I Petr. 5, 8). Si igitur in particulari quodam casu de alicujus spiritus interventu constet, iste spiritus diabolus est vel angelus ejus.

584. In *ordine morali* spiritismus et hypnotismus longe ab invicem distant; quia hypnotismus ex professo utitur mediis naturalibus ad naturales effectus obtinendos, spiritismus vero aeque ex professo utitur mediis naturalibus ad obtinendos effectus praeternaturales. Illud per se nihil illiciti continet; hoc semper superstitiosum est. Unde hypnotismus cum debitis cautionibus et graves ob causas adhiberi potest; spiritismus vero semper et ex ipsa natura rei prohibitus haberi debet. Huc accedit quod spiritismus modernus de facto evasit systema quoddam religiosum, quo ipsa fundamentalia christianae religionis dogmata negantur. Licet enim spiritistae profiteantur fidem in Deum, in immortalitatem animae, in vitam futuram, simul tamen in hisce omnibus doctrinam Ecclesiae absolute rejiciunt et novam quamdam revelationem a spiritibus acceptam propagare student. Insuper negant divinitatem Christi, opus redemptionis, existentiam inferni, probationem hominum hac vita finiendam (cf. *Liljencrants,* op. cit. pp. 248 sqq).

585. Unde ipsa quoque Ecclesia aliter de hypnotismo et aliter de spiritismo judicat. Nam de hypnotismo, quem nomine magnetismi designat, *Congregatio S. Officii* hanc regulam statuit: "Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis" (Encycl. S. Off. die 4 Aug. 1856; DB. 1653). Et medico cuidam quaerenti, an sibi liceret esse particeps disputationum quae in quadam medicorum societate instituebantur circa suggestiones hypnoticas in aegrotorum infantium curatione adhibitas atque etiam in novis experimentis de eodem argumento faciendis aliquam assumere partem, responsum est: "Quoad experimenta jam facta, permitti posse, modo

absit periculum superstitionis et scandali, et insuper orator paratus sit stare mandatis S. Sedis, et partes theologi non agat. Quoad nova experimenta, si agatur de factis quae certo naturae vires praetergrediantur, non licere; sin vero de hoc dubitetur, praemissa protestatione nullam partem haberi velle in factis praeternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali'' (*Congr. S. Off.* die 26 Jul. 1899).

586. De spiritismo autem, proposito dubio: ''An liceat per *medium*, ut vocant, vel sine *medio*, adhibito vel non adhibito hypnotismo, locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque adsistere, etiam speciem honestatis vel pietatis praeseferentibus, sive interrogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum adspiciendo, etiam cum protestatione tacita vel expressa nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle,'' responsum a *Suprema Congregatione S. Officii* datum est: ''Negative in omnibus.'' Et feria V, die 26 ejusdem mensis (April. 1917) Ssmus. D. N. D. Benedictus Div. Prov. PP. XV relatam sibi Emorum. Patrum resolutionem adprobavit. Simile responsum eadem Congregatio jam dederat die 30 Mart. 1896 (cf. Acta S. Sedis. 9, 268; 30, 701 sq). Igitur non solum praxis spiritismi, verum etiam mere passiva adsistentia absolute prohibita est. Porro ad praxim spiritismi quod attinet, non minus clare loquitur ipsa Sacra Scriptura, cum monet: ''Nec inveniatur in te . . . qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, aut quaerat a mortuis veritatem; omnia enim haec abominatur Dominus'' (Deut. 18, 10-12).

587. At ne hypnotismus quidem, etsi in se ''non est moraliter vetitus,'' indiscriminatim adhiberi potest; tum quia res physice periculosa est, tum etiam quia per abusum multis malis dat ortum in ordine morali. Hanc ob causam *Congregatio S. Officii*, post verba superius (n. 585) citata, ita pergit: ''Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi, tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiae potius curiosa sectantes magna cum animarum jactura ipsiusque civilis societatis detrimento ariolandi divinandique principium quoddam se nactos glorientur. Hinc somnambulismi et clarae intuitionis, uti vocant, praestigiis mulierculae illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturae. In his omnibus quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus

non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis et scandalum contra honestatem morum'' (cf. DB. 1654).

Itaque contra haec omnia, sive magiam sapiant, sive spiritismum, sive etiam hypnotismum popularem, sedulo firmiterque muniendi sunt Christi fideles, ne curiositate abrepti sese hujusmodi superstitionibus immiscendo irreparabile fidei morumque detrimentum patiantur. ''Qui domum enim diaboli ingrediuntur, timeant ne machinationibus ejus decipiantur imperioque subjiciantur'' (*Conc. Balt. II,* n. 41).

INDEX ALPHABETICUS

INDEX ALPHABETICUS

(Numeri Indicant Paginas)

A

Abaelardus affirmat necessitatem creationis, 37; negat peccatum originale, 200.

Aborigenes, unde sint, 181, 182.

Accidentia concreantur, 2.

Actio creationis, quid sit, 1; immanens an transiens, 3; una communis Trinitati, 157 sqq.; conservationis, 65 sqq.

Adamus, immediata Dei operatione conditus, et quidem etiam quoad corpus, 85 sqq.; unde evolutionismus admitti nequit, ibid.; ab Adam et Eva totum genus humanum ortum traxit, 129 sqq.; creatus est in statu gratiae, 152, 153; habuit virtutes infusas, 154-156; accepit revelationem, 156; immunis a concupiscentia, 157 sqq.; a necessitate moriendi, 166 sqq.; habuit scientiam infusam rerum naturalium, 174 sqq.; felicitatem vitae, 182, 183; lapsus est in peccatum, 188 sqq.; perdidit justitiam originalem, 192 sqq.; motivum erat superbia, 195; gravitas peccati, 196; veniam consecutus est, 197; ejus peccatum transiit in posteros, 198 sqq.

Aeternitas mundi, 43 sqq.; num ratione probari possit mundum esse temporalem, 46.

Albertus Magnus, de natura peccati originalis, 215.

Alexander VII, *Papa*, docet singulas animas creari, 125.

Ambrosius, S., affirmat creationem animarum, 124; unitatem familiae humanae, 133; protoparentes fuisse immunes a concupiscentia, 161; existentiam peccati originalis, 206; angelorum, 261; ignis in inferno, 418.

Amor Dei pertinet ad physicam beatitudinis essentiam, 377; non ad metaphysicam, 379.

Anastasius II, *Papa*, docet singulas animas creari, 124.

Angeli, eorum existentia, creatio, praestantia, 257 sqq.; quando creati sint, 262, 263; sunt puri spiritus, 265 sqq.; quid Patres doceant de spiritualitate angelorum, 271, 272; num quandoque assumant corpora, 273, 274; praesentia in loco, 275 sqq.; de eorum potentia motrice, 279; cognitione, 280 sqq.; non cognoscunt secreta cordis, 283; nec futura libera, 284; nec mysteria, 285; locutio et illuminatio, 288; numerus, 290 sqq.; ordines, 291; elevatio, 293 sqq.; meritum, 300; peccatum, 301; quale peccatum, 302; motivum, 303; angeli custodes, 306 sqq.; singuli fideles habent angelum custodem, 310; singuli homines, 311; diversae societates, 311, 312; creaturae irrationales, 313; officia nostra erga angelos custodes, 313; angeli mali infestant homines, 315 sqq.; eos tentant, 319; malis physicis afficiunt, 320; obsident, 320, 321; num singuli homines habeant angelum malum, 323; num diabolus se omni tentationi immisceat, 323.

Anima rationalis est pars constitutiva hominis, 98 sqq.; vere et per se forma humani corporis, 105 sqq.; individualis, 112; spiritualis, 112; immortalis, 113; ratione animae homo est imago Dei, 114, 115; singulae animae a Deo creantur, 122; quando cum corpore conjungendae sunt, 126.

Anselmus, S. reponit essentiam peccati originalis in privatione originalis justitiae, 213, 223.

Apollinaris docet trichotomiam, 100.

Appetitus sensitivus in protoparentibus, 158 sqq.; non est appetitus naturalis ad supernaturalem beatitudinem, 371.

Arausicanum II docet peccatum esse mortem animae, 222.

Arbor vitae, quae fuerit ejus virtus, 172.

Aristides, S. docet creationem ex nihilo, 12.

Asterius, S. docet hominem constare ex corpore et anima rationali, 103.

Athanasius, S. defendit creationem ex nihilo, 14; tribuit creationem toti Trinitati, 32; solus Deus creare potest, 29; creat libere, 39; et in tempore, 46; singulae animae creantur a Deo, 122; protoparentes in gratia creati sunt, 151; erant immunes a necessitate moriendi, 170; existit peccatum originale, 205; angeli non cognoscunt secreta cordis, 283; singuli fideles habent angelum custo-

dem, 311; homines cum proprio corpore resurgent, 430.
Athenagoras, S. docet finem mundi esse gloriam Dei, 58; hominem constare ex corpore et anima rationali, 103; angelos existere, 261.
Augustiniani negant possibilitatem status naturae purae, 187; reponunt essentiam peccati originalis in concupiscentia, 216.
Augustinus, S. docet creationem ex nihilo, 14; tota Trinitas creat actione una communi, 23; solus Deus creare potest, 30; creat libere, 39; et in tempore, 46; est causa exemplaris mundi, 52; etiam finalis, 58, 60; conservat res creatas, 68; cum eis concurrit, 72, 74; homo a Deo creatus est, 92; nec effectio corporis evolutioni adscribenda est, 93, 94; homo constituitur ex corpore et anima rationali, 104; est imago Dei, 115; ejus anima est spiritualis, 116; origo singularum animarum dubia est, 120, 124; transmigratio animarum absurda est, 127; unitas familiae humanae, 133; Adamus ad supernaturalem statum elevatus est, 150; immunis a concupiscentia, 161; a necessitate moriendi, 170; habuit scientiam infusam, 177; non potuit errare, 178; existit peccatum originale, 205, 207; est reatus concupiscentiae, 212, 213; non transmittitur per libidinem parentum, 238; libertas non perdita est, 245; existunt angeli, 261; in ordinibus dispositi, 291; elevati ad statum supernaturalem, 299; quale peccatum commiserunt, 302; sunt angeli custodes, 313; mali angeli homines malis physicis afficiunt, 320; in morte hominum finitur tempus merendi, 337; non omnes morientur, 339; est judicium particulare, 346; existit purgatorium, 356, 357; animae suffragiis vivorum juvantur, 359; Deus est objectum essentiale beatitudinis, 369; beatitudo est aeterna, 389; inaequalis, 394; reprobi inaequaliter puniuntur, 405; poena damni, 414; ignis, 418; quomodo ignis agat in spiritus, 420; mortui cum propriis corporibus resurgent, 430, 431; erit universale judicium, 440; magia ut factum admittenda est, 445.
Aureola est specialis gloria accidentalis, 392; eam consequentur virgines, martyres, doctores, 392, 393.
Averrhoes docet unicitatem animae intellectualis, 110, 111.

B

Baius docet dona supernaturalia esse debita naturae innocenti, 142, 146, 150, 176; negat possibilitatem naturae purae, 185; reponit essentiam peccati originalis in concupiscentia, 225; idque negat esse voluntarium ex sola voluntate Adami, 229, 230.
Baltimorense II damnat spiritismum, 450; monet fideles ne superstitionibus abducantur, 453.
Basilius, S., tota Trinitas creat, 23; solus Deus creare potest, 29; mundus in tempore creatus est, 46; de creatione hominis, 91; Adamus elevatus est ad statum supernaturalem, 149; creatus in gratia, 153; angeli elevati sunt, 299; singuli fideles habent angelum custodem, 311; etiam diversae societates, 312; reprobi poena ignis cruciantur, 416.
Beatitudo, quid sit, 365 sqq.; objectiva essentialis est solus Deus, 368 sqq.; accidentalis constituitur bonis creatis, 371 sq.; formalis complectitur actum cognitionis, amoris, gaudii, 372 sqq.; sed essentialiter consistit in actu cognitionis intuitivae, 379; haec cognitio est practica, 379; beatitudo est inaequalis pro ratione meriti, 384, 391; excludit omne peccatum et est aeterna, 388 sqq.; non admittit imperfectiones morales, 390; nec tristiam ullam, 391.
Bellarminus, B., de ligno vitae, 172; concupiscentia est elementum materiale extrinsecum in peccato originali, 218; naturalia hominis post peccatum originale integra manserunt, 245; animae in purgatorio orationibus vivorum juvantur, 353; pro nobis orant, 363.
Benedictus XII, *Papa,* singulae animae creantur, 125; Joannes XXII non docuit beatitudinem animae jam purgatae differri, 348; essentia beatitudinis, 377; aeternitas, 387.
Bernardus, S., quod angeli custodes colendi sunt, 313.
Bonaventura, S. negat protoparentes creatos fuisse in statu gratiae, 152; eos habuisse fidem, 155; angeli sunt naturaliter incorporei, 271; creati sine gratia sanctificante, 296; de acerbitate poenarum in purgatorio, 362; beatitudo essentialiter consistit in cognitione et amore, 376; quomodo ignis agat in spiritus, 420.
Bonitas Dei manifestanda et glorificanda constituit finem mundi, 54 sqq.

C

Caelum est locus et status, 366, 393.
Calviniani negant existentiam purgatorii, 354, 358.
Carthag. XVI vindicat protoparentibus immortalitatem corporis ante lapsum, 168.

Cassianus docet angelos fuisse creatos ante hunc mundum, 263; eos non cognoscere secreta cordis, 284.

Catalepsis per hypnotismum inducitur, 446.

Catharinus, *Ambrosius,* explicat essentiam peccati originalis per inclusionem voluntatum posterorum in Adamo, 234.

Causa efficiens mundi, 5 sqq.; exemplaris, 48 sqq.; finalis, 54 sqq.; res creatae sunt verae causae, 75.

Catechismus, *Romanus,* de angelis custodibus, 307.

Chiliastae negant judicium particulare, 343; eorum systema explicatur et rejicitur, 431 sq.

Chrysostomus, S., mundus ex nihilo creatus est, 14; Deus libere creat, 39; res creatas conservat, 67; cum eis concurrit, 74; Adamus creatione productus est, 91; immunis a concupiscentia, 162; a necessitate moriendi, 170; habuit scientiam infusam, 177; de paradiso, 188; Adamus peccavit, 192; existit peccatum originale, 205; existunt angeli, 261; non cognoscunt libera futura, 285; diversi ordines, 291; singuli fideles habent angelum custodem, 311; non omnes homines morientur, 339; erit judicium particulare, 346; animae in purgatorio suffragiis vivorum juvantur, 359; de poenis inferni, 400; poena damni, 414; ignis, 418.

Clemens, *Alexandrinus,* docuisse videtur ideas divinas constituere mundum idealem, 52.

Clemens, *Romanus,* docet existentiam angelorum, 261.

Coadamitae non sunt admittendi, 130 sqq.

Coloniense Conc., Deus creavit mundum ad bonitatem suam manifestandam et glorificandam, 60, 61; homo constituitur ex corpore materiali et anima rationali, 106; singulae animae creantur a Deo, 125; protoparentes in sanctitate constituti sunt, 150.

Commercium cum diabolo possibile est, 444.

Commissio de re Biblica, de charactere historico priorum capitum Geneseos, 89.

Concordimus *Mitigatus* admitti potest in explicatione primi capitis Geneseos, 82.

Concupiscentia, quid sit, 157 sqq.; proprie dicta non fuit in protoparentibus ante lapsum, 160 sqq.; non constituit essentiam peccati originalis, 224, 225.

Concursus divinus, quid sit, 71, 72; Deus physice et immediate concurrit cum actionibus creaturarum, 73 sqq.

Conservatio, quid sit, 65 sqq.; Deus res creatas directe et positive conservat, 67 sqq.; num Deus solus, 69.

Cornely explicat I Cor. 15, 51, 52, quod non omnes homines morientur, 339; et I Cor. 3, 11-16, de existentia purgatorii, 356.

Corpus Adami formatus est ex limo terrae, 88; corpus Evae desumptum est ex Adamo, 89; est pars materialis in constitutione hominis, 99; homines resurgent cum propriis corporibus, quae nunc gestant, 430 sqq.; de dotibus corporis gloriosi, 433.

Cosmogonia sacra, 78 sqq; quid de ordinatione mundi doceant scientiae naturales, 79.

Creatio, quid sit, 1 sqq.; activa et passiva, 3; immediata et mediata, 6, 7; prima et secunda, 7; creatio mundi probatur ex Scriptura, 8 sqq.; ex traditione, 12 sqq.; ex ratione, 14, 15; creatio hominis, 85 sqq.; animarum, 119 sqq.; angelorum, 257 sqq.; terminus creationis est ens subsistens, 2; objectum, ens in quantum est ens, 3; subjectum, tota Trinitas, 18 sqq.; solus Deus, 26 sqq.

Cyprianus, S., de elevatione hominis, 149; de immortalitate corporali, 170; de existentia peccati originalis, 206; purgatorii, 357; de beatitudine, 378; de igne infernali, 403.

Cyrillus, *Alexandrinus, S.,* tota Trinitas creat, 23; solus Deus creare potest, 29; mundus in tempore creatus est, 46; homo constituitur ex corpore materiali et anima rationali, 103; singulae animae creantur, 123; protoparentes elevati sunt ad statum supernaturalem, 149, 150; creati in gratia, 153; immunes a concupiscentia, 162; a necessitate moriendi, 170; Adamus habuit scientiam infusam, 177; angeli non cognoscunt futura libera, 285; in morte tempus merendi finitur, 337.

Cyrillus, *Hierosolymitanus, S.,* de supernaturalitate gratiae, 152; de numero angelorum, 290; de ordinibus, 291.

D

Daemones sunt angeli lapsi, 296; qui graviter peccaverunt et aeternaliter damnati sunt, 301 sqq.; plerique hunc mundum pervagantur, 316; homines tentant, 319; malis physicis afficiunt, 320; obsessione infestant, 320; sub principe Diabolo constituti, 324; spiritismo se immiscent, 450. 451.

Daemoniaci sunt homines malo aliquo spiritu obsessi, 317, 318; hujusmodi erant tempore Christi, 320, 321; tempore Apostolorum, 322; etiam nunc, 322, 323.
Damascenus, *Joan. S.*, tota Trinitas creat, 23; solus Deus creare potest, 30; bonitas Dei manifestanda et glorificanda est finis mundi, 60; Deus omnes res creatas conservat, 67; homo constituitur ex corpore materiali et anima rationali, 104; anima humana est spiritualis, 116; protoparentes ad statum supernaturalem elevati sunt, 149; immunes erant a concupiscentia, 162; angeli sunt puri spiritus, 270; quomodo sint in loco, 277; de locutione angelorum, 288; elevati sunt, 299; angeli lapsi poenitentiam agere nequeunt, 302, 304.
Deus est causa efficiens mundi, 5 sqq.; exemplaris, 48 sqq.; finalis, 54 sqq.; repraesentatur in creaturis, 61; praesertim in homine, 114; conservat omnes res creatas, 65 sqq.; cum eis concurrit, 70 sqq.; omnia gubernat, 76; mundum materialem ordinavit, 78 sqq.
Diabolus est princeps daemoniorum, 324; *v. Daemones.*
Dichotomia admittenda est, 98 sqq.
Didymus, *Alexandrinus,* tota Trinitas creat, 23.
Dies Genesiaci, quid significent, 81 sqq.
Doctoris aureola est specialis gloria accidentalis propter praedicationem evangelii collata, 393.
Dona supernaturalia explicantur, 140 sqq.; ea pervertit Lutherus, 142; Baius, 142, 143; Jansenius, 143; quaenam protoparentibus collata fuerint, 145 sqq.; quae per peccatum amissa, 192 sqq.; quae nobis restituta, 147.
Dos in Beatis, quid sit, 380.
Durandus, de causa instrumentali in creatione, 28; de conservatione rerum creatarum, 66; de concursu divino, 72; de essentia peccati originalis, 217; per se angeli naturaliter cognoscunt secreta cordis, 281.
Duratio aeterna et temporalis, 43, 44; duratio mundi est temporalis, 45.

E

Ekardus docuit mundum esse ab aeterno creatum, 44.
Elevatio hominis ad statum supernaturalem, 138 sqq.; angelorum, 293 sqq.
Ephraem, S., docet judicium particulare, 346; animas in purgatorio suffragiis vivorum juvari, 359; reprobos vero igne cruciari, 404.
Epiphanius, S., docet mortuos cum propriis corporibus resurgere, 431.
Eusebius Caesareensis tuetur spiritualitatem angelorum, 270.
Estius explicat II Mach. 12, 39-46 de purgatorio, 355.
Eva etiam quoad corpus immediate a Deo producta est, 88; graviter peccavit, 191 sqq.; veniam consecuta est, 197.
Evolutio organica, quo sensu teneri possit, 83, 84; quoad hominem omnino rejicienda est, 85 sqq.; de mente S. Augustini, 93, 94.
Exemplar, quid sit, 48 sqq.; Deus est causa exemplaris mundi, 51 sqq.

F

Fabre d'Envieu, J., docet exstitisse Praeadamitas, 131.
Felicitas vitae in paradiso, 182 sqq.; perdita per peccatum Adami, 192 sqq.
Fides supernaturalis in protoparentibus ante lapsum, 155; negat S. Bonaventura, *ibid.*
Finis, quotuplex sit, 54 sqq.; finis mundi primarius est bonitas Dei manifestanda et glorificanda, 57 sqq.; secundarius est bonum creaturarum, 59 sqq.; finis operantis in creatione, 62; finis ultimus, 320 sqq.
Florentinum Conc., de poena peccati originalis, 250; de natura beatitudinis, 387; de poena inferni, 398.
Fomes peccati, quid sit, 159; non erat in protoparentibus ante lapsum, 160 sqq.
Forma corporis explicatur, 99; forma corporis humani est ipsa anima rationalis, 102 sqq.; vere et per se, 105 sqq.
Formatio corporis Adami, 87 sq.; Evae, 88 sq.
Fossilia, quae in stratis terrae inveniuntur, non probant evolutionem organicam, 97.
Fruitio Dei clare visi constituit beatitudinem, 377 sqq.
Fulgentius, S., docet creationem ex nihilo, 13; angelos esse spiritus puros, 268; angelos malos esse in peccato obstinatos, 304; beatos esse impeccabiles, 389.
Futura libera naturaliter ab angelis cognosci nequeunt, 284 sq.

G

Gandavensis, *Henricus,* aliquando docuit Filium et Spiritum Sanctum esse principium formale quo Pater producat creaturas, 20.

Gaudium pertinet ad beatitudinem formalem, 377 sqq.; sed non ad ejus essentiam, 377; hoc tamen docuit Aureolus, 376.
Generatio paterna traducit peccatum originale, quatenus ea nascuntur filii Adae, 234 sqq.
Genesis docet creationem mundi ex nihilo, 8 sqq.; Deum ordinasse mundum, 78; principia in ejus explicatione servanda, 79; monitum Leonis XIII, 80; S. Thomae, 80; protoparentes esse immediata Dei operatione formatos, 87 sqq.; totum genus humanum esse ab Adamo derivatum, 129 sqq.
Gennadius docet hominem constitui corpore materiali et anima rationali, 104.
Geologia, quid doceat de ordinatione mundi, 78 sq.
Gloria, quid sit, 55 sqq.; formalis externa est primarius finis mundi, 57 sqq.; obtinetur per bonum creaturarum, 59 sqq.; non frustratur in damnatis, 63.
Gratia sanctificans describitur, 146; protoparentibus collata est, 147 sqq.; et quidem in ipso instanti creationis, 152, 153; est donum stricto sensu supernaturale, 151; sibi adnexas habet virtutes infusas, 154, 155; perdita est per peccatum Adami, 192 sqq.; erat nobis in ipso Adamo data, 220; et ideo per ipsum nobis amissa, 220, 221; ejus privatio in nobis est essentia peccati originalis, 222 sqq.; est poena peccati originalis originantis, 226; peccatum originale, seu privatio gratiae in nobis, est voluntarium voluntate Adami, capitis moralis, 227 sqq.; gratia sanctificans etiam collata angelis, 298 sqq.
Gregorius, *Magnus, S.*, Deus conservat res creatas, 68; creavit hominem ad imaginem suam, 92; angeli sunt puri spiritus, 271; in ordines dispositi, 292; alii beatitudinem meruerunt, 300; alii peccaverunt, 301; in morte tempus merendi finitur, 337; beatitudo inaequalis est, 388; etiam cruciatus inferni, 405; quomodo ignis agat in spiritus, 420.
Gregorius *Nazianzenus, S.*, singulae animae creantur, 123; angeli meruerunt, 300; sunt angeli custodes, 312; est verus ignis in inferno, 408.
Gregorius *Nyssenus, S.*, de creatione hominis, 90; de ejus constitutione, 103; elevatione, 148; de supernaturalitate gratiae sanctificantis, 152; de immortalitate corporali, 170; de origine linguae, 179; angeli sunt puri spiritus, 270; singuli homines habent angelum malum, 323; existit purgatorium, 357; Deus est objectum essentiale beatitudinis, 369; est verus ignis in inferno, 418.
Gubernatio mundi, 76.
Guenther docet trichotomiam, 101; negat scientiam infusam, 175.

H

Halensis, *Alexander*, docet concupiscentiam esse causam materialem peccati originalis, 214.
Hermas tuetur creationem ex nihilo, 12.
Hexaemeron, quaenam principia in ejus explicatione servanda sint, 79; expositio authentica nondum existit, 79, 80; theoriae quae teneri non possunt, 80, 81; quas homini catholico licet tenere, 81-83; evolutioni non favet, 83, 84.
Hierarchia angelorum triplex est, 292.
Hieronymus, S., Deus cum causis creatis concurrit, 74; hominem creavit, 92; singulae animae creantur a Deo, 124; anima spiritualis est, 116; et immortalis, 117; homo elevatus est ad statum supernaturalem, 150; creatus in statu gratiae, 153; singuli homines habent angelum custodem, 311; angeli etiam praesunt societatibus, 312; est judicium particulare, 346; beatitudo inaequalis est, 388.
Hilarius, S., mundus creatus est propter gloriam Dei et bonum creaturarum, 60; Deus conservat res creatas, 68; creavit hominem, 91; singulas animas, 123; Adamus perdidit immortalitatem corporis, 170; sunt angeli custodes, 309.
Hippolytus, S., mundus ex nihilo conditus est, 13; libere, 39; in tempore, 46.
Homo a Deo creatus est, 45 sqq.; constituitur corpore materiali et anima rationali, 98 sqq.; est imago Dei, 114; ab Adamo et Eva tota familia humana ortum habet, 129 sqq.; in Adamo ad statum supernaturalem elevatus est, 199 sqq.; trahit peccatum ex Adamo paterna generatione, 234 sqq.; quoad animam et corpus in deterius mutatus est, 241 sqq.; ejus tamen naturalia integra permanserunt, 215; hominis novissima, 331 sqq.
Humanum genus ab Adamo et Eva ortum habet, 129 sqq.
Hummelauer exponit ordinationem mundi, 82.
Hypnotismus, quid sit, 446 sqq.; cum debitis cautelis adhiberi potest, 151; abusus damnantur, 152.

I

Ideae divinae, quid sint, 49, 50; juxta eas Deus condidit mundum, 51-53.
Ignatius *Martyr, S.*, docet reprobos cruciari igne inextinguibili, 400.
Ignis inferni proprio sensu intelligendus est, 417 sqq.; quomodo agat in spiritus, 419 sqq.
Imago Dei in homine reperitur, 114, 115.
Immortalitas corporis protoparentibus donata, 166; quomodo explicetur, 166-168.
Infantes in peccato originali morientes privantur visione Dei, 250; non afficiuntur poenis positivis, 251; nec carent bonis sibi naturaliter debitis, 252.
Infernus est status et locus, 396; omnes in peccato mortali decedentes ad infernum damnantur, 399 sqq.; interminabili poena cruciandi, 401 sqq.; inaequali tamen pro inaequalitate meritorum, 404; angeli mali ad infernum damnati sunt, 301 sqq.
Innocentius III, *Papa*, docet parvulos non puniri poena positiva, 252.
Instrumentum, quid sit, 27; instrumentalis causa non admittitur in creatione, 31-33.
Integritas protoparentum erat supernaturalis, 163; quomodo explicetur, 163, 164.
Intuitiva visio, *v. Visio.*
Invidia non fuit primum peccatum angelorum, 302.
Irenaeus, S., docet creationem ex nihilo, 12; liberam, 39; temporalem, 45; propter gloriam Dei, 60; Deus conservat res creatas, 67; creavit hominem, 90; homo constituitur corpore materiali et anima rationali, 103; singulae animae creantur a Deo, 122; Adamus elevatus est ad statum supernaturalem, 149; existit peccatum originale, 205; mali angeli tentant homines, 319; eos obsident, 322; est verus ignis in inferno, 403.
Isaac de la Peyrère docuit esse Praeadamitas, 131.
Isidorus, S. docet singulos homines habere angelum custodem, 311; animas in purgatorio suffragiis vivorum juvari, 359.

J

Jansenius negat libertatem creationis, 37; dicit ea esse supernaturalia, quae non debeantur merito, 143; reponit essentiam peccati originalis in concupiscentia cum reatu, 225; peccatum originale propagari dicit per libidinem parentum, 237.
Joannes *Damascenus, v. Damascenus.*
Joannes XXII, *Papa*, non docuit beatitudinem differri, 347 sq.
Judicium particulare, 342 sqq.; universale, 436 sqq.
Justinus *Martyr, S.*, de constitutione hominis, 103; de immortalitate animae, 118; de obsessione, 322; de poena reproborum, 400; de poena ignis, 403.
Justitia originalis, quomodo intelligenda sit, 184, 185; in ea creati sunt protoparentes, 152, 153; perdita est per peccatum Adami, 192 sqq.

K

Knabenbauer explicat poenam damni, 414; poenam ignis, 425.

L

Lactantius, singulae animae creantur a Deo, 123; non est judicium particulare, 343; verus ignis in inferno, 418.
Lapsus Adami in peccatum, 188 sqq.; angelorum, 301 sqq.
Lateranense I docet creationem toti Trinitati tribuendam esse, 21.
Lateranense IV definit mundum, naturam humanam et angelicam esse a Deo creatam, 8; Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse principium creationis, 21; mundum esse temporalem, 44, 45; angelos esse creatos, 259; ab initio omnes fuisse bonos, 297; mortuos cum propriis corporibus resurgere, 428; de poena inferni, 398; de judicio universali, 439.
Lateranense V, singulae animae creantur a Deo, 121, 127.
Leibnitz docet hunc mundum esse optimum, 37, 38; tuetur systema harmoniae praestabilitae, 101.
Leo IX, *Papa*, docet singulas animas creari a Deo, 125.
Leo X, *Papa*, singulae animae creantur a Deo, 125.
Leo Magnus, *Papa*, homo ad supernaturalem statum elevatus est, 144.
Leroy suam sententiam de evolutione corporis humani retractare jussus est, 92.
Lessius, de cognitione parvulorum qui in peccato originali decedunt, 253; cur nulla possit esse tristitia in beatis, 391.
Lethargia per hypnotismum inducta, 446.
Libertas in genere quid sit, 35-37; creationis, 37 sqq.; humana non est per peccatum perdita, 244; de mente S. Augustini hac in re, 245, 246; qualis sit in beatis, 385.

Limbus puerorum est locus ubi detinentur parvuli, qui in peccato originali moriuntur, 396.
Locus, quid sit, 276; angeli sunt in loco, 276-278; moveri et movere possunt, 279.
Locutio angelorum, in quo consistat, 288.
Lombardus admittit causam instrumentalem in creatione, 28; reponit essentiam peccati originalis in concupiscentia, 214.
Lucifer, cur dicatur princeps daemoniorum, 324.
Lugo, de, docet nullas esse imperfectiones morales in beatis, 390.
Lullius, cujus discipuli docuerunt Trinitatem creare actione tripartita, 20.
Lumen gloriae est habitus supernaturalis operativus, intellectum beati perficiens, eumque proxime habilem reddens ad Deum intuitive videndum, 375.
Lutherus docet supernaturalia dona protoparentibus collata subjective naturalia esse, 142, 146; reponit essentiam peccati originalis in concupiscentia, 225; docet illud libidine parentum propagari, 237; erronee loquitur de animabus in purgatorio, 360.

M

Magia alba et nigra, 444; nigra ut ars non est admittenda, 444; sed ut factum, 445.
Magnetismus animalis, quid sit, 445; ejus abusus damnatur, 451.
Martyres habebunt specialem gloriam accidentalem, quae aureola vocatur, 393.
Mastrius explicat sententiam Scoti de causa exemplari mundi, 52.
Materia angelica, quam adstruunt S. Bonaventura et Scotus, 267.
Matrimonium filiorum Dei cum filiabus hominum, 273.
Mesmerismus, qui etiam magnetismus animalis vocatur, 445.
Metempsychosis animarum, *v. Transmigratio.*
Milevitanum II docet peccatum originale generatione transfundi, 237.
Ministerium angelorum, quaenam complectatur, 307, 308.
Minutius *Felix*, de igne infernali, 418.
Miseria mundi, num suppeditet argumentum pro existentia peccati originalis, 207.
Misericordia *Dei* etiam in inferno locum habet, 405.
Missio angelorum in hunc mundum, 307; boni in custodiam hominum deputantur, 309 sqq.; mali vero ex permissione Dei homines infestant, 315 sqq.
Mopsuestenus, *Theodorus*, negavit existentiam peccati originalis, 208.
Mors est poena peccati, 331 sqq.; in quo consistat, 335; in morte tempus merendi finitur, 336; non omnes homines morientur, 338.
Motus angelorum, quomodo explicetur, 279.
Mundus ex nihilo creatus est, 5 sqq.; libere, 34 sqq.; in tempore, 43; ordinatus, 78 sqq.; innovabitur, 440, 441.

N

Naturale in genere est illud, quod est debitum alicui naturae, 138; sumitur sensu historico et ontologico, 138; describitur naturale sensu ontologico sumptum, 139 sqq.; naturalia hominis integra manserunt, 244 sqq.
Nicaenum II docet unam eamque rationalem animam esse in homine, 104.
Nomina *Dei* suppeditant argumentum pro creatione ex nihilo, 11, 12.
Novissima hominis, 330 sqq.; mors, 332 sqq.; judicium particulare, 342 sqq.; purgatorium, 351 sqq.; caelum, 365 sqq.; infernus, 395 sqq.; novissima mundi, 426 sqq.; resurrectio mortuorum, 429 sqq.; ultimum judicium, 436 sqq.
Numerus angelorum, 290 sqq.

O

Obsessio, quid sit, 317, 318; angeli mali ex permissione Dei homines obsessione infestant, 320 sqq.
Officia angelorum custodum, 307, 308.
Olivi, *Petrus Joannes*, non recte sentit de constitutione hominis, 106, 107.
Ontologistae male explicant causam exemplarem mundi, 50.
Optimismus, quo sensu admitti possit, 40, 41.
Oracula deorum non probant angelos cognoscere libera futura, 289.
Ordinatio mundi, 78 sqq.
Ordo supernaturalis, *v. Supernaturale;* ordines angelorum, 291, 292.
Origenes explicat causam exemplarem, 52; finalem, 58; docet concursum divinum, 74; hominem esse a Deo creatum, 90; existentiam peccati originalis, 205, 206; angelorum, 261; angelorum custodum, 309; singulos fideles habere angelum bonum, 310; angelos malos tentare homines, 319; beatos posse peccare, 386; omnium restitutionem, 344; mortuos cum propriis corporibus resurgere, 431.

Originale peccatum, *v. Peccatum.*
Originalis justitia, *v. Justitia.*
Origo animae humanae, *v. Anima;* familiae humanae, 129 sqq.

P

Pactum de gratiae propagatione inter Deum et Adamum sine ratione asseritur, 232.
Palaeontologia, quid doceat de ordinatione mundi, 79; de antiquitate generis humani, 135.
Palamitae negant beatos ipsam Dei substantiam intueri, 368.
Palmieri, de causa exemplari mundi, 51; de mente Concilii Viennensis, 107; de conceptu naturalis, 139; de poena parvulorum, 252; de spiritualitate angelorum, 271, 272; de modo quo angeli sint in loco, 278; quomodo angeli cognoscant, 287.
Paradisus, qualis fuerit, 183.
Parentes non producunt animam prolis, 119 sqq.; per concupiscentiam in actu generationis non sunt causa peccati originalis, 238.
Pater transmittit peccatum originale quatenus utitur virtute generativa ab Adamo derivata, 235 sqq.
Peccatum, quid sit, 188 sqq.; protoparentum, 190 sqq.; peccatum Adami transiit in posteros, 199 sqq.; excursus historicus de essentia peccati originalis, 212 sqq.; haec consistit in privatione gratiae sanctificantis per Adamum voluntarie abjectae, 219 sqq.; falsae sententiae rejiciuntur, 224, 225; est voluntarium voluntate Adami, capitis generis humani, 227 sqq.; est peccatum analogice, 231; ratione voluntarii est minimum omnium peccatorum, 232; traducitur in filios generatione paterna, quatenus ea nascuntur filii ex semine Adami, 234 sqq.; ejus effectus in hac vita, 241 sqq.; in altera vita, 248 sqq.
Pelagiani negarunt peccatum originale, 190; genesis eorum erroris, 207-209.
Pererius docet primam linguam esse a Deo revelatam, 179.
Peyrère, de Praeadamitis, 131.
Petavius explicat mentem SS. Patrum quoad restitutionem finalem, 408.
Pighius reponit essentiam peccati originalis in morali perseverantia actualis peccati in Adamo commisso, 224.
Pius VI, *Papa,* tuetur doctrinam theologorum de limbo puerorum, 252.
Pius IX, *Papa,* declarat catholicam doctrinam de constitutione hominis, 105, 106.
Poena, privatio gratiae sanctificantis est poena peccati Adami, 226; item mors, 331 sqq.; poena purgatorii, 351 sqq.; inferni, 395 sqq.
Polycarpus, S. docet reprobos cruciari poena ignis, 400.
Potentia obedientialis describitur, 141.
Praeadamitae non sunt admittendi, 131.
Praestantia angelorum, qualis sit, 280 sqq.
Primasius, S. docet singulas animas creari a Deo, 123.
Privatio gratiae sanctificantis est formalis ratio peccati originalis, 220 sqq.
Probatio protoparentum, qualis fuerit, 188 sqq.; probatio angelorum, 303.
Protoparentes, *v. Adamus* et *Eva.*
Providentia *Dei,* quatenus exhibetur in gubernatione mundi, 76.
Pseudo-Areopagita docet mundum creatum esse propter gloriam Dei, 58; esse ordines et hierarchiam angelorum, 291, 292.
Purgatorium existit, 351; animae ibi detentae juvari possunt suffragiis vivorum, 358; situs ignis in purgatorio, 360; status animarum, 360; acerbitas et duratio poenarum, 362.

Q

Qualitas morbida non est essentia peccati originalis, 214.
Quesnellius docet gratiam sanctificantem esse sequelam creationis, 150.

R

Relatio creationis, quid sit, 4.
Responsa S. Officii de spiritismo, 451; S. Poenitentiariae de igne infernali, 412; Commissionis de re Biblica de historicitate narrationis Genesiacae, 80; de formatione Adami et Evae, 89.
Resurrectio mortuorum describitur, 427; omnes resurgent, 429; cum propriis corporibus, 430 sqq.
Revelatio, quidquid Deus revelat, verum est, 79; alia per se revelata sunt, alia per accidens, 79; veritates Adamo revelatae, 156.
Ripalda explicat potentiam obedientialem, 141.
Rosmini male explicat actum creationis, 20, 21; affirmat moralem necessitatem creationis, 37; reponit unionem animae et corporis in perceptione, 101.
Ruiz, *Didacus,* de modo quo tota Trinitas creat, 20; de mundo optimo, 41.

S

Sadducaei negarunt immortalitatem animae, 111; existentiam angelorum, 259.
Salmeron reponit essentiam peccati originalis in morali perseverantia peccati actualis Adami, 218; de poena angelorum, 303.
Schmid, *Franciscus,* quomodo ignis agere possit in spiritus, 421 sq.
Scientia infusa describitur, 174, 175; fuit in Adamo, 176 sqq.; nec amissa per peccatum, 190.
Scotus, de causa exemplari mundi, 50, 51; de dono integritatis, 163; de immunitate a necessitate moriendi, 216; de materia et forma angelorum, 267; quomodo angeli sint in loco, 275; angeli naturaliter cognoscunt secreta cordis, 281; de modo quo angeli cognoscant, 287; beatitudo essentialiter in amore consistit, 376; de impeccabilitate beatorum, 385; negat poenam damni formaliter acceptam, 412; de modo quo ignis agat in spiritus, 420.
Secreta cordis naturaliter ab angelis cognosci nequeunt, 283, 284.
Sensationes sunt in beatis, 367.
Serpens fuit seductor Evae, 192, 193; quo sensu fuit instrumentum diaboli, 194, 195.
Servitus diaboli est sequela peccati originalis, 242.
Sessiones spiritisticae, quid sint, 448.
Societas in statu paradisiaco, 184; in caelo, 367.
Spiritus diversimode accipitur, 267; angeli sunt puri spiritus, 268 sqq.; qua ratione differant ab anima humana, 266.
Spiritismus, quid sit, 447; damnatur ab Ecclesia, 451, 452.
Status diversi humanae naturae, 143 sqq.; status naturae purae possibilis est, 185, 186.
Suarez, de causa instrumentali creationis, 28, 31, 32; de immunitate a concupiscentia, 162; de statu integritatis, 163, 164; de scientia infusa, 175; de paradiso, 183; de effectibus peccati originalis in hac vita, 249; in altera vita, 253; angeli sunt in loco, 278; quomodo cognoscant, 287; distinctio angelorum, 293; elevatio, 296; personae publicae habent duos angelos custodes, 313; angeli praesunt creaturis irrationalibus, 313; diabolus se immiscet omni tentationi, 323; est princeps daemoniorum, 324; existit purgatorium, 356; animae ibi detentae orant pro nobis, 363; de objecto beatitudinis, 370; est verus ignis in inferno, 412; quomodo agat in spiritus, 421; non sunt ibi aliae poenae positivae, 422.
Substantiae proprie creantur, 2; spiritualis substantia describitur, 110; pure spiritualis,. 266, 267.
Suffragia, quid sint, 352; animae in purgatorio suffragiis juvantur, 358.
Suggestio adhibetur ad hypnosim inducendam, 445, 446.
Superbia fuit primum peccatum, 195; fuit peccatum angelorum, 302, 303.
Supernaturale describitur, 140; triplex divisio, 140, 141; definitiones falsae, 142, 143; protoparentes ad statum supernaturalem elevati sunt, 145 sqq.

T

Tatianus confuse loquitur de immortalitate animae, 118.
Tempus, quid sit, 44; mundus creatus est temporalis, 45.
Tentatio protoparentum, 191 sqq.; de tentatione Evae, 194; angeli mali tentant homines, 319; non omnis tentatio fit a diabolo, 323.
Tertullianus docet creationem ex nihilo, 13; Deum esse finem mundi, 58; concurrere cum agentibus creatis, 74; creasse hominem, 91; animam derivari ex traduce, 120; existere peccatum originale, 206; malos angelos tentare homines, 319; eos malis physicis afficere, 320; existere purgatorium, 357; animas suffragiis vivorum juvari, 359; beatitudinem esse inaequalem, 388; mortuos cum propriis corporibus resurgere, 431.
Theodoretus tuetur singulas animas creari a Deo, 123; totam familiam humanam esse ab Adamo et Eva derivatam, 133; singulos homines habere angelum custodem, 311; etiam societates, 312.
Theophilus, S., mundus ex nihilo creatus est, 12, 13; ad gloriam Dei, 58; Deus concurrit cum agentibus creatis, 73; Adamus ad statum supernaturalem elevatus est, 149; protoparentes a necessitate moriendi immunes erant, 169; est verus ignis in inferno, 403.
Theoriae de ordinatione mundi, 80 sqq.
Thomas Aquinas, S., definit creationem, 2, 3; tota Trinitas creat actione una communi, 25; creatio appropriatur Patri, 24; causa instrumentalis admitti nequit in creatione, 27, 28, 32; probari nequit creationem ab aeterno esse impossibilem, 46; definit ideam, 48; Deus conservat res creatas, 68; homo est imago Dei, 115; protoparentes in statu gratiae creati sunt, 152,

153; habuerunt fidem, 156; immunes erant a necessitate moriendi, 171; quale fuerit lignum vitae, 172; Adamus habuit eximiam scientiam, 175; non potuit errare, 178; quale peccatum protoparentes commiserint, 195, 196; pars formalis peccati originalis est privatio gratiae, materialis vero concupiscentia, 215; peccatum originale est voluntarium, 231; vulneratio humanae naturae, 242, 243, 246; parvuli non puniuntur poena positiva, 251; parvuli non baptizati Deo conjunguntur per participationem naturalium bonorum, 253; existunt angeli, 261; puri spiritus, 267; corpora assumere possunt, 273; sunt in loco, 278; de eorum motu, 279; cognitione, 286, 287; sunt in ordines dispositi, 292; singuli specie distincti, 293; boni meruerunt, 300; quale peccatum mali commiserint, 302; ejus motivum, 303; non egerunt poenitentiam, 303; nec poterant, 304; omnes homines morientur, 340; existit purgatorium, 346; de suffragiis, 360; de acerbitate poenarum, 411; de poenis inferni, 416; ignis proprio sensu intelligendus est, 419; quomodo ignis in spiritus agat, 420; de obstinatione reproborum, 422.

Traducianismus, a quibus propugnatus, 120; est contra doctrinam catholicam, 121 sqq.

Transmigratio animarum rejicienda est, 127.

Trichotomia admitti nequit, 98 sqq.

Trinitas tota creat actione una communi creationis, 18 sqq.

Tristitia non est in parvulis absque baptismo decedentibus, 252.

Tutela angelorum, quae munera comprehendat, 307 sqq.

U

Ubicatio angelorum, quomodo intelligenda sit, 275 sqq.

Unicitas animae intellectualis admitti nequit, 111, 112.

Unio animae et corporis est substantialis et immediata, 105 sq.

Unitas familiae humanae probatur, 132 sqq.

V

Valentia, de, exponit quaestionem de causa instrumentali in creatione, 27.

Vaticanum Conc., de creatione mundi ex nihilo, 8; de demonstrabilitate creationis, 15; de libertate creationis, 38; de causa finali, 57; de conservatione, 66; de natura animae, 111; de ejus creatione, 125; de Coadamitis, 131; de nexu privationis gratiae cum peccato originali, 223; de cessatione meriti in morte, 338.

Vestigium Dei in omnibus creaturis reperitur, 64.

Viennense Conc. definit animam rationalem esse immediate et per se formam corporis, 101; disputatio de mente concilii, 106-108.

Virginitatis aureola, 392.

Virtus creandi nulli creaturae communicari potest, 26 sqq.

Virtutes infusae erant in protoparentibus, 154, 155.

Visio beatifica est immediata, intuitiva et propria cognitio Dei, 374; ad quam habendam requiritur lumen gloriae, 375; ejus objectum est Deus totus sed non totaliter, 380; est cognitio practica non speculativa, 380; inaequalis pro inaequalitate meritorum, excludit omne peccatum et est aeterna, 388.

Voluntarium in peccato originali derivatur a voluntate Adami, 227 sqq.

Vulneratio per peccatum originale, quo sensu intelligenda sit, 242, 243.

W

Wirceburgenses docent peccatum originale esse ipsum actuale peccatum Adami, quatenus a posteris ejus moraliter commissum sit et in iis moraliter perseverans eos Deo exosos reddat, 218.

Z

Zigliara disputat contra Palmieri de indole doctrinae Petri Joannis Olivi, 106, 107.

Zozimus, *Papa*, edidit epistolam contra Pelagianos, 208.

32718

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BT75.06815 C001 V002
INSTITUTIONES DOGMATICAE IN USUM SCHOLAR

3 0311 00026 1284

WITHDRAWN

BT
75
.068I 5
32718
Otten, Bernard John, 1862
AUTHOR
V.2
INSTITUTIONES DOGMATICAE
TITLE
IN USUM SCHOLARUM.

3 0311 00026 4284